image
not
available

SCRINIUM ANTIQUARIUM.
SIVE
MISCELLANEA GRONINGANA
NOVA
AD *HISTORIAM REFORMATIONIS*
ECCLESIASTICAM PRÆCIPUE
SPECTANTIA
INSERUNTUR
TRACTATUS VARII GENERIS.
EPISTOLÆ. ORATIONES.
BIOGRAPHIÆ. ETSIM.
SIVE
NUNQUAM ANTEA EDITÆ,
SIVE
ITA FACTÆ RARIORES UT PRO
INEDITIS HABERI
POSSINT.

TOMI IV. PARS I.



GRONINGÆ & BREMÆ.
Apud CORN. BARLINKHOF & G. W. RUMP. Bibliopolas
A. 1754.

CONTENTA
HUJUS FASCICULI.

Num.

Num. I.

PETRI VILLERII

Ratio ineundæ *Concordiæ* inter *Ecclesias Reformatas* 1579.



Si vel non aliam ob rationem Petri VILLERII nomen æternitati esset inscribendum, quam, quod GULIELMUS I. Princeps Arausionensis, ejus temporis Principum prudentissimus, eo est usus Amico ac Ministro, qui & Religionis pro concione causam ageret, & in rebus Politicis consilia principi subministraret, hæc sola plenissimè sufficere posset.

Enimverò, cum præterea, maxima ejus in rem sacram & publicam Belgii sint merita, ut paucis ejus Memoriam repetamus, operæ erit pretium.

Nomen ejus genuinum, quo dictus fuit Petrus L'OISELEUR, jam alibi *a*) a nobis est indicatum, ubi simul, quam equestri ortus fuerit prosapia, quamque, cum lauta possideret prædia in insula Zelandorum Valacrensi, atque Dominus esset *de Villiers* & *Westhoven*, inde fuerit dictus Petrus VILLERIUS, observavimus.

Equidem annum ejus natalem non invenimus; Protulit eum verò *Insula* Franciæ, vulgo *Ryssel*, nobile Flandriæ nunc Gallicæ oppidum; Cum autem studiorum juvenilium cursum absolvisset, *Lutetiam parisiorum* abiit, ibique coram supremo Galliarum Senatu, Parlamentum dicto, causarum patronum egit, quod ex annotatis MSS. observavit Ger. BRANTIUS. *b*)

a) Vid. *Scrinium antiquar.* T. I. P. I. p. 120

b) BRANT. Histor. Reform. Belg. Lib. XV. Tom. I. 781.

Intereà verò, cum ob persecutionum in Gallia vehementiam vix ibi vitam sustinere posset incolumis, relicta Gallia semet *Genevam*, commune illud Reformatorum asylum, contulit, atque in *Theodori Bezæ* amicitiam familiaritatemque admissus, ejus ductu suasuque ad studia theologica animum appulit.

In eo cum versaretur exilio, thori fortunæque sociam duxit Nobilem Virginem *Johannam de Brichanteau*, filiam Caroli de Brichanteau, Equitis, ac Domini de S. Martin & Nigerets, qui & ipse ob religionem profugus Genevæ tum agebat.

At verò deinceps, cum ad sacrum Ministerium in civitate *Rothomagensi* in coetu Reformatorum obeundum vocaretur, per aliquot annos illi muneri præfuit, usque dum ferales illæ nuptiæ Parisienses, lanienam die S. Bartholomæi A. 1572 inchoatam ad Rothomagenses quoque perferrent; Tum enim, ut furori cederet, æquum arbitratus, tutum in arce quadam duobus à civitate milliaribus, quæsivit equidem, sed non invenit receptaculum, cum uxore & septem liberis infantibus; Nisi enim singulari quodam miraculo, ab occisoris manu præservatus fuisset, eum ad necem dedisset Rothomagensis persecutor. Enimverò, cum is, qui apud Rothomagenses pilearium egerat, nunc verò præfectus erat cohorti cuidam persecutrici, nostrum persequeretur, atque præsentem haberet, is è vestigio ejusmodi vel animi vel oculorum deliquium c) passus esse dicitur, ut

c) Vid. *Martyrol. Gallic. Magn.* fol. 720 b „ A deux lieux „ de Rouan y a un chasteau nomme la Riviere bourder, „ beau & fort de situation, ou Mr. *l'Oiseleur*, dit de „ *Villiers*, l'un des Ministres de l'Eglise de Rouan, „ s'etoit retiré avec sa femme & sept petis enfans. Ce „ Vasseur avec sa troupe surprenant la porte de cette mai- „ son de paix, fut tellement esbloui & retenu de la main „ de

ut Villerium, quocum colloquebatur, non cognoſceret ſed elabi pateretur. Interea verò diripiebantur ſtatim omnia, atque ſeptem liberi omnibus plane exuti, pæne nudi dimittebantur, niſi quod unicus ipſis primò relinqueretur panis, quem tamen etiam deinde ipſis ſurripiebant.

Fuerat is antehac in *Navarrena* Regia concionatus, atque etiam apud Franciæ Admiralium *Colinium* eccleſiaſticos non ſemel habuerat ſermones.

Anno quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Princeps *Condeus*, de ejus ſinceritate, fide, prudentia ac experientia perſuaſus, eum legatum miſit in *Angliam*, qui Reginæ opem atque auxilium Reformatis in Gallia præſtandum imploraret; dicitur tum Prælectiones habuiſſe Theologicas, quibus & ſibi & familiæ collatitiam acquireret ſtipem, quæ res à CAMDENO *a*) certe non debuiſſet exagitari.

Brevi poſt Arauſionenſis eum ſibi conſiliarium & concionatorem aulicum elegit, atque ad graviſſima quævis munera evexit. Tum verò *Antverpiæ* ſæpenumero conciones habuiſſe refertur; Et, quanquam, cum dubii hærerent Belgæ ab Hiſpano alieni, quò ſe verterent, VILLERIUS noſter ita Gallo ſemper eſſet addictus, ut omnem navaret operam, quo Anglam à Belgis plane ſummoveret, idque ageret, ne Arauſionenſis Anglos reſpiceret; Tamen, cum Alençonium apud Antverpienſes res novas moliri perſentiſceret, is omnium primus fuiſſe dicitur, qui rem Arauſionenſi aperiret, atque

„ de Dieu, qu'il laiſſa eſchapper le Miniſtre qui parloit
„ à lui: mais au lieu de cele il pille & ravage toute la
„ maiſon, & pour la fin butine tellement ces ſept petis
„ enfans, que n' ayans outre leurs chemiſes ſi non un
„ pain, ce voleur coupa les cordons de leurs chemiſes &
„ leur oſta ce pain.

a) Vid. CAMDEN. Annal. rer. anglic. p. m. 266.

Alenconii consilia perditissima Magistratui Antverpiensi patefaceret.

Post Arausionensis cædem, *Navarrus*, idem qui posteà sub *Henrici* IV. nomine Gallis imperavit, eum ad se allicere, atque datis ad eum literis sibi vendicare studebat, sed incassum, siquidem MAURITIUS Gulielmi filius, eundem quem tantopere rebus suis proficuum judicabat, à se dimittere renuebat. Et, quo pacto is Leicestrianæ factioni fuerit adversus, ex rerum Belgicarum Annalibus addiscitur, unde & Angli, A. 1587. qui tum Vlissingensem tenebant civitatem, Villerium nostrum, qui tum Westhoviæ commorabatur *b*), atque Medioburgum tendebat, eum, nisi ipse conamina ipsorum elusisset, captivum duxissent; Habuit verò annum emortualem 1593. quando Westhoviæ in insula Valacrensi diem obibat supremum.

Quidquid sit, eundem minus præsidii ab Anglis quam à Gallis expectari posse, semper erat persuasissimus.

Neque erant Galli hujus in ipsos animi propensioris ignari, quippe qui & deinde, cum Leicestrius imperium in Belgas ejurare coactus esset, ac brevi post mortem obivisset, cum Villerio egisse videntur, de summo imperio ad Navarrum deferendo. *c*) Erat enim illi subactum in rebus agendis judicium, & maximi æstimabatur, cumprimis à Navarro atque à Mornæo, cujus hæc ad Legatum Buzanvallium A. 1588. scripta sunt verba: *Vous faites bien de tenir correspondance estroitte avec M. de Villiers. Vous sçaves si j'ay toujours loué, & quidem non parcé, les dons qu'il a de Dieu. Et il m'est aisé d'aimer ceux que j'estime.* Deinde stilo utebatur eleganti atque nervoso, quod vel ex scriptis ejus multifariis col-

b) Vid. REYDAN. annal. rerum belg. ad Ann. 158; fol. 136 a

c) Vid. Epist. MORNÆI de Plessis ad Buzanvallum A. 1588. in supplem. ad Memorias Plessæanas pag. 132.


colligitur, quæ quantivis esse pretii, nemo non fatebitur:

Præter enim libellum illum *Apologeticum*, quo se Arausionensis adversus Hispani proscriptionem apud Ordines Belgicos & Christianos principes defendit, quique Petrum Villerium *d*) primarium habet auctorem, atque *Apologiam* illam *Ecclesiarum in Belgio Reformatarum e*) ad & contra auctores Libri Bergensis dicti Concordiæ, quoque Dissertationem conscripsisse dicitur, *De Jure Principum f*); quæ tamen haud facile reperiunda est. Ne jam de Literis ejus ad *Adrianum van der Mylen g*) Curiæ Hollandiæ Præsidem atque alios datis, atque multa cum prudentia conscriptis, dicamus;

Nam & quod is *hunc* consignaverit *Libellum*, quem præ manibus habemus, est certissimum, quanquam enim nomen suum minimè præfixerit, sed literas tantum significatorias C. Q. D. A. tamen exinde nomen ejus elicere pronum erit, modo observemus *h*) C. esse positum pro *Cephas*, id est *Petrus*. Q. pro C. vel K. (more antiquo) prima litera vocabuli Κῴδιον quod *vellus* significat, D. A. pro *Doctor Aulicus*.

Cum igitur is ad manus nostras pervenerit, variaque contineat cum observata tum monita præstantissima, ne illo careres, B. L. eundem huic Scrinio nostro inserendo, efficere, bona tua cum pace voluimus. D. G.

Can-



d) Vid. GROT. Annal. lib. III. pag. 71. HOOFD. Histor. Belg. lib. XVII. fol. 744. conf. P. de LA RUE Zeland. literat. pag. 139.

e) Vid. *Scrin. nost. antiquar.* T. I. p. I. pag. 121. sq.

f) BRANT Hist. Ref. Belg. p. 783.

g) Vid. *Epist. viror. Illust.* à Dan. HEINSIO edit. Cent. II. n. 59 & 86.

h) BRANT l. c. p. 783. in notus.

Candido Lectori S.

Author hujus scripti (benevole Lector) primum tristissimas calamitates quibus Respub. Christiana evertitur, deplorat: Luculenteque ostendit, hæc mala ex contentionibus, quæ sunt inter Theologos, qui Reformatam Religionem profitentur, maxime proficisci. II. *Reverenter & obnixè Reges, Principes & Potentatus Evangelicos orat atque hortatur, ut rectè & integrè controversiarum causas quæ sunt in Religione cognoscant, quô certius faciliusque ea quæ ad salutem necessaria sunt, ab iis quæ non sunt necessaria, discernere queant. Nam manifestè ostendit has inter Theologos controversias esse præcipuè, de rebus ad salutem non necessariis.* III. *Proponit media facilia & usitata quibus res controversæ componi possint.* IV. *Perspicue demonstrat, aliquot Theologos hactenus convitiis, calumniis, detractionibus, mendaciis & similibus superborum, ambitiosorum & contentiosorum virorum insanis affectibus Remp. perturbasse, & veræ Religionis progressum impedivisse. Nunc vero quosdam summa cura in id incumbere, ut Reges & Principes Euangelicos inter se committant, pacatasque Ecclesias prætextu pacis constituendæ perturbent: ut hisce dissensionibus & contentionibus distracti & divisi, eò facilius omnes ab hostibus opprimantur atque funditus evertantur. At quoniam hæc atrocia horrendaque consilia & actiones, mira arte & singulari artificio institutæ sunt & promoventur; maximis precibus à Regibus, Principibus & Potentatibus Euangelicis contendit, ut iis idoneè perspectis, si Rempub. salvam esse, si libertatem Euangelii retinere, seque ab execranda Pontificia servitute liberare, puramque conscientiam retinere velint, ea mature avertant, quæ ipsis imminent certoque sunt eventura, nisi ipsis tempestivè occurratur. Deus optimus illorum mentes illuminet cordaque moveat, ut insidiis adversariorum vere cognitis, ea diligenter & syncere præstent, quæ ad gloriam Christi promovendam, eorumque salutem & Rempub. confirmandam pertinent. Amen.*

Bre-

Brevis & dilucida declaratio, qua ratione controversiæ quæ nunc sunt inter Ecclesias reformatæ religionis, componi & finiri possint. C. Q. D. A. nobili viro authore.

Quoniam Christianos omnes decet, omnibus mentis ingeniique viribus in id incumbere, ut Christiana Religio (quæ Christi est gloria) promoveatur: eaque maturè tollantur, quæ ejus progressus & incrementum remorantur: ego ea media, quibus hæ controversiæ, quæ nunc inter Ecclesias Reformatæ Religionis sunt, à multis prudentibus summique judicii viris facilè componi posse intellexi, paucis complectar & referam: ea spe adductus, si illa non sunt profutura, quod tamen aliqui, hoc pio meo conatu incitabuntur, ad commodiora proponenda: ut eorum salutaribus consiliis, Regum, Principum & Rerump. Protestantium animi, eò facilius ad pacem Ecclesiis Euangelicis afflictissimis & perturbatissimis restituendam, impellantur. Quis enim clades quæ ob has contentiones evenerunt referre? Quis myriades piissimorum hominum, qui crudelissimè nefarieque occisi sunt recensere? Quis tot civitatum eversiones, totque amplissimarum Provinciarum expilationes, vastationesque idoneè commemorare posset? Quisvè tam duro tyrannicoque animo est, qui hæc sine lachrimis ingentique dolore esset auditurus? Verum si quis præsentem Reipub. Christianæ statum penitius intueatur, facilè judicabit, multo adhuc graviora metuenda esse, nisi iis tempestivè occurratur. Nam certum est Pontificios fideliter ac diligenter inter se consilia communicare, opes conferre, nullisque sumtibus nec laboribus parcere, ut disiunctos Protestantes (data ea occasione quam cupidissimè expectant) funditus evertant.

At quoniam quidam censent fœdera ineunda esse, & de

de mediis conveniendum quibus Proteſtantes hoſtium viribus reſiſtere, eorumque conatus infringere queant: ego mihi ignoſci peto, ſi dixero fruſtra hunc laborem ſuſcipi hæcque conſilia agitari, priusquam à Proteſtantibus pax in Religione reſtaurata ſit. Nam multis exemplis inferri atque probari poteſt, fœdera ſæpe magis nocuiſſe, quàm profuiſſe: & certè inter prudentes Principes illa non ſunt admodum neceſſaria: cum illi ſatis norint, quid ex uſu Reip. & è re ipſorum ſit. Nam ſi quis amore Reipub. vel ſtudio, ſeſe resque ſuas conſervandi, ad id præſtandum, quod ab ipſo petitur non impellatur, nomine fœderis parum movebitur. Deus igitur merito à piis omnibus, aſſiduis precibus orandus eſt, ut Regum & Principum Proteſtantium corda moveat, eorumque mentes ſuo Spiritu illuſtret, ut illi tandem ſerio de mediis cogitent, quibus, ſublatis harum controverſiarum cauſis, pax certa, aut ſaltem tolerabilis & moderata concordia inter ipſos conſtituatur. Nam reconciliatis partium animis, paceque æquiſſimis mediis reſtituta, ſperandum eſt Principes Euangelicos, ſibi invicem (ut chriſtiana charitas requirit) ultro lubenterque ſubventuros eſſe: ſi vis alicui inferatur, aut injuria manifeſte afficiatur.

Inter Eccleſias Euangelicas præcipuæ controverſiæ hæ ſunt:

De Cœna Domini. De Prædeſtinatione ſeu Providentia Dei. Et de Perſona Chriſti.

I. De Coena Domini duæ ſunt præcipuæ inter Theologos factiones. Altera eorum quos Lutheranos vocant, altera quos Calviniſtas. Lutherani in hoc capite errorem illum quem tribuunt Zuinglio Calviniſtis objiciunt: videlicet, quod verum corpus Chriſti in ſacra Cœna à piis vere comedi, & ejus ſanguinem vere bibi negent. Hi verò reſpondent impudentem eſſe calum-

lumniam. Calviniſtæ viciſſim vocant Lutheranos Cyclopes & Capernaitas, quod Chriſti corpus in pane latere, ore accipi & (ut quidam loquuntur) labiis tangi, dentibus teri, & in ventriculum deſcendere aſſeverent. Lutherani vero hæc ſua verba ab illis maligne inverti & in alienum ſenſum torqueri conqueruntur. Hinc inter aliquot Theologos virulenta illa convitia, injuriæ, detractiones, calumniæ, calumniarumque abſterſiones promanarunt, ac nova inauditaque maledicendi verba excogitata.

Hæc vero cum manifeſta ſint, quis miratur ſi Pontificii Religionem ipſis à ſuis majoribus tot ſeculis inviolate traditam conſtanter retineant: & ſerio de mediis cogitent, quibus, oppreſſis adverſariis, eorum Religio ſola prædicetur. Vos Reges & Principes qui de luce Euangelii tantopere gloriamini, & has pernicioſiſſimas contentiones otioſe intuemini & fertis, exiſtimatisne Deum innoxium Chriſtianorum ſanguinem qui veſtra culpa effunditur, à vobis veſtrisque non eſſe aliquando repetiturum? nec tam manifeſtum ſui Verbi contemptum ſevere ulturum? Sed media proponamus, quibus Reip. conſuli poſſit. Verum priusquam illa explicemus, notandum eſt, inter partes in hoc capite nullam eſſe de vera & ſalutari manducatione corporis Chriſti in ſacra Cœna controverſiam, ſed tantum de modo præſentiæ Sacramentalis & manducatione corporis Chriſti: quæ hac ratione non incommode finiri poſſe multis videtur.

Primum. Ut communi Principum Germaniæ Evangelicorum conſenſu Synodus generalis (ut quidam Germaniæ Principes, & multi doctiſſimi Theologi ſæpe aliis Principibus propoſuere, & ut maxime neceſſariam magna contentione urſere) inſtituatur: in qua ipſi præſint: vel eorum nomine, viri politici & ſapientes qui rei magnitudinem intelligant, & ſua authoritate pios & moderatos Theologos tueantur & conſervent, ambitio-

bitiosos autem contentiosos & superbos in officio contineant: Nam si hæ controversiæ solis Theologis considerandæ & transigendæ committantur, certum est tam acerbum & inveteratum odium esse, ut illi hæc negocia sint implicaturi & perturbaturi potius, quam pie & christiane composituri. Serenissima Angliæ Regina, Germaniæ Principibus Protestantibus amanter significavit, se lubenter ad Synodum illam suos commissarios missuram esse, si de loco & tempore tempestive admoneatur: sperandum est, multos quoque alios Protestantes Principes & Potentatus, suos una ablegaturos esse, ut communi omnium consensu & authoritate, concordia facilius ineatur & inita certior sit atque diuturnior.

Perpendant nunc Evangelici Principes an moris non fuerit in veteri Ecclesia, ut is Imperator, Rex aut Princeps, ei Synodo quam instituebat, aut concilio generali quod indicebat, præesset: vel ii qui ab ipso eligebantur constituebanturque viri politici, prudentes & summi judicii, ut eo munere fungerentur. Quod si mos ille à tot potentissimis Imperatoribus, tot Regibus & Principibus prudentissimis, à tot quoque piissimis & doctissimis Theologis utilis & maxime ad finiendas controversias, necessarius hactenus agnitus, receptus & probatus sit, cur hoc tempore perturbatissimo rejiceretur? si alia expeditiora non proponantur media.

II. Petant Præsides illi à colloquutoribus, ut à nominibus illis seditiosis, factiosis & odiosis, vel plus æquo (ut Pauli verbis utar) carnalibus *Lutheranorum* & *Calvinistarum* abstineant. Et aliis (eo saltem dum colloquentur tempore) utantur. Nam in regnis Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Belgio & inter Helvetios ultra quingenta sunt (Deo laus) virorum millia, qui diligentius & majori Dei metu majori etiam fructu, sacra Biblia legerunt, quam ii Theologi à quibus temere condemnantur: & qui ea sunt sapientia, tantumque judicio valent,
ut

ut ex Scriptura Sacra & communi Patrum consensu, quid ipsis ad salutem credendum sit, facile dignoscere queant: nec tam dementes, ut propter Lutherum vel Calvinum, de omnibus fortunis suis, de vita & salute æterna periclitari velint: fatentur quidem utrumque virum doctum, & de Ecclesiis Christi benemeritum esse, sed non ignorant utriusque scripta esse hujuscemodi, ut in multis explicatione egeant: & ob id cum summo judicio legenda. Eam ob causam multis consultum videtur, ut errores quos aliqui Luthero & Calvino tribuunt, notentur, & in Synodo considerentur, communique omnium consilio dijudicentur. Deinde ut iis, quæ dubia in eorum scriptis, vel obscurius dicta reperientur, commoda adhibeatur explicatio: idemque sit de aliorum Theologorum scriptis judicium. Nam condemnatis erroribus, si qui sunt, & quæ in scriptis Lutheri & Calvini obscure dicta sunt, perspicue declaratis, tum scripta utriusque in summa erunt authoritate, ab omnibus piis probabuntur, & maximo cum fructu, ac sine ullius offensione legentur. Hacque ratione Ecclesiæ certa diuturnaque pace fruentur. Et certe æquissimum est, ut opiniones hominum, & controversiæ omnes in religione Christiana, ex Prophetarum, Apostolorum & Patrum scriptis probentur & finiantur: ad quæ horum Theologorum scripta referenda sunt, & ex iis dijudicanda. Ut Lutherus ipse de suis scriptis multis in locis statuit.

Nam si hodie Lutherus & Calvinus viverent, & in Concilio generali libero (quod tantopere ab omnibus expetitur) eas opiniones de quibus nunc est controversia, tueri ac defendere ex suis scriptis vellent, nonne illi tanquam stolidi & prorsus dementes ab omnibus deriderentur rejicerenturque: quod illi de iis quæ ad salutem Christianorum pertinent, ex suo sensu statuere & decernere auderent? Hæc vero libertas vel authori-

tas, si Luthero & Calvino viventibus non concederetur, cur mortuis permitteretur? quod neuter unquam sibi arrogavit. At manifestum est controversias in Religione de quibus nunc contenditur, propter scripta Lutheri & Calvini præcipue esse: quæ à partibus tanta pervicacia defenduntur, ut Propheticis & Apostolicis, maximo totius Reipub. malo à quibusdam male sanis præferantur, vel illis certe æquentur.

III. Condemnentur manifesti errores ut in hoc capite hoc modo. Quicunque negaverit verum corpus Christi in sacra Cœna ab omnibus piis & fidelibus vere comedi, & ejus sanguinem bibi. Anathema sit.

IV. Separentur res ad salutem necessariæ, à non necessariis. Certum enim est acerrimas has contentiones, de modo præsentiæ sacramentalis & manducationis corporis Christi in sacra Cœna (quem tamen omnes inexplicabilem esse fatentur) originem & fontem esse multarum aliarum perniciosarum rixarum. Videlicet De persona Christi. De ejus ascensione in Cœlos. De ipsius ad dexteram Patris sessione, & quibusdam aliis, quibus præcipui nostræ fidei articuli labefactantur. At cum mysteria nostræ Religionis simpliciter credenda sint, & non acute ac subtiliter scrutanda. Si Reges & Principes Evangelici suam pro dirimendis hisce contentionibus non interponant authoritatem, dubium non est, quin Ecclesiæ Christi multis hæresibus inficiantur, & tandem maxima earum vastitas subsequatur, ut in Asia, Africa, & Græcia propter similes causas evenisse videmus. At si res ad salutem necessariæ, à non necessariis discernantur, facile hæ contentiones à piis & doctis Theologis finientur.

V. QUINTO. Proponatur aliqua confessio quæ ab omnibus piis probari queat, & omni eam credenti sit ad salutem satis. Exempli causa. Ego quando ad sacram Cœnam ex ipsius ordinatione institutam, in timore Dei,

Dei, & fide accedo, Credo & confiteor, cum accipio & manduco panem mihi à miniſtro verbi exhibitum, quod corpus illud verum quod pro me in cruce pependit, quod pro me paſſum & mortuum eſt, vere comedam eoque vere paſcar. Et quando vinum ex poculo mihi porrectum bibo, quod ſanguinem ipſum qui pro me in cruce effuſus eſt, vere bibam, & quod per hunc cibum & potum, fiam os de oſſibus, & caro de carne Chriſti: quo modo vero id fiat, non ſum admodum ſollicitus: ſatis enim mihi eſt credere, Chriſtum Deum omnipotentem & veracem, id in me virtute atque efficacia Spiritus Sancti perficere, certoque adimplere, quod omnibus fidelibus promittit. Hæc eſt mea de Cœna Domini fides & confeſſio, quam ſpero pios omnes facile probaturos eſſe. Vel proponatur aliqua alia ſimplex & dilucida confeſſio, ad ſalutem neceſſaria & ſufficiens. Hæc Euſebii Emiſſeni opinio de Cœna Domini, à multis piis & doctis laudatur. „ Cum „ ad reverendum altare ibis, ſpiritualibus ſacrandus ac„ cedis, Sacrum Dei tui corpus fide reſpice, mente con„ tinge, cordis manu ſuſcipe, & totum interioris ho„ minis hauſtu aſſume.

Poſtquam Eccleſiæ Gallicæ, Anglicæ, & cœteræ idem in Religione ſentientes, errorem ſupradictum condemnaverint (quod certo ſunt facturæ) & confeſſionem aliquam planam & perſpicuam de Cœna Domini ad ſalutem ſufficientem approbaverint (de quo minime dubitandum eſt) hæc tantum (ut ſupra dixi) controverſia conſideranda & componenda reſtabit, videlicet modus præſentiæ Sacramentalis & manducationis corporis Chriſti in Sacra Cœna. Eam ob cauſam Præſides à Lutheranis petent, ut verbis claris & perſpicuis declarent, quo modo corpus Chriſti in pane lateat & manducetur, atque etiam ore accipiatur. Ab aliis quoque petent, ut aperte & luculente, quomodo corpus Chriſti ſit in

Cœna & manducetur explicent: ita ut nullis aliis commentariis aut explicationibus ad illorum opinionem intelligendam opus sit. Quod si quis dixerit, ipsis deesse verba propria quibus commode mysteria Christianæ Religionis tam aperte & dilucide declarari possint, Respondeo: quod ob id utriusque partis Theologos decebit, eo citius de phrasi, vel modo aliquo loquendi inter se convenire, per quem pax & concordia in Religione constituatur: nisi pro perditissimis nebulonibus & sceleratissimis Reipub. peturbatoribus ab omnibus haberi velint.

De Prædestinatione seu Providentia Dei.

PRÆSIDES publice pronunciabunt se neminem in illo conventu ad colloquium admissuros esse, qui subsequentibus articulis non subscripserit.

I. Quod Deus non sit author peccati vel ullius mali.

II. Quod fatum Stoicum seu fatalem necessitatem non propositurus nec defensurus sit.

III. Quod Deum causis secundis non alligabit, sed in omnibus liberum esse agens fatebitur. Præterea si qui sint alii errores condemnandi, addantur.

IV. Proponantur res in hoc articulo controversæ. Ego vero hanc præcipuam in hoc capite esse inter partes controversiam puto. *Deus cor Pharaonis induravit.* Ob hujusce phrasis interpretationem & similium quæ in sacra scriptura sæpe occurrunt, exorta est hæc controversia. Nam quidam dicunt, id Deo volente, alii, Deo permittente accidisse: Hinc manifeste constat hanc contentionem, non in re, sed in verbis tantum consistere, ut ex colloquio facile apparebit.

Quantum ad me attinet. Credo Deum omnes sub peccato comprehendisse ut omnium misereretur. Credo quoque Christi Dei omnipotentis verba verissima esse, qui ait, *Qui crediderit & baptizatus fuerit salva-*

bi-

bitur, Qui vero non crediderit condemnabitur. In has promiſſiones reſpiciens, illis credens, perſuaſum habeo me ex electorum eſſe numero juxta dictum Pauli, *Vos ipſos tentate an non ſitis in fide, vos ipſos probate an non agnoſcitis vosmet ipſos Jeſum Chriſtum in vobis eſſe, niſi reprobi eſtis*: hac ego regula de mea & omnium fidelium prædeſtinatione judico, hac contentus ſum: Nam ſcrutari myſteria Dei, temeritas eſt, credere vero, vita æterna.

De Perſona Chriſti.

Utraque pars fatetur Chriſtum filium Dei ubique eſſe, atque etiam Dominum omnium quæ ſupra cœlos, in cœlis & ſub cœlis, imo omnium quæ ipſius Dei Patris ſunt. Quod ſi quis hæc negaverit, Anathema ſit. De iis vero controverſiis, quæ ſunt in hoc capite cogitare non poſſum quin totus exhorreſcam. Nam de naturis Chriſti in abſtracto id affirmare quod aliqui docent, quid eſt aliud quam Chriſtum dividere, atque Arrii, Neſtorii, & Eutychetis hæreſes in Eccleſias Dei invehere? Nihilominus Reges & Principes Evangelici hæc ſine ulla offenſione audiunt & patiuntur. Sed viderint ipſi ne Chriſtum filium Dei ſeverum tam execrandarum blasphemiarum vindicem ſentiant. Meminerint etiam Theologi, eos qui ſcrutantur Majeſtatem, à gloria obrui, diſcantque in multis modum tenere.

Quoniam inter Theologos tota vis controverſiæ de Cœna Domini ſit (ut ſæpe dictum eſt) de modo præſentiæ ſacramentalis, & manducationis corporis Chriſti: de iis ego plenius & uberius quam antea diſſeram.

I. Convenit inter partes, quod hæc ſacra Cœna à Chriſto filio Dei inſtituta ſit.

II. Quod vere Chriſtus det in hac ſua Cœna omnibus fidelibus verum corpus ſuum ad manducandum & ſanguinem ad bibendum.

III.

III. Quod nullus fructus proveniat ex hac manducatione & potu, quam per fidem.

IV. Quod corpus Christi sit cibus mentis non ventris, & quod nec venter nec dentes sint ad hunc cibum manducandum parandi.

V. Quod corpus Christi in cœlo sit.

VI. Quod nulla sit ascensio nec descensio corporis Christi in Cœna.

VII. Quod hoc mysterium seu Sacramentum sacræ Cœnæ, constet re invisibili seu interna, scilicet, corpore & sanguine Christi, & visibili seu externa, scilicet pane & vino.

VIII. Omnes etiam confitentur & credunt verum corpus Christi in sacra Cœna ab omnibus fidelibus vere comedi, & ejus fideles sanguinem bibere, osque de ossibus, & carnem de carne Christi fieri. Qui vero hæc non confitebitur & crediderit (cum sint omnibus fidelibus necessario ad salutem credenda) Anathema sit. Sed iis hæc addunt Lutherani, quod corpus Christi lateat in pane & ore accipiatur, atque inter eos sunt multi qui corpus Christi ubique esse contendant: Nunc scire merito oportet, an hic modus manducationis corporis Christi, sit necessario ad salutem credendus. Nam si illi necessario credendum esse statuerint (ut statuere videntur) nonne nostræ religionis dignitas & certitudo requirunt, ut hanc suam de re tanta opinionem ex scriptis Prophetarum, Apostolorum, & communi consensu Patrum idoneè probent & confirment? Nam dicere, modum illum esse imperscrutabilem, & rationi humanæ inexplicabilem, & nihilominus statuere suam hac de re opinionem, necessario ad salutem credendam esse, nulla alia probatione addita, quam quod illi sic sint à suis præceptoribus instituti, illa certe ratio docendi Ecclesias Christi nova & inusitata est minimeque recipienda. Nam unicuique hac ratione liceret in religione ar-

articulos fidei, pro arbitrio ſuo conſtituere: Præterea id eſſet Pontificios in eorum erroribus & idololatria confirmare: qui multa evidentiora, plauſibiliora & gratioſiora argumenta ſunt propoſituri. Videlicet: Quod ipſi tot ſeculis ſine ulla contradictione ab innumeris piiſſimis Epiſcopis & doctiſſimis Theologis ita ſint (ut ſentiunt) inſtituti & edocti, Quod hæc eorum doctrina à plurimis Synodis provincialibus, à multis etiam Conciliis generalibus unanimi conſenſu recepta, approbata & confirmata ſit: à qua diſcedere temerarium leviſſimumque eſſet, propter unius aut alterius hominis opinionem, quæ nullis manifeſtis ſcripturæ ſacræ teſtimoniis probetur confirmeturque. Verum, ſi vos pii Germaniæ Theologi hanc veſtram pernicioſam de hac ſacramentali & orali manducatione corporis Chriſti ſententiam (de quibus tanta pervicacia contenditur), aperte & dilucide declaraveritis (quod certe veſtri eſt officii) & res ad ſalutem neceſſarias, à non neceſſariis ſeparaveritis, facilis vobis erit, cum aliis moderatis Theologis, & piis Eccleſiis reconciliatio & concordia: qua conſtituta, deſinent Pontificii, Germanis objicere atque exprobrare, tot eſſe in eorum religione opiniones, quot Eccleſiæ.

Vos igitur pios Theologos oro, & per nomen Chriſti obteſtor, ne diutius patiamini, ea quæ veſtri ſunt muneris, à tot afflictiſſimis & periclitantibus Eccleſiis deſiderari: nam in hac declaratione, pax & tranquillitas Reipub. aut Eccleſiarum everſio, conſiſtit.

Quod autem ad impios attinet, fatentur omnes Theologi Euangelici corpus & ſanguinem Chriſti in Cœna cibum eſſe mentis non ventris, animæ non corporis, & quod piæ animæ hoc ſancto cibo & potu, ſpiritus Sancti efficacia, vere alantur & foveantur. At quod impia & execranda anima eodem cibo & potu ſpiritus Sancti virtute nutriatur, ego omnes pios oro, ut mihi

ignoscant, si ingenue fatear me id credere non posse, priusquam ex scriptura sacra plenius & apertius de iis edocear. Nam finis hujusce sacræ Cœnæ est, ut omnes communicantes unum corpus fiant, cujus Christus caput est, & ut per hanc communicationem pius ab impio separetur. Præterea hæc verba Christi plana & perspicua sunt. *Quicunque carnem meam edit & sanguinem meum bibit, habet vitam æternam.* Orandi igitur diligenter sunt Theologi, ut suam quoque opinionem in hoc capite aperte declarent. Videlicet: Quo modo impia anima corpus Christi manducet, & an necessario ad salutem credendum sit, impias animas verum corpus Christi manducare, cum omnes fateantur eas manducare judicium, fierique reas corporis Christi, quoniam eum Deum esse & Servatorem non agnoscant nec credant.

Ut autem concludam, multis (ut supra dixi) consultum videtur ad hasce controversias tuto & facile componendas.

I. Ut in Germania Synodus communi Principum Evangelicorum consensu constituatur: Nam res graves magnique momenti, quæ multos concernunt, vix transigi per paucos possunt, sine aliorum offensione. At veluti Pontifices Romani nulla re magis terrentur, quam Concilii nomine, sic qui nunc in Germania omnium volunt haberi censores, à nulla re magis quam à generali synodo abhorrere videntur. Sed tantum est prudentiæ & pietati Principum Evangelicorum tribuendum, ut potius per generalem synodum sint laboranti Reipub. & Ecclesiæ consulturi subventurique, quam paucorum quorundam Theologorum superbiæ, odiis & vanis affectibus patrocinaturi.

II. Ut in tali synodo errores condemnentur.

III. Ut Præsidum prudentia & Theologorum consiliis consensuque, ea quæ sunt ad salutem necessario credenda, ab iis quæ necessario credenda non sunt, discernantur: ne

ne ob res non neceſſarias Reſpub. diutius perturbetur. Iis enim mediis & rationibus concordia facile inter Eccleſias conſtituetur.

Nunc in medium conſulendum eſt. Credo me in ſacra Cœna vere, verum corpus Chriſti comedere & ejus ſanguinem bibere. Credo etiam per hanc manducationem & hunc potum, animam meam vere ali & nutriri, corpore & ſanguine Chriſti, meque os de oſſibus & carnem de carne Chriſti fieri. Quo modo? Per fidem, quam habeo verbis Chriſti Dei omnipotentis & veracis, & virtute atque efficacia Spiritus Sancti: qui id in me operatur, cui ſoli hoc myſterium perſpectum eſſe credo. At de modo iſtius communicationis, pium & chriſtianum Eccleſiarum Chriſti conſenſum & judicium pacato tranquilloque animo expecto. Interim tamen fateor me non credere quod corpus Chriſti in pane, vere, realiter & ſubſtantialiter lateat.

Præterea non credo impias animas Spiritum Sanctum recipere, nec ſancto corpore Chriſti foveri & nutriri, ſed reas fieri corporis & ſanguinis Chriſti, quoniam leges à Paulo omnibus ad ſacram Cœnam accedentibus præſcriptas & aperte declaratas, maligne violant. Nunc conſiderandum decernendumque eſt, an ego propterea ſim blaſphemus, hæreticus, Sacramentarius & Turcis deterior? An etiam à piis Eccleſiis non ſim pro membro Chriſti agnoſcendus, & pro fratre habendus? Nam in iis duobus capitibus tota vis controverſiarum conſiſtit.

Quod ſi quis viciſſim petierit, an is qui condemnandos errores condemnat, & fatetur ſpiritualem manducationem corporis Chriſti, quæ per fidem fit ad ſolos pios pertinere: Qui etiam Capernaiticam illam manducationem & crudas atque horridas phraſes de præſentia & manducatione corporis Chriſti (quas multi docti & pii Theologi rejicere ſolent) rejicit, credit tamen ad

feste constat, quam *Ecclesiis Helveticis* scripsit die prima Decembris 1537. Eam ob rem ego me operæ pretium facturum putavi, si illam huic scripto adjicerem.

Responsum Domini Doctoris Martini Lutheri, ad Declarationem, Concordiæ caussa, à civitatibus Helvetiorum Evangelicis, ipsi transmissam.

Præstantibus & prudentibus viris, Dominis Consulibus, Scabinis, Majoribus, Senatoribus, atque in universum omnibus civibus confœderatarum civitatum, Tiguri, Bernæ, Basileæ, Schafhusiæ, Sancti Galli & Bielæ, singularibus meis Dominis fautoribus & amicis optimis.

Gratiam & pacem, in Christo Redemptore nostro. Reverendi & Prudentes viri, Domini & Amici Carissimi, Quod nimis (plus quam) tarde, vestris ad me Smalcaldia datis litteris respondeo, lubenter me excusarem, si excusatione opus esse existimarem, præsertim quum V. P. manifestum sit, quantæ mihi, jam seni & invalido, incumbant molestiæ quotidianæ; usque adeo ut à negociis & hominibus omnibus me penitus abdu-

tum nobis communicavit Illustris SECKENDORFIUS in Historia Lutheranismi Lib. III. Sect. 16. §. LXI. fol. 168. ubi simul observat, quod Helvetii ad eam d. 4 Maji anni sequentis dederint responsum, non minori quidem comitate, sed ita conceptum, ut confessionem suam Basileensem, & declarationem Luthero à se missam allegent, dicantque, se non nuda signa in sacra Cœna statuere, sed quod corpus & sanguis Domini accipiatur, mente nempe fideli. Quibus paucis respondit Lutherus d. 27 Junii, repetens, *vere accipi corpus & sanguinem Domini*, iterumque ad *Bucerum* & *Capitonem* provocat, quibus sententia sua nota sit, suadetque, *ut cum plebe placidè agatur*, sperans *fore ut si qui restent scrupuli, sensim tollantur*.

cere jam coactus sim, quo destinatam hanc vobis scriptionem tandem absolverem.

Relegi equidem denuo vestrum scriptum, atque statim inde initio magnopere lætatus sum, quod agnoverim, quanto ac quam serio studio (sepositis prioribus contentionibus & suspicionibus omnibus, quæ nobis hactenus intercesserunt cum concionatoribus vestris) nunc decreveritis Concordiam promovere atque amplecti. Deus ac pater omnis concordiæ & dilectionis, tam salutare incœptum perficiet, quemadmodum scriptum est. *Quum Deo placuerint viæ hominis, etiam inimicos ejus convertit ad pacem.* Certum est autem, atque impossibile etiam est aliter fieri, quam ut ejusmodi gravis discordia non ita facile, sine vibice atque cicatrice sanari valeat. Erunt enim utrinque quidam, quibus hæc Concordia ingrata atque adeo suspecta erit. Verumtamen, si ab utraque parte, nos qui serio sentimus, firmiter & assidue incumbamus, aderit Deus pater sua gratia, ut apud alios quoque successu temporis, exspirent illæ controversiæ; & quæ turbata est aqua puritatem pristinam amissam, denuo recuperet. Quo circa amanter rogo, velit V. P. operam dare atque serio efficere, ut apud vos atque vestros, clamatores isti, qui adversum nos, immo adversus Concordiam ipsam blaterando debacchantur, istis suis vociferationibus abstineant, & vulgus tantum simpliciter doceant, atque pariter hoc Concordiæ negocium sibi curæ esse permittant, non impedientes eos, qui ad hoc vocati atque idonei existunt. Quemadmodum & nos hic vicissim, tum in scriptis, tum in concionibus nostris, plane quieti sumus, & temperamus nobis à clamoribus adversum vestros, ne ulla per nos data occasione, impediatur Concordia, quam nos toto corde desideramus libenter videre, novit Deus; & huic gloria; satis hactenus fuit clamorum & certaminum, si modo hæc quidquam

quam efficere valuissent. Atque imprimis vos hoc admodum submisse rogatos volo, velitis vobis de me persuadere, ut de eo, qui vere toto corde sentiat, ita ut quantum omnino mihi possibile erit, nihil in me desideretur, quod faciet ad profectum Concordiæ. Novit id Deus, quem testem in animam meam appello. Nam neque mihi, neque ulli cuiquam profuit, immo verius, pluribus obfuit discordia, usque adeo ut nihil quidquam boni aut commodi hactenus ex ea speratum, neque etiam in posterum sperandum sit.

Ut autem ad articulos vestros veniam, nihil quidquam reprehensione dignum, in primo illo, de Verbo vocali, reperio. Neque enim nos aliter docemus, quam quod operetur interne in corde auditorum Spiritus sanctus, quodque externum Verbum solum nihil efficiat, Alioquin, si penes externum solummodo Verbum consisteret, universi qui hoc audirent, evaderent credentes, quod omnino non fit, quemadmodum testatur experientia. Et D. Paulus ait Rom. 10. *Sed, an non audierunt* ? verum non omnes auscultarunt Evangelio. Nihilominus tamen, hoc ipsum vocale *Evangelium*, dicendum Verbum Dei, *potentiam Dei ad salutem omni credenti* Rom. 1, ita quod per illud, Deus vocet atque trahat, quos velit, per Spiritum suum sanctum. Si quid porro est in hoc articulo, à nobis utrinque scriptis mandatum, de quo ita clare & expresse nos inter nos intelligere non possimus (nam eadem methodo & phrasi pariter uti nequimus) in eo D. *Capito* & *Martinus Bucerus* noverint commode mediatores se præstare, ut perspicue & expresse & quam optime explicentur singula. Quemadmodum ego prorsus de ipsis confido, facere id eos summa fide & diligentia, & porro etiam facturos, sicuti ne hactenus quidem secus de ipsis quidquam licuit cognoscere.

Ad eundem modum, quod ad secundum articulum, de

de Baptismo, ſpectat, nullam invenio diſcrepantiam. Nam, veluti de Verbo vocali jam dictum eſt, ita etiam tenemus, quod ſolummodo Aqua & Verbum (quod in Baptiſmo præcipuum eſt) abſque Spiritus Sancti operatione interna nihil exterius efficiant; exiſtente tamen ejusmodi Baptiſmo, externo Dei ſigno, immo medio & inſtrumento, per quod Deus in nobis operetur, ne omnino vacuum aut inane hominis reputetur ſignum aut ſymbolum.

Quod tertium articulum, de Sacramento corporis & ſanguinis Domini, attinet; neque hactenus aut docuimus aut etiamnum docemus, Chriſtum de cœlo ſeu dextra Dei deſcendere aut aſcendere, ſive viſibiliter, ſive inviſibiliter. Permanentes hoc pacto firmiter apud articulum fidei; *Aſcendit ad cælos, ſedet ad Dextram Dei, inde venturus eſt &c.* Dei omnipotentiæ relinquimus, quomodo nobis ipſius corpus & ſanguis detur in Cœna, ubi ex illius mandato convenitur & ejus inſtitutio celebratur. Nullam cogitamus hic fieri aut deſcenſionem aut aſcenſionem, ſed manemus ſimpliciter & candide apud ipſius verba: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus.*

Quod ſi quemadmodum ſupra attigi, hac etiam in parte, non ita perfecte nos invicem intelligeremus, nihil hac vice conſultius, quam ut amice in nos mutuo affecti, perpetuam viciſſim à nobis tantiſper expectemus Benevolentiam; usque dum turbida iſta aqua quaſi defæcetur; atque tunc D *Capito* & *Martinus Bucerus* facile quod ex uſu erit, poterunt conſulere, tum in his tum in cæteris omnibus; modo ipſi corda componamus, & ſimultates miſſas faciamus, quo detur locus Spiritui Sancto,

Porro ad ſtabiliendam charitatem atque concordiam amicam, quatenus noſtram partem, præcipue vero meam perſonam concernit, libenter omnem offenſam to-

to

to corde depono, vobiscum acturus sincera fide atque benevolentia. Nam ut maxime nos, qui serio huic negocio incumbimus, omnem, quantum in nobis est, movemus lapidem, nihilominus peculiari Dei indigemus consilio & opera. Præsertim quum Sathan, nobis pariter & concordiæ inimicus, nullo negotio suos reperire valeat, qui saxa atque arbores in viam conjiciant, ne nobis opus sit, nos invicem simultatibus & suspicionibus gravare. Quin potius igitur corda atque manus mutuo porrigimus, combinamus atque firmiter connexa retinemus, ne deteriori in loco sint res nostræ, quam erant hactenus unquam.

De Excommunicatione & Clavibus, recordari non possum, an unquam inter nos ulla dissensio extiterit & controversia. Fortassis etiam hac in parte apud vos explicatius aliquid extat comprehensum, ita, ut (si alioquin cætera omnia rite se habeant) in hoc concordia, nullum, Deo volente, patietur impedimentum aut remoram. Amen.

Hæc habui, quæ hac vice, quam brevissimis responderem V. P. scripto, rogans velitis ista ita boni consulere. Meum enim animum occupant indies multa negotia, graves curæ, adeo ut non possim tam commode uni rei vacare, quasi unius solum atque alterius generis distraherer molestia. His V. P. & omnes pariter vos atque vestros, commendo Patri omnis misericordiæ & consolationis. Is utrinque nos donet Spiritu suo sancto, qui corda nostra tanquam conflata uniat in vera dilectione, & expurget omnem scoriam atque rubiginem humanæ simultatis atque Diabolicæ malitiæ & pravitatis, in gloriam & laudem sancti nominis ipsius & salutem multarum Animarum, in despectum Sathanæ & Papæ atque adeo omnium sectatorum ejus. Amen. I. Decemb. Anno 1537.

V. P. *benevole addictus Martinus Lutherus.*

Considerent nunc Reges, Principes & docti moderatique Theologi, quam utile necessariumque sit, ut Confessio aliqua, simplex & perspicua & ad salutem sufficiens, de sacra Cœna Domini proponatur: Deinde, ut modus præsentiæ sacramentalis & manducationis corporis Christi plane & perspicue declaretur: Vel, si id commode effici non possit, ut inter Theologos de phrasi seu formula aliqua loquendi conveniat, quo perniciosissimæ contentiones hanc ob causam excitatæ, finiantur: Quod certe doctissimis & piis Theologis erit facillimum, & merito ab ipsis expectandum est. Nam ipsis notissimum est, quosdam Theologos ut probarent corpus Christi latere in Sacra Cœna, & ab impiis comedi, multas paradoxas opiniones de persona Christi, de ejus ascensione, & sessione ad dexteram Dei Patris proposuisse: quibus fundamenta nostræ religionis convelluntur, præcipui articuli in dubium vocantur, multæ hæreses in Ecclesias Christi invehuntur, & Respub. in extremum discrimen adducitur, &, quod minime prætermittendum est, Papismus confirmatur, & plana ad Mahometismum & Atheïsmum paratur via. Quod si Theologi res ad salutem necessarias, à non necessariis, (ut eos decuit) distinxissent, & de iis certi aliquid statuissent, jam dudum pax firma & generalis inter Principes omnes Christianos, constituta esset. Ut igitur communi consilio, consensu & authoritate Regum, Principum & Theologorum reformatæ religionis, perniciosissimæ illæ de præcipuis nostræ religionis capitibus contentiones dirimantur, & prorsus tollantur (gravi pœna iis indicta, qui ob has causas sunt Rempub. perturbaturi) Synodus generalis ab omnibus tranquillitatis publicæ studiosis, ardentissimis votis merito expetenda & diligenter procuranda est. Hæc media mihi videntur usitata, facilia & commoda ad pacem (sublatis non necessariis contentionibus) Ecclesiis Christi restituendam.

Hic

Hic prætermittere non possum quin vos Theologos omnes coram justum Dei tribunal vocem: Ut pro ea fide quam Christo Filio Dei, & vestris magistratibus debetis, his magistratibus vestris vere aperte & sincere declaretis, an multæ quæ nunc agitantur contentiones inter aliquot Theologos de Persona Christi, de ejus ascensione in cœlos, & sessione ad dexteram Patris (quum hæc sancti Patres Christiane, luculente, & sufficienter tractarint atque explicuerint) sint ad salutem necessariæ vel non necessariæ, an sint probandæ vel improbandæ? imo, an non sint pleræque tanquam perniciosæ & impiæ, execrandæ, rejiciendæ, & ab omnibus condemnandæ? At, cum hic de Ecclesiarum Christi & totius Reipub. conservatione agatur, nonne vos Theologos decet (si Christum Deum esse creditis) ut in re tanti momenti & ad gloriam Dei maxime pertinente, vestro officio probe atque integre satisfaciatis? Præter hæc, cum restet tantum controversia de modo præsentiæ Sacramentalis & manducationis corporis Christi in Sacra Cœna, transigenda & finienda, si media à me pio animo proposita improbentur, nonne æquissimum est ut commodiora proponatis? Ut sublatis perniciosis contentionibus, pax Ecclesiis Christi & Reip. restituatur. De iis vero cum nihil certi decerni nec constitui nisi per generalem Synodum possit, certo mihi persuadeo, vos hanc sincere, diligenter & summa fide procuraturos esse.

Nunc ad Censores illos Theologos & Ecclesiarum Judices convertenda est oratio, & ipsis luculente demonstrandum, quanta & quam perniciosa illi in Rempub. invexerint mala: quæ indies invalescunt augenturque: Ut vere sincereque admoniti, ea præstent quæ probos & pios Theologos decent. Nam graviter illos in Ecclesiam Dei peccasse evidenter probabo. At si quæ illi ignorantia, aut scientes & volentes commiserunt,

 non

non correxerint emendarintque, sentient certe Deum atrocia scelera, atrocibus pœnis punire.

I. Primum. Ex eorum libris publice editis unicuique constat, illos, Ecclesias *Anglicas*, *Gallicas*, *Belgicas*, *Scoticas*, *Helveticas* & multas alias idem in religione sentientes inauditas & audiri maxime cupientes, tanquam hæreticas & impie de religione Christi sentientes, condemnasse, martyres Diaboli (dum in summis periculis versarentur, atque undique premerentur) vocasse, minusque Scythis ac Turcis ferendos esse, statuisse. At certum est, dum illi *Anglicas* & *Gallicas* tanquam hæreticas condemnant, quod idem crimen Serenissimæ Angliæ Reginæ, Serenissimo Regi Navarræ, & plurimis aliis Principibus attribuant imputentque.

Censores illi ignari non sunt Pontificem Romanum & Ducem Albanum Serenissimæ Angliæ Reginæ, periculosas insidias sæpe præparasse: quas illa singulari Dei gratia & auxilio evasit. Judicent nunc viri prudentes, an aliis evidentioribus gravioribusque argumentis, Romanus Pontifex impelli possit, ad piissimam illam Reginam proscribendam & novos motus in ipsius Serenitatis Regno excitandos, quo facilius (ejus Regno perturbato) illa vi vel insidiis opprimatur, quam hujuscemodi condemnationibus vel potius execrationibus.

Perpendant etiam omnes tranquillitatis publicæ studiosi, an quis expeditiora & commodiora iis media excogitare potuerit, ad Serenissimum Galliæ Regem movendum, eique persuadendum, ut pacem cum suis subditis sancte sancitam, & solenniter juratam violet? Considerent quoque Reges, Principes & Potentatus Euangelici, qua commodiore ratione Serenissimus Hispaniarum Rex averti possit, ne suis in Belgio subditis Euangelicis, exercitium veræ religionis permittat.

II. Multi ministri verbi Dei, tum in aulis quorundam Principum, tum in plurimis Civitatibus & pagis Germaniæ

maniæ horum Cenſorum Theologorum Judiciis confirmati, ſcriptis publice editis inſtructi, & multis literis privatim miſſis impulſi incitatique nullas fere conciones habent, quin in dictas innocentes Eccleſias invehant, illis aperte detrahant & tanquam execrandas devoveant diris. Sic horum Judicum arte & induſtria, ſancta Chriſti membra lacerantur diſtrahunturque & graviſſimæ contentiones inter Eccleſias Chriſti excitantur, ut tandem miſerrime omnes obruantur & pereant.

III. Unicuique conſiderandum relinquo, an ulli unquam Scythæ aut Turcæ tam iniqui fuerint, an ulla unquam tam inhumana atque effera gens extiterit: quæ vicinos ſibi Reges, Principes vel Respub. inauditas, & ut audirentur obnixe petentes, condemnarint, & tam turpiter ipſis detraxerint, quam Judices illi tot optimorum Principum de Repub. bene meritorum, totque piiſſimarum & innocentium Eccleſiarum (quæ ſumma fide & incredibili conſtantia gloriam Chriſti promovent, & ipſius ſincerum & purum verbum ſanguinis ſui profuſione tuentur & conſervant) famam & nomen impudenter publice & falſo lacerarunt? An quis etiam fuerit, qui arte & induſtria acutiore perniciosioreque uſus ſit, ad hoſtes ſuos ulciſcendos, quam ii Judices, ad innocentes piosque Reges & Principes, innumerasque Chriſti Eccleſias circumveniendas opprimendasque?

Hic ego me omnium proborum hominum judicio lubens ſubmitto, an ii non ſint effectus & vires actionum & conſiliorum horum Cenſorum & Judicum? An hæc etiam ipſis vere objici atque exprobrari non poſſint, meritoque debeant? Quæ à me expreſſe referuntur, ut illi hac vehementi & tam vera admonitione diſcant ſapere, & cum profundiſſima tot Eccleſiis intulerint vulnera, mature commoda adhibeant remedia, quibus illa ſanari poſſint & Respub. conſervari.

At cum illi tot Reges & Principes, totque Ecclesias publice condemnarint, & ex iis condemnationibus maximi & periculosi motus in Repub. excitati sint, perniciosioresque metuendi: certe leges divinæ & humanæ requirunt & ipsa natura dictat, ut pars condemnata audiatur, cum id obnixe petat: ut juste an injuste condemnata sit, cognoscatur. Ut autem hæc certo ordine & legitime agantur, tractentur & decernantur, duo media proponam. *Prius* ut Synodus in Germania instituatur, ad quam Serenissima Angliæ Regina suos commissarios certe se missuram esse promisit: in qua, partibus legitime auditis jureque omnium probe diligenterque considerato, sententia de hisce controversiis pronuncietur, ut in veteri Ecclesia receptum atque usitatum fuit.

Censores illi negare nec diffiteri possunt, quin aliquot Germaniæ Principes Euangelici, plurimique doctissimi Theologi ab aliis Euangelicis Principibus petierint, ut Synodus communi consensu in Germania indiceretur: Fatentur etiam aperte censores ipsi, hæc prudentissima & utilissima Principum & Theologorum consilia, sibi ab aliis Principibus (pro eo Zelo quo in Rempub. Christianam feruntur) esse communicata: ut media quibus concordia facile constitui posset, ab ipsis cognoscerent & de iis edocerentur. Declarent igitur censores illi, quæ ratio facilior certiorque iniri potuerit, ad has controversias dirimendas finiendasque quam per liberam & generalem Synodum in Germania. Præterea causas referant, cur tot Germaniæ Principum, sapientissima & salutaria consilia, & tantopere ab omnibus piis expetita rejecerint, eaque tanto artificio hactenus impediverint, impediantque. Scio quidem, omnibus ex horum censorum scriptis publice editis constare, eos prætexere, nihil à tali Synodo boni expectandum, priusquam eorum dogmata à Principibus & Rebus pub.

pub. Germaniæ probata & recepta essent. At quænam sunt illorum dogmata? Ut omnes credant corpus Christi esse in lignis, lapidibus & etiam in locis, quæ sine pudore nominari non possunt. Ut etiam multæ veteres hæreses renoventur, hisque Ecclesiæ Christi corrumpantur, ut luculente & sufficienter à quibusdam Germaniæ Theologis demonstratum est. Sed iis relictis, declarent illi, quibus legibus, quorum exemplo, qua authoritate sibi tantum tribuant, ut soli de rebus ad gloriam Dei & totius Reipublicæ Christianæ salutem pertinentibus, decernere & dijudicare audeant? probent etiam, sibi licere Reges & Principes inauditos & audiri cupientes, condemnare, cum id sit veterem & usitatum Ecclesiarum morem rejicere, & leges divinas ac humanas pervertere. Præterea, cum Censores isti de felici suorum hac in re consiliorum successu minime dubitarent, illi suum *Concordiæ librum* ad multos Principes & Respub. Protestantes miserunt, petieruntque ut ei subscriberent. Nec iis contenti, præcipuos illorum Principum consiliarios & ministros, tum per literas, tum per suæ factionis selectos viros diligenter sollicitarunt, magnisque precibus ab ipsis contenderunt, apud suos Principes efficerent, ut in eos qui ipsorum impiissimis decretis adversarentur, severissime animadverterent, nec in ipsorum ditionibus ferrent. Hæc vero cum verissima sint, quis non videt eos non media pacis ineundæ proposuisse (ut ipsis à piis Principibus injunctum est) sed potius accurate in id elaborasse, ut omni spe pacis restaurandæ adempta, Principes amicos inter se committerent? & pacatas Ecclesias, pietatis prætextu perturbarent? atque etiam Hispanicam inquisitionem in Germaniam inveherent?

Hic ab omnibus piis Lectoribus reverenter peto, ut perpendant, jure nè an injuria hæc istis censoribus objiciantur? imo an non deceat omnes pios & publicæ tran-

tranquillitatis studiosos illos execrari, donec causas declararint, cur ipsi tot prudentissimorum Principum & doctissimorum Theologorum Germaniæ, commoda & usitata media pacis onstituendæ, tanto artificio impediverint impediantque? Cur etiam tot Reges & Principes innocentes inauditos condemnarint? nec audiri patiantur? Nam Serenissima Angliæ Regina ultro promisit se dignos legatos ad illam Synodum missuram esse. Idemque à Serenissimo Rege Navarræ, earum ditionum nomine, in quibus merum habet & absolutum imperium, tum omnium Gallicarum nomine (si id Serenissimus Gallorum Rex ei concesserit) & à multis aliis Principibus & Magistratibus est expectandum.

Alterum medium hoc est, quod si justo Dei Judicio ob peccata nostra Synodus hæc in Germania tantopere à piis desiderata, tamque necessaria horum censorum malignitate & industria impediatur, æquum tamen est, ut illi aliquos ad Serenissimam Angliæ Reginam mittant, qui ipsius Serenitati illas hæreses & eos errores quos ipsius Regni Ecclesiis imputant, coram explicent: & de iis cum ipsius Serenitate Principe clementissima & doctissima conferant: illa certe ea est clementia & benignitate, ut eos de rebus tanti momenti sit lubenter auditura: Et cum ipsis de rebus controversis benigne & patienter communicatura. Ex hujus vero colloquii actis, unicuique facile constabit, quas ipsius Serenitas & Anglicæ Ecclesiæ hæreses tuentur: Vel aut piè & Christiane de omnibus articulis nostræ religionis sentiant. Quod si Anglicæ Ecclesiæ, alicujus manifesti erroris convincantur, licebit jure optimo istis censoribus, ubi idoneè eas errare probaverint, condemnare. Si vero illas pie & sincere de religione sentire intellexerint, nonne æquissimum est, si qua pietas, si qua Christiana charitas, si ullus concordiæ amor, si quis denique Dei metus in cordibus ipsorum sit, ut se igno-

no-

norantia peccasse confiteantur & agnoscant. Deinde ut publice Deo gratias agant, quod illæ Ecclesiæ quas hæreticas esse existimabant, pie & christiane de religione sentiant.

Præterea cum quidam Principes & civitates Germaniæ horum censorum judiciis & scriptis publice editis, de tot Principibus & Ecclesiis pessime sentiant, certe legibus christianis sancitum est, & mutua christianorum charitas requirit, ut isti censores vicissim publice dictarum Ecclesiarum innocentiam & integritatem testentur: Ut Ecclesiæ ab ipsis censoribus male informatæ & institutæ, aliarum Ecclesiarum innocentia & religionis puritate perspecta, ipsis detrahere desinant, & sublatis detractionum causis, inter Ecclesias vera & fraterna fiat reconciliatio, mutuaque benevolentia (ut membra Christi decet) sese amplectantur. At cum illis summis Pontificibus omnia decere & facere impune liceat, vereor ne illi piis admonitionibus parum moveantur. Verum, si illi Rempub. perturbare & suæ factionis concionatores in Germania hortari, ut aliis Regibus & Principibus innocentibusque Ecclesiis detrahere non desinant, Ego certe spero quod tandem Reges & Principes impudenter falsoque accusati, eos manifesti mendacii convincent, & detractores, calumniatoresque impudentissimos ac pacis publicæ perturbatores sceleratissimos esse probabunt, ab eorumque magistratibus petent, ut de ipsis tanquam de reis & manifeste convictis criminis læsæ Majestatis divinæ & humanæ supplicium sumant: nec diutius patiantur has pernitiosissimas & contagiosas pestes in Repub versari.

At quoniam multi existimant Ubiquitarios istos sua consilia cum Pontifice Romano & suæ factionis primoribus communicare: ad Papismum in veterem dignitatem restituendum, & Christi Ecclesias funditus evertendas: Ego me Reipub. plurimum profuturum spero, si

tam perniciosas conspirationes aperte declaravero. Ut Evangelici Principes iis tempestive occurrant, eaque pericula mature avertant, quæ ipsis imminere certum est.

Demonstratum prius est quosdam Germaniæ Principes pro ea cura quam pro Repub. gerunt, quorundam aliorum Principum Evangelicorum consilia de hisce contentionibus componendis, aliquibus Theologis, (sed summis Ubiquitatis defensoribus, & ut dicitur authoribus) proposuisse, ut eorum consiliis ad pacem facilius Ecclesiis diffidentibus restituendam, juvarentur. At Ubiquitarii isti eam sibi hac ratione occasionem datam esse rati, qua de Pontifice Romano, & suis defensoribus (quorum auxiliis & favore suas actiones dirigunt & promovent) optime mereri possent, quosdam alios Doctores Theologos sibi adjunxerunt, Viros quidem doctissimos, sed faciliores & negotiorum civilium magis ignaros, quam res quæ tractabantur requirebant. Hinc istius *libri Concordiæ* initium. At quoniam satis norant illi, graves & vehementes fuisse & esse inter quarundam civitatum Germaniæ concionatores, & Calvinum Calvinistasque contentiones, cum iis primum consilia sua communicant, à quibus facile probata sunt, & communi consilio decretum, omnes Calvinistas hæreticos esse toto imperio depellendos. Cum igitur illi aliquot Germaniæ civitates illorum concionatorum industria sibi faventes, eorumque actiones comprobantes haberent, existimarunt eadem facillitate, parique successu Principes Germaniæ Evangelicos *librum* illum *concordiæ* recepturos & confirmaturos esse. Verum singulari Dei gratia accidit, ut quidam Germaniæ Principes, quorsum horum Ubiquitariorum consilia tenderent, & quis eorum esset finis, præviderint, & se iis aperte opposuerint. Nam si Principes & civitates Germaniæ Evangelicæ unanimi consensu decrevissent sancis-

cissentque, ex suis ditionibus omnes Calvinistas expellendos esse (ut Ubiquitarii illi tam sollicite procurarunt & adhuc procurant) dubium non est quin Pontificii in publico Ordinum imperii conventu ab Evangelicis petiissent, cur diutius Calvinistas in suis ditionibus, nec ferrent, nec esse paterentur. Ego sane mihi persuadeo, Principes Evangelicos fuisse responsuros, id se maturo deliberatoque consilio fecisse: ut universo orbi constaret eam religionem quam profitentur, puram & vere christianam esse, omnique labe carere. Hic omnes pios lectores & pacis tranquillitatisque publicæ studiosos oro ut diligenter perpendant, quanta lætitia & animi alacritate, hoc Evangelicorum decretum ab omnibus Pontificiis receptum comprobatumque fuisset. Ex iis vero manifeste sequitur, quod tum communi omnium Ordinum imperii consensu & authoritate decretum constitutumque fuisset, omnes Calvinistas toto imperio pellendos esse, minimeque ferendos. Hæc vero si decreta & ab omnibus ordinibus recepta comprobataque fuissent, certo inferri potest, quod hac ratione bellum Anglicis & Gallicis Ecclesiis omnibusque aliis, quæ eandem religionem profitentur, non obscure indiceretur. Insuper, si quis ex Evangelicis in Imperio illi *libro concordiæ* non subscripsisset, ille publice proscriptus fuisset eique aqua & igne interdictum: more in Germania usitato. Judicent nunc omnes prudentes & politici viri, an ii non sint veri effectus actionum & consiliorum illorum Ubiquitariorum? Cogitent præterea omnes sapientes, quid excogitari potuit acutius, vel hisce mediis commodius, ad odium irreconciliabile inter Ecclesias Germaniæ & alias inter quas est de religione controversia, excitandum? Nam si ab omnibus Ordinibus imperii tam Evangelicis quam Catholicis, Ecclesiæ *Anglica*, *Gallica*, *Belgica*, multæque aliæ quæ sunt ejusdem religionis sub nomine Calvinistarum, hærese-

os condemnatæ fuissent, & sceleratiores Scythis & Turcis declaratæ, minimeque in ditionibus imperii ferendæ, quæ postea ratio reconciliationis inter dictas Ecclesias institui aut proponi potuisset? Quid vero hisce condemnationibus & execrationibus commodius expeditiusque ad omnes Ecclesias Evangelicas opprimendas prorsusque evertendas? Hic haud dubie mihi objiciet aliquis, Reges & Principes Protestantes prudentiores esse, quam qui permisissent horum Theologorum consilia, hisce artibus ad tales effectus pervenire. At si morbus tantas & tam profundas radices egisset, quibus remediis postea curari potuisset? Nam, quam parum abfuerit quin illorum Ubiquitariorum consilia, ad eum finem quem cupiebant perducta sint, effectus ipsi aperte demonstrant, ut plenius & evidentius declarabo.

Nam ego pro certo affirmare possum, Serenissimum Gallorum Regem *Henricum*, cum in Polonia esset, constituisse, se pacem in Regno Galliæ sincere servaturum esse, nec passurum, ut bellis civilibus rursum implicaretur: Certum etiam est, cum ille in Italiam venisset, Pontificios nullis argumentis nec rationibus vehementioribus nec urgentioribus usos esse, ad eum impellendum ut bellum Evangelicis sui Regni inferret, quam quód Protestantes Germaniæ eos hæreseos condemnarent, minusque Turcis & Scythis ferendos esse publice declararent: quos si ille (qui Christianissimi nomen haberet) tueretur & defenderet, eum universum orbem in se concitaturum esse; Rex vero ille hisce machinis & tormentis adortus, & tandem victus, bellum suis subditis Evangelicis intulit, illosque in eas angustias redegit, ut nec terra, nec mari ullas haberent copias, quas Regiis exercitibus opponere possent: At cum omnes Evangelici de sua salute desperarent, tum Deus afflictarum Ecclesiarum misertus, Regis illius animum movit, flexitque ita ut pacem tolerabilem ipsis con-

concesserit, eamque inviolatam hactenus conservarit: idque Pontifice Romano & suæ factionis Principibus invitis ac indigne admodumque ægre ferentibus: Hæc veriora sunt & manifestiora, quam quæ testimonio aut alia probatione indigeant

Notum etiam omnibus est, Ser^am. *Angliæ Reginam* aperte Euangelicos Regni Galliæ juvisse, liberaliterque ipsis subvenisse. At cum sapientis sit prævidere futura, nec tantum considerare quid evenerit, sed etiam quid accidere possit, ut quæ nocitura sunt, mature sua prudentia impediat & avertat. Perpendant Reges & Principes Euangelici, Gallicis Ecclesiis oppressis atque eversis, si Catholici totis viribus Ser^mam. Angliæ Reginam adorti fuissent, in quo periculo illa versata fuisset? à quibus auxilia expectasset, cum Euangelici Germaniæ illam hæreticam esse pronuntiassent? Vos Reges & Principes Protestantes, vos Germaniæ Principes Evangelici, ubinam est illa vestra antiqua animi magnitudo, justitia, integritas, & æquitas, cæteræque aliæ virtutes, quæ vos hactenus toti orbi commendarunt? Vobis manifeste constat Deum singulari misericordia afflictas Ecclesias ex præsentibus & certis periculis liberare, & vestri Ubiquitarii illas aperte oppugnant & evertere conantur.

Serenissima Angliæ Regina ab his Ubiquitariis, multique alii Reges & Principes hæreseos publice condemnati sunt. Qui à vobis amanter & quasi supplices petunt ut audiantur: ubi? In Germania. Coram quibus? coram illis Principibus, qui tantopere de Sanctitate suæ religionis gloriantur. Et id tamen ab illis impetrari non potest. Quid si Turcæ & Scythæ à vobis condemnati essent, orarentque ut audirentur, qua æquitate, quibus legibus id ipsis denegaretur? Et nos de nostra religione gloriabimur?

Vos pii & æquissimi censores Theologi, quid unquam

quam aliud Lutherus, Bucerus, Melanthon, & alii doctissimi Germaniæ Theologi ardentioribus votis à Deo maximo petierunt? quid magis urserunt quam ut ipsis cum adversariis de articulis controversis in religione publice conferre liceret? Vos scitis Carolum V. Imperatorem & alios etiam Imperatores id ipsis non gravate concessisse. Vos vero Sancti Patres cur tam accurate impeditis, ne Serenissima Angliæ Regina ab Evangelicis Germaniæ Principibus idque in Germania audiatur? Vos certe (si vera dixeritis) ita respondebitis. Nos Serenissimæ Angliæ Reginæ, & multis aliis Regibus & Principibus Euangelicis expresse impudentissime detraximus, eosque gravissimis injuriis affecimus imo hæreseos condemnavimus, ut tot tamque acerbis criminibus commoti, idem de Principibus Germaniæ statuerent, & tandem ea libertate, suum honorem, & piissimarum Ecclesiarum ipsis à Deo commissarum innocentiam tuerentur, qua nos turpiter & maligne eorum famam laceravimus. Ut irritatis Principum utrinque animis, omnique spe reconciliationis sublata, facilius omnes ab hostibus circumvenirentur, opprimerenturque. Papismus vero in integrum restitueretur:

Ii sunt vestræ institutæ concordiæ fructus, sancti Patres, is est laudatissimus vestrorum consiliorum finis. O justa & admiranda judicia tua Domine. O Principum Euangelicorum cœcitas & negligentia in tantis Reip. periculis & perturbationibus. O immoderata talium Theologorum libertas, authoritas, & intoleranda superbia. Vos Reges & Principes Evangelici, rursum per nomen Sanctum Dei oro, ut magnitudine imminentium periculorum perspecta, serio de vera inter Ecclesias Christi reconciliatione cogitetis, quod certe erit facillimum si controversiarum causas recte atque integre intellexeritis: & res ad salutem necessarias, à non necessariis destinxeritis. Theologos vero in officio continueritis. Nam

Nam in iis Reipub. & Ecclesiarum Euangelicarum salus consistit: Deus Pater Jesu Christi suo spiritu Sancto, mentes Regum & Principum Evangelicorum illuminet, eorumque corda moveat, ut sublatis contentionum causis, pax & tranquillitas Christi Ecclesiis communibus omnium consiliis, consensu & authoritate restituatur. Amen. F I N I S.

Num. II.

E P I S T O L A R U M
HENRICI BULLINGERI
Fasciculus.

Ex Autographe in volumine Mſ. Archivi ecclesiæ Gallo Belgicæ Londinensis.. Sub litera. L. a fol. 3--24. incl. *descriptus*.

A.

Ad Johannem UTENHOVIUM, Gandavum, jam *in Anglia* degentem, Cantabrigiæ.

S. D. Magna cum voluptate legi literas tuas, vir præstantissime, Argentina 7 Julii datas. Buceri scripta, quoniam satis multa sunt, non potui involuta, tanto itineri committere. Scis tabelliones abhorrere à libellis, & sarcinulis literarum. Si nancisci posses editionem ejus in IV. Evangelistas, editam anno dni 1530 invenires ipse totam quam cupis descriptam disputationem *a*). Si vero non dabitur copia libri, ali-

a) Intelligit *disputationem Bernæ* A. 1528 habitam, quam *Mart.* BUCERUS in Ep. dedic. ad Magistratus & Evangelii Ministros *Bernenses* præmissa Comm in Evang. Johannis enarravit, quamque inseruimus *Histor. nostr. Reformat.* Tom. II. pag: 353—360.

alias curabo, ut descriptam habeas; jam profecto non potui à tabellione impetrare. Addebat, se cum periculo vitæ, hujus generis libellos portaturum. Burcherus nihil à me postulavit. Nam operam meam illi non negabo, ulla in re. Consensionem meam & D. Calvini in re sacramentaria *a*) in certam formam conscriptam, misi D. Hoopero, at ea conditione, ut & tibi communicet. Bernenses nondum responderunt certo, quid facturi sint. Nos fortassis vulgabimus. Nam non putamus, vel Bernenses, vel alios viros bonos, quicquam in veritate tam clara damnaturos. Ac plurimi referet, etiam alias nationes novisse, nobis convenire per omnia. Nos hic pergimus nostro more in ecclesia & repub. sicuti progredientes videbas, cum hic apud nos esses. Deus gratiam suam nobis concedat, ut in vero & bono perseveremus, in finem usque. Tigurini & Bernates perseverant in suo proposito: Basilienses, Schaffhusiani & Rhæti amplexi sunt fœdus illud Gallicum, una cum aliis quibusdam. Ego meliora illis opto, quam recepturi videantur. Ora Dominum pro nobis ut semper nos dirigat Spiritu suo. Plura ad D. Hooperum, quem scio tibi nihil negaturum. Vale, iterum atque iterum vir præstantissime, & æternum in Domino colende frater, Tiguri ultima Augusti 1549. Salutant te D. Gualtherus, Bibliander etc.

Non relegi, ita festinavi.

H. Bullingerus tuus ex animo.

B.

a) Vid. HOSPIN. Hist. Sacram. II. 210. b. sq. Conf. BEZÆ. Op. P. II. Apol I. adv. Claud itemque LAVAT. Hist. Sacram. 98 sq. SIML. vit. Bulling. p. 24. HOTTING. Histor. Reform. Helvet. T. III. p. 784. 785.

B.

ad EUNDEM Londini.

S. D. Ex tuis 9 Aprilis & 14 Augusti scriptis literis, & una missis, acceptis autem sub finem Septembris, nullo negotio, intelligere potui, meas periisse in itinere, neque hactenus tibi esse redditas. Piget me laborum, ac dolet sic refrixisse charitatem, ut nulla sit amplius, apud plerosque, vel gentilitia æquitas. Libenter tuas legi, sed non sine dolore, ea, quæ commemoras de H. nostro. Recte autem judicare videris, qui arbitraris, hoc ei non sine singulari Dei providentia accidisse. Lapsu suo humiliatus Petrus didicit minus sibi ipsi fidere, & ardentius Deum revereri. Atque hic finis spero erit & apud D. Hop. a) quem audio in officio suo laboriosum, indefessum, & mirifice diligentem esse. Faxit Deus, ut sic pergat, & multis annis fidelis sit ecclesiæ Dei. Jubeo autem te securum esse. Nihil apud ipsum unde hæc acceperim effutiam. Scio, quam referat tenacem esse silentii. Placet autem, & gratias ago Domino Deo nostro maximas, quod ita pulchre ædificatur & increscit ecclesia Christi, peregrinorum. Dominus sic provehat Regnum filii sui dilecti ad Gloriam ipsius, & multarum animarum salutem. Vestrum fuerit omnia dirigere ad ædificationem, gratias subinde agere Domino, eumdemque orare pro incremento & confirmatione veræ pietatis. Furit enim in orbe Sathanas: commiscet omnes potestates, & ipsos fideles per tyrannidem principum, variis affectos tormentis interficit. Oramus pro confratribus nostris. Concilium Tridentinum

a) De JOH. HOOPERO Episcopo Glocestriensi tria verba fecimus in *Hist. Reform. Anglicæ* Tom. IV. p. 374. quibuscum conferri debent quæ à SALIGIO sunt annotata in Hist. Aug. Conf. T. II. p. 444. & 491. sq.

tinum adhuc cohæret, & consultat de patrocinio Antichristianismi. Ac Cæsar nuper Augusta relicta profectus est Oenipontem, quo & proximior sit beatis patribus, sibi non parum in istis turbis metuentibus. Sævit enim bellum in Italia, in Pedemonte & Hungaria. Id quod debemus tyrannidi & avaritiæ procerum, Cæsaris inprimis. Orate pro nobis Dominum, ne ex vicino malo contrahamus ingens malum. Cupio commendari Clariss. Viro *Joanni a Lasco* Baroni Polono, ad quem cum nundinis proximis dederim paulo copiosiores, ejus expecto responsum. Vivat & valeat diu benedictus a Domino. Salutabis eum humanissime meo nomine, & admone illum, me ejus magno expectare desiderio epistolam. De liba non habeo quod scribam, quam quod libenter omnem meam operam tibi, vel in majoribus impenderem, si modo scirem cujus generis libam velis. Vereor enim ne gustaris Augustanam, qualem huc secum tulit D. Musculus, sed tales hic non habemus. Inquiram tamen ex D. Burchero, qualem tibi dederit. Interim vale & me ama. Commendo me tuis & omnium piorum precibus. Tiguri. 8 Novembr. 1551.

H. Bullingerus tuus.

C.

Ad EUNDEM.
Ecclesiæ peregrinorum apud Embdam Frisiorum seniorem.

S. D. Heri demum tuas, Vir colendissime & frater in Christo charissime, una cum literis D. a Lasco accepi, & has quidem exoptatissimas, ideoque longe gratissimas. Domino Deo vestro sit laus & gratiarum actio, qui liberavit vos ex manibus persequentium, & posuit in locum commodum.. Is vos tueatur, servet, &

& protegat in perpetuum. De rebus omnibus ſcripſi ad D. à Laſco dominum & fratrem venerabilem, & chariſſimum, qui cum tecum omnia communicet, non putavi neceſſarium in multis & variis meis negotiis idem repetere. Roſtochii, ad mare Balthicum profitetur quidam, D. *David Chytræus*, vir pius & doctus, de quo mihí majorem polliceor humanitatem, quam de reliquis Lutheranis. Scribitote ad illum, & *tentate, num & ipſe Vos aſpernari* velit. Scio *utique in illis partibus eſſe viros bonos, ſed timidos*, ut qui propter ferociam Lutheranorum, & inſolentiam ipſorum nimiam, ſibi metuant. Non ita pridem quorundam bonorum conſilio & precibus acquievi, atque libros meos, de gratia Dei juſtificante nos propter Chriſtum per ſolam fidem absque operibus &c. Regi Sereniſſimo Danorum dedicavi, eique miſi opus. Forte efficient Lutherani, ne accipiat librum à Schwermero. Hoc enim honeſto, imo væſano vocabulo nos inſigniunt. Deus ignoſcat illis, & concedat ſpiritum ſobrietatis humanitatisque. Expecto à te & à Martino noſtro (ſcil. *Micronio*) frequentes literas, quas ſi Argentinam miſeris, in ædes D. Burcheri Angli, facile is per Baſilæam illas ad me mittet. Commode fortaſſis perferentur Francofordiam primum ad Mœnum. Sed invenietis ipſi viam. Salutabis D. Martinum Micronium. Gratulor utrique, quod ex hoc naufragio *a*) incolumibus rebus enavigaveritis. Deus liberet nos omnes à malo. Vale cum piis omnibus. Tiguri 17 Maji Anno 1554.

Inprimis vero ſalutabis mihi veterem Amicum & fratrem D. *Gerhardum thom Kampe*.

H. Bullingerus tuus.

Hhh 2 D. Ad

a) Difficilem illam innuit peregrinationem, quam in *Hiſt. Ref. Belg.* §. LXVIII. p. 235 ſq. deſcripſimus, & quam ipſe *Utenhovius* ſingulari edito libello enarravit.

D.

Ad EUNDEM in Polonia agentem.

S D. Immortales tibi, optime frater Utenhovi, gratias agimus, pro copiosa, accurata, & diligentissima scriptione tua; imprimis autem gratias agimus, quas debemus, Domino Deo nostro, qui clarissimo Viro D. *Joan à Lasco a)* tantam dedit gratiam apud Sereniss. Majest. Regiam. Oramus eundem Dominum Deum nostrum, ut quod per vos cœpit feliciter perficiat. *Palatino Vilnensi b)* scripsi, cujus quidem scripti copiam his tuis inserui. Cuperemus hic modis omnibus, Regem moliri reformationem, & quidem per D. à Lasco. Videtur is nobis integer, purus, & simplex esse in religione vera. Si plures ex aliis advocaverit locis, scis, quanta sit in ingeniis diversitas, & quod plerique suas res quærunt, suas, nescio quales, opiniones habent, ac ceremoniis nimiis fere addicti sunt. Si commoda se offerret occasio dedicandi librum aliquem illustr. Principi Vilnensi, occasionem non negligeremus, idque in ædificationem ecclesiæ. Quod commemorabas Basilianos monachos venisse ex Moschovia, & auditos puram reddidisse fidei confessionem, ejus nos dicti admonuit in evangelio: *& prædicabitur evangelium regni in toto mundo, deinde veniet consummatio.* Pergite vos fideles esse Christo Domino. Cavete à compositionibus religionum diversarum. Unam, solam, veram, synceram evangelicam, pure tradite. A reliquis omnibus abstinete. Scimus venisse ad vos quendam *c)*, qui magis labora-

a) de Joh. à Lasco in *Poloniam* adventu v. Scrin. nostr. antiq. T. II. pag. 736 sq.

b) de *Palatino Vilnensi*, Illustrissimo RADIVILO v. huj. Tom. part. superior. pag. 300 sq.

c) Innuit procul dubio P. P. *Vergerium*.

raverit, pro recipienda Confeſſione Auguſtana, quam pro evangelio Chriſti. Video Confeſſionem illam adeo impedire ſinceram evangelii prædicationem, ut nullam æque aliam rem. Fortaſſis venturus eſt alius quis illo doctior & eloquentior, qui & maxime ſuas opiniones obtrudere volet. Rediturum ſe propediem ſperat ille, qui antea apud vos fuit. Vos autem non poteritis melius vel commodius illos & a vobis & a grege veſtro avertere, quam ſi præteritis omnibus hujusmodi opinionibus hominum confeſſionibusque, inhæſeritis ſymbolo Apoſtolorum, Niceno, ſimilibusque, & apertæ Scripturæ Canonicæ. Deus concedat vobis vires per Spiritum ſuum. Salutant te fratres, & ſymmyſtæ omnes. Salutant te generi mei inprimis. Pro Novo Teſtamento Germanico, quod his demum nundinis Francoford. mihi redditum eſt, ingentes ago gratias. Hac æſtate edidi centum Conciones in Apocalypſin Johannis Apoſtoli, Duas orationes de fine ſeculi, & de periculis poſtremi ſeculi, quæ omnia Baſileæ excudit Joan. Oporinus. Miſiſſem exemplum, niſi vectura fuiſſet incommoda, & iter ſatis longinquum. Attamen, ut aliquid haberes noſtri laboris, mitto 26. in Jeremiam conciones. Bene vale, & me ama, perpetuo tui amantiſſimum. Tiguri 6 Novemb. anno 1557.

Bullingerus tuus.

E.

Ad EUNDEM, ibidem.

S, D. Brevior ſum duas ob cauſas, Vir humaniſſime. Principio quod de rebus communibus fuſius ſcripſerim ad Clariſſ. Virum D. Joann. à Laſco *a*), quem pro-

a) Hanc Epiſtolam Centuriæ Epp. à Reformatis ſcriptarum inſeruit Cl. FUESSLINUS num. LXXXIX. p. 411-418, incl.

pro sua humanitate sat scio cummunicaturum illa tibi, dein quod in præsenti habes vivam epistolam, rerum nostrarum scientissimum D. *Lælium Socinum* Senensem Italum. De quo plura dedi ad D. a Lasco. Lælium hunc tibi peramanter & diligentissime commendo. Dignus est, cui faveant, & benefaciant omnes pii. D. Joan. *Burcherus* Anglus, qui apud nos fuit, & de privilegio in arte feraria impetrando egit, orat te, ut una cum, D. à Lasco digneris fideliter laborare, quo ipse privilegium accipiat. Anxie hoc expectat. Idem mihi dixit, quod & ex literis tuis intellexi, maximopere te cupere scire, quid in epistola illa tua prima, ex Polonia ad nos scripta, de D. Vergerio *b)* dederis. En ergo transscribo de verbo ad verbum: „ Fuit hic, ais, „ non ita pridem, quidam vobis non prorsus ignotus, „ qui conatus est hasce ecclesias clanculum turbare, qui „ & parum honorifica etiamnum spargit passim in Ger- „ mania, de D. à Lasco, bene alias de ipso merito: quem- „ admodum & in majore Polonia nuper fecit, quoties „ fenestella aliqua ei aperiretur, apud eos nimirum, quos „ non prorsus nobiscum sentire sciret in re sacramenta- „ ria, ut animos quorundam hic nobilium ad accipiendam „ Confessionem Augustanam præpararet: cum tamen dum „ hic apud nos esset, se nobis conformaret, seque nobis- „ cum prorsus sentire diceret ac dissimularet: adeo ut „ D. Lismanninum præter alios plurimos in eam persuasi- „ onem de eo attraxerit, qui ea occasione vobis isthic non

b) De VERGERIO luculenter egit SALIG. in Histor. August. Confess. lib. VII. cap. IV. Quænam ipsi cum *Joh.* à LASCO simultas fuerit, fere non constat, nisi quod BERTRAMUS in Vita Joh. à Lasco P. III. pag. 406. referat, eos circa ritus administrandi S. Cœnam dissensisse, si quidem LASCUS (quod & ex ej. Ep XLIII. v. *Scrin.* hoc *antiq.* T. II. P. II. p. 659. sq. patet) publicum Ecclesiæ confessum in S. Cœnæ administratione exoptabat, à quo alienior erat VERGERIUS.

„ non inhonorificum testimonium de homine præbuisse „ fertur. Hæc ego pro mea in ecclesiam Christi fide vo- „ bis indicanda esse existimavi, ne vos ejusmodi delatio- „ nibus forte decipiamini, quin potius ipsius calumniis „ ac hypocrisi ad Dei gloriam occurratis. " Hæc sunt illa optime Utenhovi, quæ tuis ad nos literis dedisti. Nollem ego vos committi, & scripta profundere mutua, quibus invicem conspurcetis. Quamquam, si ille prior te lacessiverit ejusmodi scripto, quod responsionem requirere videatur necessario, author tibi esse nolim tacendi.

Mallem tamen moderate ei scripto obviam eas, quam affectate. Spero tamen illum nihil scripturum, Certe si hæc ita gesta sunt, ut dicis, non video, cur tibi possit irasci, si ea dicas, quæ ille dixit & fecit. Dominus auferat ex medio hujusmodi scandala. Vive & vale & commenda me viris bonis. Tiguri 24 Junii 1558. Salutant te fratres.

H. Bullingerus tuus.

F.

ad EUNDEM. Ibidem.

S. D. Cum hi viri boni, *D. Burcherus* tibi notissimus, & nobilis vir *D. Gualtherus* ab Ulma ad vos proficiscerentur, non putavi, multis tibi Domino meo colendissimo & fratri carissimo scribendum esse. Omnia enim nostra, tibi poterunt referre, & esse loco vivæ epistolæ. Hos potius tibi commendare volui. Non quod quicquam addubitem de tua humanitate, sed quod ipsi ita voluerunt. *Burcherus* certe maximam & *D. à Lasco*, & tuam humanitatem ipsi exhibitam, dum prius apud vos esset, nunquam satis deprædicare potuit. Ago ergo utrique vestrum maximas gratias, ac oro ut pergatis

gatis de illis bene mereri, donec & nobis licuerit de vobis quam optime mereri. Brevior item sum, quod paulo copiosius, scripserim ad clariss. Virum D. *Joan.* à LASCO, quem novi omnia tecum habere communia. Vive & vale æternum. Salutant te fratres & Symmystæ omnes. Tiguri. 12 Septembr. Anno 1558. D. *Felicem Crucigerem*, & alios viros bonos amicissime salutabis.

Bullingerus tuus.

Libenter misissem tibi Conciones posteriores meas in Jeremiæ aliquot capita à 7. usque ad 14. Item sermones meos ecclesiasticos de Christi domini feriis, dicatos illustrissimo Palatino Vilnensi. Quos hac æstate conscripsi & edidi; sed scis itineris obstare incommoditatem.
Darum nhemend recht den Willen für das Werk.

G.

Ad EUNDEM. Ibidem.

S. D. Gratias ago tibi, optime Utenhovi, pro illa tua perpetua fide & diligentia erga nos, qui semper diligenter de rebus vestris scribas. Perge ita, ut vos decertantes juvemus literis & precibus. Et nunc quidem viris illis principibus scripsi, ut jussisti, D. *Ostrorog*, D. *Bonero*, D. *Martiano*, (quos omnes hortor ad pietatem quibus & D. à Lasco commendo). Scripsi mense Julio & Septembre de rebus nostris omnibus, per D. *Lælium Soccinum*, & D. *Burcherum* Anglum, quibus nunc nihil possum addere.

Quæ scribenda erant referet D. *Sebastianus a*) vester. Intelliges ex aliorum quoque literis. Te rogo per nostram amicitiam, ut boni consulas breviculam hanc, &

a) SEBAST. ille est *Sebastianus Pecbius*, de quo in Ep. seq.

& pessime scriptam epistolam. Ægrotavi aliquandiu necdum convalui. Dominus Jesus servet te. Tiguri 28 Octob. 1558.

Bullingerus tuus totus.

Saluta D. Lælium, à quo nullas accepi literas ex quo Tubinga discessit. Saluta D. Lismaninum, quibus, & si libenter scripsissem, scribere tamen non potui. Excusatum ergo me habeant oro.

H.

Ad EUNDEM, adhuc in Polonia.

S. D. Quæ postulabas, ut scilicet scribatur Magnatibus apud vos quibusdam, qua fide & diligentia potui præstiti. Per D. *Sebast. Pechium*, quibusdam scribebam, nunc etiam Comiti TARNOVIO *a*), idque fratrum nomine. Recitavi illis epistolam, ac approbarunt, communique omnium nomine mitti voluerunt. Habes hic ejus epistolæ exemplum, quod D. *Joan. à Lasco*, viro clariss. dominoque colendiss. ac tibi describi curavi, ut quid scripsissem, intelligeretis. Scripsi illi meo nomine privatim, ac dono misi libellum meum in quo ostendo, Ecclesias evangelicas neque hæreticas esse, neque schismaticas &c. Commendo me illi, inque ejus insinuo amicitiam. Nil præterea habemus, quod non possit referre hic tabellio. Hoc unum admonere volui. Apud nos magistratum non pendere decimas monachis & sacrificis, in suo habitantibus dominio. Sed erogare in usus scholarum, ecclesiæ & pauperum. Interim alit is monachos & sacrificos, qui contra reformationem non insurgunt, & obedientes se exhibent.

 No-

a) Et hæc Epistola ad *Johannem* Comitem à *Tarnuvia*, inserta legitur collectioni Epistolarum Reformatorum, quam procuravit cl. FUESSLINUS num. XCI. p. 422. & sq.

Nolunt enim domini nostri, quemquam jure queri, facultatibus suis se esse spoliatum & ejectum. Unde & monachis & sacrificis extra ipsorum ditionem habitantibus, in ipsorum autem ditione decimas & reditus habentibus suos, illos persolvere jubent, & ni faciant, puniunt. Nolunt enim adversariis nostris occasionem præbere, inferendi belli, propter debita illa externa &c. Sed de omnibus copiose ad vos scripsit D. *Petr.* MARTYR. Obsecramus, ut mature ad nos de rebus vestris perscribatis. Valete in Christo. Salutant vos symmystæ & fratres omnes. Commenda me clariss. viro D. *Joan. à Lasco*. Saluta *Lælium*, *Lysmanninum*, & omnes amicos. Tiguri 28 Nov. 1558. Orate pro nobis. Ocyssime.

Bullingerus vester.

I.

Ad EUNDEM in Polonia.

S. D. Accepimus literas tuas, optime frater, diligenter scriptas, de rebus vestris omnibus, & agimus tuæ fidei & diligentiæ maximas gratias. De rebus nostris nihil scribere possumus, cum per Dei gratiam idem semper sit noster Status. Concedit Deus pacem per suam misericordiam, & in ea quantum possumus singuli laboramus. Succedunt ordine conciones sacræ & lectiones, docemus, & discimus, & scribimus. Ego jam respondeo, Quæstionibus quibusdam Germanica lingua editis in Bavaria ab inquisitoribus, ac ita compositis, ut habeant argumenta pro erroribus confirmandis. Statueram scribere etiam, si Deus gratiam & otium concederet, de concordia evangelicorum, & discordia Papistarum. Vidisti haud dubie, quæ hujus argumenti contra nos vulgavit *Staphylus*, & alius quidam

dam D. D. *Guilelmus Lindanus.* Ajunt, Deus est author concordiæ, ergo non est author doctrinæ evangelicæ, vel Lutheranæ. Nam in mille sectas scinditur. Est autem author doctrinæ, (quam odiose nuncupant) papisticæ: quia ecclesia sub papa semper consensit & consentit, inveniuntque homines apud hanc concordem & sanam doctrinam. Negotia tamen mea & publica & privata sic increscunt, decedunt item vires & morbi crebriores esse solent, ut metuam ne quid præstare possim. Sed Domini est potentia: ejus voluntas fiat. Nunc qvidem ad Serenissimum Regem scribere non licuit, cum propter temporis angustiam, tum propter varias literas alioqui scribendas ad vos. Neque facile alii in se hoc oneris recipere voluerunt, deterriti Regia majestate, & quod ei non vulgariter scribendum sit, neque nos in eo genere scribendi exercitati. Feci tamen ego, quod potui, & scripsi illustriss. Principi *Vilnensi*, quem hortor ad vires exerendas pro restituenda pietate in his comitiis. Commendo ei pietatem & eruditionem clariss. viri D. *Joan. à Lasco* Commendo ei Te, quin & D. *Burckerum.* Quibus præterea scribi postulabas, scripsimus dudum, ac speramus eas literas vobis jam esse redditas. Venit enim ad nos mense Octobri D. *Sebast. Pechius*, qui discedebat 29 Octobr. Dedi ei literas ad D. *à Lasco*, ad te, ad D. *Stanislaum Ostrorogum*, ad *D. Joan. Bonerum*, ad *D. Martianum Chelstinski.* Postea venit *D. Joan. Lusenski*, missus à nobili Matrona *Agnete Slupka*, ei literas dedimus varias, *D. Martyr* & ego scribebamus ad *D. Jacobum Uchanski a)* episcopum Vladislaviensem. Scribebam copiosas nomine omnium fratrum & Symmystarum illustri viro, D. *Joann. à. Tarnovia*, cui privatas meas cum libello munusculo con-

a) Et hanc Epistolam nobis conservavit industria Cl. FUESSLINI, in Collectione Epistolarum à Reformatoribus conscriptarum num. XCII, pag. 434 &sq.

conjunxi. Dedimus & alias. Discessit is 22 Novembris. Speramus itaque pro ratione vestrorum negotiorum non parcos fuisse in scribendo, & hactenus vobis esse satisfactum. Interim offerimus adhuc nostram operam, libenter facturi, quod pro commodo ecclesiarum facere putaveritis. Pergite Vos nobis diligenter significare quomodo res vestræ habeant, & quomodo res succedant. Dominus benedicat vobis omnibus, & protegat ab omni malo. Vale! Salutant te fratres & symmystæ ordine omnes. Tiguri 7 Januar. 1559.

Bullingerus tuus totus.

Saluta meo nomine quæso D. *Sebastianum Pechium*, & D. *Joan. Luzenski*, & D. *Cheluski.*

K.

ad EUNDEM. Ibidem.

S. D. Episcopi subinde facere pergunt, quod ipsos decet, organa nimirum Sathanæ. Vos vicissim agite, quod ministros decet Christi. Instate oro opportune & importune. Satis nobis impetrasse videmini, qui liberati sitis a jurisdictione episcoporum, ac liceat Nobilibus reformare secundum scripta Prophetarum & Apostolorum. Licet vero Episcopi abjuraverint, aut juramentum Papæ præstitum rejecerint, & se Regiæ Majestati subdiderint, latere tamen in herba anguem inde colligere poteritis, si Pontifex Rom. eos non percusserit anathemate. Nisi enim ex ipsius consensu hypocritice renuntiarint, revera autem fidem ei servare velint, excommunicabit eos. Si non excommunicarit eos, ex composito, & dolo malo fiunt omnia. Nam hæreticis nullam fidem servandam docent, perfidi isti homines & principum proditores, regnorumque conculcatores.

Vi-

Vigilent ergo Principes, vigilate & Vos, & orate. Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi jejunio & oratione. Si quid operæ pretium ab illuſtriſſ. principe *Vilnenſi* actum eſt, priusquam diſceſſerit, aut fiat adhuc, aut ſpes ſit futurum aliquid, quod ſingulariter ſinceram religionem promoveat, oro ſcribas ad nos diligenter per hunc noſtrum Sebaſtianum. Albertum propter veſtram commendationem in menſam ſuam recepit D. D. *Martyr*, ut iſti non potuerit proſpici melius. D. *Joan. à Lasco*, virum Clariſſ. Dominum colendiſſ. & fratrem chariſſ. ſalutabis omnium noſtrum nomine quam humaniſſime. Cui omnes precamur viciſſim à Domino omnia felicia & ſalutaria. Nam hunc præ cœteris amicis noſtris veneramur atque diligimus. Reliqua addet Sebaſtianus noſter. Vigilate ſerio, & cavete ne Ariani & & Servetani inficiant eccleſias veſtras. Blandum eſt genus hominum, quod ſe mirifice poteſt inſinuare in animos principum & doctorum. Sunt qui glorientur in Polonia ſe habituros fixam & tutam ſedem *a*). Servetani hi ſunt, qui ita loquuntur. Cur hoc ſperent, facile non dixero. Vos interim hortor ut vigiletis. Bene vero habet, quod tam *Martyri*, quam mihi unas ſcribis. Nihil enim habeo, quod illi non communicem, neque ille habet, quod mihi non communicet. Vale una cum bonis omnibus, quos meo nomine ſalutabis, imprimis vero eos, quibus antea ſcripſi, D. *Lyſmannino*, D. *Crucigero*, *Vitrellio*. &c. Salutant te noſtri omnes. Tiguri 30 Mart. Anno 1559.

Bullingerus tuus.

a) Et ſanè triſtiſſimus edocuit eventus, quam non vanus fuerit vates BULLINGERUS noſter, quippe cum *Unitarii* ita dicti, non ſolum omnem fere in Polonia Reformationem extinxerint, ſed & ſtabilem ſuæ religioni ſedem in ea fixerint, atque longe lateque ſe diffuderint, unde κατ' ἐξοχὴν *Fratrum Polonorum* nomen de iis uſurpatur. cf. MOSHEM. Inſtitut. H. E. recent. p. 312, ſq.

L.

Ad EUNDEM, Francofurti ad Mœnum.

S. D. Literas tuas 13 Junii Francofurti ad Mœnum scriptas, satis mature accepi. Ad eas modo respondeo. Nescio an D. *Petrus* (scil. *Martyr*) aliquid ad te scribat. Testimoniales literas acceptas à fratribus nostris Polonis, hic habes meis inclusas. Literas ad Reginam (scil. Angliæ *Elisabetham*) vero nullas mitto, ita ut postulabas. Causam dicam paucis. Erubui scribere ad Reginam, quippe qui semel, (forte satis imprudenter) scripsi, ac dubitem, quam gratum hoc ejus regiæ Majestati fuerit. Non itaque sine causa desino scribere. Ne tamen fraudarem spem tuam, qui modis omnibus, quantus quantus sum, tibi fratri meo singulari inservire paratus sum: en, inclusi his tuis, literas ad Concionatorem Reginæ scriptas, quibus ei tuam causam commendo, ut ipsam agat coram Regina. De statu *ecclesiarum Polonicarum* multa nobis dixit D. *Lælius*, qui medio demum Augusto mense ad nos rediit. Expectamus jam an futura sint regni Comitia & quid in eis decernendum. Gaudemus interim, quod cursus evangelii non impeditur. Speramus autem sic regnum Christi ædificandum, quemadmodum olim Apostolorum Seculo. Video etiam in Anglia non modicas oborituras turbas, si, quod quidam (rem indignissimam multis modis) postulant, recipiatur *Augustana Confessio*. Vexat hæc omnes ecclesias sinceriores, & cupit suo fermento inficere omnes. Deus coerceat homines satis alioqui piis & pietati puriori molestos &c. tu scis quid factum sit in Polonia. Cave & juva ne recipiatur. Satisfacit piis *Eduardi Reformatio*. Melior hæc est multum Confess. August. De qua re jam nolo plura. Status noster idem ipse est, qui fuit his annis

per

per Dei gratiam. Orate pro nobis Dominum & ama nos. Scribe obſecro diligenter de rebus Anglicis & Scoticis. Dominus Jeſus propaget regnum ſuum quam latiſſime. Is ſit benedictus in ſecula. Vale! Scripſi has feſtinantiſſime. Salutant te fratres. Tiguri 24 Auguſti 1559.

Bullingerus tuus.

Num. III.

JOHANNIS à LASCO
Epp. ad Henr. BULLINGERUM.
ex Mſſ.

Quæ hoc faſce collecta tibi legenda porrigimus, benevole Lector, Epiſtolarum Johannis à LASCO Κειμηλια, non unquam hactenus edita, humanitati pariter atque liberalitati Viri plur. Rev. atque Doctiſſimi Johannis Jacobi SIMLERI, Theologi Tigurini & collegii alumnorum apud Tigurinos Inſpectoris, accepta ferimus. Is enim, quâ eſt humanitate atque in literarum ſtudia benevolentia, à Celeb. BREITINGERO, ſummi nominis ac ſummorum meritorum Theologo ac Polyhiſtore Tigurino, excitatus, has Epiſtolas Laſcianas ex autographo, quod in Archivis Eccleſiæ Tigurinæ ſervatur, Epiſtolar. Tom. III. p. 277. ciſtul. c. propria manu deſcripſit, easque mihi ante paucos menſes, benevolenter admodum transmiſit, quò eas Tuis uſibus conſecrare poſſem, atque inſtar Supplementi cujusdam, ceteris, quas in ſuperioribus Scrinii noſtri loculis edidimus, ſubnectere, quod bona tua cum gratia quin fiat, nullus equidem dubito: Præmiſi commodioris intelligentiæ ergo, *Epiſtolarum argumenta*, atque quædam iis elucidandis obſervata ſubjunxi, quæ ut æqui bonique con-

confulas oro. Cæterum quale quantumque, Henrici BULLINGERI, inter Tigurinos Viri fummi, nomen fuerit, ignorare nemo poteft, nifi qui planè in Hiftoria Reformationis cumprimis Helveticæ, hofpes eft; Confcripfit ejus Biographiam Vir Cl. *Bullingeri* gener, Jofias SIMLERUS, Tigurinus Tig 1575. 4. Et, cum ei maximum fuerit cum omnibus fere Reformatoribus commercium literarium, benè fe habet, quod Rev. SIMLERUS, quem modo laudabam, optimum cepit confilium, ejus Epiftolas omnes publicandi, cui confilio, uti fauftam merito apprecamur Lucinam, ita quoque Symbolam ut qualemcunque noftram conferremus, eas ipfas BULLINGERI Epiftolas ex Archivo Londinenfi depromtas, huic *Scrinio Antiquario* inferere voluimus, quas Numero fuperiori exhibuimus. D. G.

No. LXVI.

Ad Henr. BULLINGERUM

1544.

In amicitiam Bullingeri femet infinuat. Occafionem ad eum fcribendi indicat. In Doctrina facra fimplex & verum collaudat, ejusque falutiferos fructus commemorat. Singularia quædam circa doctrinam de hominis lapfu ejusque reftitutione fe fovere innuit, de quibus commercium expetit Epiftolicum. Ad Erasmi *amicitiam provocat, quæ fibi anfam dederit veritatem penitius indagandi. Suam converfionem deprædicat, atque munus quod Embdæ obibat ecclefiafticum.*

S. Ita fuos ubique conjungit Dominus per Spiritum fuum, vir Doctiffime, ut etiamfi longiffimis ab invicem intervallis abfint, neque alii norint alios, in mutuum tamen amorem, nefcio quo pacto invicem rapiantur. Id fane tibi ego de me teftari nunc vere poffum, qui, cum prop-

propter insignes alias dotes tuas, tum vero, ob singularem inprimis doctrinæ tuæ simplicitatem, quam in plerisque aliis non ita possum agnoscere, ita te jam pridem amare cepi, ut & occasionem ineundæ tecum amicitiæ, dudum quæsierim, & nunc facere demum non potuerim, quin ad te scriberem, præsertim cum *Hermannus a)*, frater & collega noster hoc mihi negotii dedisset, ut suas hasce literas ad te transmittendas curarem.

Mirum autem tibi videri non debet, quod te propter doctrinæ potissimum tuæ simplicitatem ita amem. Equidem hanc unam maxime nunc, si unquam alias, necessariam Ecclesiis esse puto, sub hac opinionum ac judiciorum varietate: quam si omnes observarent, minus haud dubie dissidiorum nunc in Ecclesiis haberemus. Audimus expeti ab omnibus, ut claram ac dilucidam doctrinam de omnibus habeamus: At vero, optandum esset, ut id quisque pro sua virili ubique præstaret: nunc plerumque videmus, qui, ne in eo, quod sibi tuendum semet susceperunt, errasse quoquo modo videri possint, quam multa sibi permittant in Scripturæ interpretatione: eamque ita tractent, ut implicent magis quam explicent lectorum animos. Videmus item alios, qui figuratas adhuc locutiones tueantur, sive è Scripturis, sive e Patribus desumptas: quasi non multo clariorem doctrinam habituri essemus, si, servata interim scripturæ dignitate, simplici ac dilucida oratione exponerentur, quæ sine troporum præsidio recte explicari non possunt. Atque ego quidem non elevo cujusquam vel eruditionem vel autoritatem: sed cum omnes fateantur, opor-

a) Is erat Hermannus BRASSIUS Ecclesiastes inde ab Anno 1543 Emdanus, de quo EMMIUS Lib. LIX. p. 916. testatur, quod *ætate quidem fuerit juvenis, sed loco illo planè dignus, sive eruditionem spectes, sive dicendi docendique facultatem, sive pietatis zelum.* conf. Histor. nostr. *Reform. Belg.* §. LXXVII. p. 268.

oportere in Ecclesia claram de omnibus doctrinam extare: non possum non plurimi facere eos, qui pure ac simpliciter docent, quicquid docendum susceperunt. Quare cum te quoque ita affectum esse videam, ut quam simplicissime tractare coneris omnia, quæ tibi explicanda desumsisti, non possum tuum hoc studium non vehementer probare, atque adeo te ipsum non magnopere etiam hoc nomine amare.

Eum porro animum erga te meum declarare tibi volui per literas hasce meas, ut mihi aditum quendam pararem, liberius tecum agendi deinceps, de omnibus, quæ se forte offerrent, si id tibi gratum fore intelligerem, pro humanitate tua, proque caritate Christiana. Habeo enim quædam, in quibus mihi quidem ipse satisfacio, quod ad meam conscientiam attinet, (ut fere nobis facile in nostris satisfacimus ipsi) sed non scio, an aliis perinde sim satisfacturus etiam, si ea invulgarem.

Sunt enim non nihil diversa a recepta passim doctrina populari, sed quæ nos tamen ad penitiorem, & Divini beneficii, & nostri ipsorum cognitionem, nisi ego prorsus fallor, adducunt.

Versantur autem circa lapsi ac restituti rursum hominis considerationem, sed non alio spectant tamen, quam ad illustrandam magis adhuc meriti Christi gloriam ac virtutem, cui soli debemus omnem nostram restitutionem. Sed te nunc obruere istis nolo. Satis est, meum erga te animum hac epistola declarasse, quod te vehementer amem, & proinde cupiam etiam tibi probari mea omnia, etiamsi te non norim. Jam si scire cupias, quisnam sim, facile id ex ERASMI Roterodami scriptis cognosces. Extant enim aliquot illius ad me epistolæ, qui etiam mihi autor fuit, ut animum ad sacra adjicerem, imo vero, ille primus me in vera religione instituere cepit. Breviter, ut apud te quoque prædicem Chri-

Christi Domini in me beneficium ac virtutem: Eram pridem insignis Pharisæus, multis ornatus titulis, multis & opulentis sacerdotiis a puero adhuc pulchre suffarcinatus, nunc autem, relictis ultro, per Dei gratiam, hisce omnibus, relicta item patria atque amicis, inter quos me Christiane vivere non posse videbam, nudus sum inter externos nudi Christi Domini pro me crucifixi servus, constitutus nuper hic Ecclesiarum minister in Euangelicæ doctrinæ annuntiatione, juxta voluntatem illius, qui me e caulis Pharisæorum ad ovile suum, per suam misericordiam evocavit. Habes meas rationes: tuum erit jam, ut me recipias in tuam amicitiam, & pro fratre deinceps habeas. *a*) Vale. Aemdæ XIV. Martii 1544.

Tuus ex animo,
JOANNES à LASCO.
manu propria.

a) His literis BULLINGERUS adscripsit: „ JOANNES à „ LASCO nobilissimus Poloniæ Baro, quondam Gnesensis præpositus, singularis D. ERASMI Rot. amicus. „ Regis Poloniæ legatus. Cujus patruus & ipse JOANNES à LASCO dictus, fuit Archiepiscopus Gnesensis „ in Sarmatia.

No. LXVII.
Ad EUNDEM. *a*)
1544.

De Bullingeri amicitia sibi gratulatur, Ejus sinceritatem laudat, & de iis qui discidia quærunt propter res levissimas, conqueritur, atque eorum quosdam pungit. Bullingeri *librum adversus* Cochlæum *evehit, sibique utilem profitetur. De rerum* Oostfrisicarum *reformatione itemque de Abbate* Aduardiensi *quædam. Epitomen Doctrinæ suæ ad*

Kkk 2 Bu-

a) Est hæc responsoria ad eam, quam 24 Junii scripserat *Bullingerus* quamque habet GABBEMA num. XLIX. p. 98. sq.

Bucerum *missæ* Bullingeri *judicio submittit. De Hominis lapsu & restitutione suam explicat mentem. Eam tamen se propalare nolle refert, priusquam à* Tigurinis *doctoribus fuerit approbata. De* Zwinglii *consensu quædam. De rebus suis profert singularia, ac cumprimis de sua in Evangelica doctrina constantia, atque studio singulari reformandi. Adversariorum quorundam meminit, à quibus tamen Deus eum liberaverit.*

Gratiam & pacem. Vere est nobis laudandus Opt. Max. Deus, Vir Doctissime, qui nos miseros alioquin prorsusque deploratos homines in unigenito filio suo Christo Jesu, Domino, Rege, ac Pontifice nostro ad vitam æternam regenuit. Quique Spiritum Sanctum suum tanti hujus beneficii testem juxta copiosam suam misericordiam in nos ita effudit, ut non intra nos ipsi modo singillatim per illum clamemus Abba Pater, sed & omnium ubivis præterea societatem, quicunque hoc ipsum Dei beneficium vere agnoscunt, ardentissimis etiam votis expetamus, de hac nobis gratulemur mutuo, in hac studia nostra omnia unanimiter ad ornandam ipsius gloriam conferamus. Ita ego tuam, mi frater, amicitiam expetivi, deque illa mihi nunc majorem sane in modum gratulor: ita & receptum me abs te vicissim in amicitiam tuam certo mihi persuadeo. Oremus igitur Dominum, ut ita demum conjuncti, ipsius potissimum gloriæ, pro nostra tenuitate, serviamus.

Simplicitatem tuam amavi semper, quod hæc sub ea sectarum nunc & judiciorum varietate ad tuendam sanæ doctrinæ puritatem maxime necessaria esse videatur. Ceterum, non minus mihi placuit etiam πραϋπάθεια tua, dum non solum non offenderis quorundam de vobis istic judiciis, ne dicam præjudiciis, qui vestram simplicitatem agnoscere aut non possunt, aut non volunt: sed honorifice te de illis sentire etiam passim non obscure testaris.

Est

Eſt ſane dolendum, hoc ſibi permittere nonnullos, pios alioqui & doctos viros, &, qui non immerito ſeculi noſtri lumina vocari poſſint, ut propter res non adeo usque graves, & ſine quibus conſtare haud dubie poteſt noſtræ ſalutis ratio, non dubitent interim ſcindere Eccleſiarum ſocietatem quaſi ea non pluris multo conſtiterit ſummo Pontifici noſtro, Chriſto, quo aperiente nemo claudere poteſt, quam ut tam facile a nobis ſcindi vel debeat vel poſſit. Sed vincendi ſunt omnino placiditate veſtra, *a*) & pro fratribus habendi dum Chriſtum docent, etiamſi parum æquos vobis illos habeatis. Nihil in vobis damnari ab illis video, niſi quod in Elementorum obſervatione ab eis diſſentiatis. Id cum levius ſit, quam ut violare debeat legem caritatis Chriſtianæ, recte facitis, dum vobis a regerendis conviciis abſtinendum prorſus eſſe putatis. Expectanda ſunt æquiſſima illorum judicia, ubi ſuam impotentiam viderint veſtra modeſtia infamari. Certe ubi doctrinæ ſuæ fundamenta diligentius paulo introſpicere volent, intelligent ſe telam hanc ſuam, neque ſuo loco neque ſuo tempore orſos eſſe: & proinde diu proſequi etiam non poſſe.

Libellus tuus adverſus *Cochlæi* nænias, eſt mihi multo gratiſſimus, ſed vereor, ne nihil fructus apud hominem illum faciat. Pluris enim fere facere genus hoc hominum ſolet exiſtimationem ſuam apud juratos ſibi doctrinæ ſuæ ſocios, quam ut illam vera Dei cognitione permutare velit. Mihi ſane magno erit uſui, ut qui nondum ſatis reſtitutas Eccleſias hic habeam: de quarum reformatione non pauca commemoraſti.

Apud Abbatem item *Advardienſem b*) metuo ne nihil

Kkk 3

a) Ex hiſce atque ſimilibus, lenis ac manſuetus LASCI animus colligi poteſt, conf. quæ de eo annotavimus in *Hiſtor. Ref. Belg.* p. 155. 156.

b) Conf. quæ de eodem obſervata ſunt in *Scrinio* hoc. *antiq.* T. II. P. II. pag. 517.

hil egeris. Est sane vir minime malus, & longe quam pro Monacho melior: Sed vix præstare aliquid poterit, etiamsi maxime velit, hoc potissimum tempore: Et haud scio, an non infimior sit, quam ut sibi periculum aliquod religionis nomine accersere velit. Id potius monendus esset, ut rejecta larva Pharisaica Christi Ecclesiis sese conjungat. Mihi nihil de tuo consilio significavit, significaturus haud dubie, si quid homini persuasisses, præsertim cum me familiariter etiam norit.

Epitomen doctrinæ hic nostræ ad Doctorem *Albertum a)* nostrum Argentinam transmisi, ut eam Bucerus videret, hanc ad te transmissurus est etiam Albertus, ubi illam *Bucerus* legerit, Ego quicquid hujus est, pro Pastoribus hic nostris collegi, nondum tamen exemplum cuiquam dedi, neque dare statui, nisi audito Doctorum judicio. Neque enim ullius Dogmatis auctor esse vellem, quod consensum Ecclesiarum quoquomodo perturbaret. Nam & si variare in multis scio Ecclesiarum judicia, tamen libenter me admoneri *b)* ab omnibus, atque adeo reprehendi etiam patiar, sicubi lapsus sim, & quantum maxime possum dissidia vitabo, meoque mihi officio functus videbor, si doctrinam meam Ecclesiis primum excutiendam proponam, quæ aliis demum tradenda esset. Ibi videtis etiam nostram sententiam *de hominis lapsu & restitutione*, quam interim tibi hic paucis etiam adumbrabo.

Sentio, vim promissionis divinæ non minus efficacem fuisse in nobis, quam fuerit efficax Adæ parentis nostri transgressio; cum adhuc in lumbis ipsius essemus. Jam, si Adæ transgressio ita efficax fuit ad nostrum omnium interitum, etiam, qui non peccavimus in similitudinem trans-

a) Alb. HARDENBERGIUM innuit, qui tum apud Argentinenses versabatur conf. *Scrin. antiq.* l. c. p. 530.

b) Idem fere tum scribebat ad Pellicanum, vid. Ej. Epist. num. XVI. in *Scrin. antiq.* l. c. p. 530.

transgressionis Adæ: Sane & serpentis caput cœptum jam tum conteri etiam in nobis in lumbis Adæ existentibus, post patefactam promissione Dei in nos Εὐδοκίαν; ut quemadmodum natura mortis & iræ filii nascimur, quantum in nobis est, quatenus Adæ transgressoris filii sumus: ita vicissim, imputatione divinæ benevolentiæ Adamo per promissionem patefactæ, pro fidelibus reputemur, posteaquam illi Adam credidit, quicunque ex fideli Adamo progignimur, tantisper dum Dei beneficium non contemnimus, etiamsi sub peccatum conclusi & nascamur & vivamus. Statuo enim, vim ac meritum mortis & Pontificii Christi, ab origine mundi juxta Patris Dei providentiam passi, efficax jam tum fuisse in Ada & universo ejus semine, ad conterendum in illo serpentis veneficæ caput: æque atque Adæ transgressio efficax erat ad propagandum in nobis, id, ut natura nostra mortis atque iræ filii nascamur: modo ne nos ipsi a tanto Christi Domini beneficio, voluntaria ingratitudine nostra, destinatoque contemtu nostro excludamus; Tum enim, tam nihil ad nos pertinent omnes divinæ promissiones, quam nos nihil ad Christum Dominum pertinemus: in quem omnes alioqui promissiones intuentur: & qui infirmitates quidem nostras portavit & expiavit omnes ab ipso usque mundi exordio: sed contemtum voluntarium sui adeo non portavit, ut illius Auctori Diabolo, & omnibus, qui in ejus similitudinem ita transierunt, ut illius Angeli videri possint, gehennam pœnam constitutam esse testetur. Ita arbitror Dei Εὐδοκίαν per promissionem Adamo patefactam efficacem prorsus jam tum fuisse in condonanda Adamo & ejus semini universa plane illius infirmitate, posteaquam Adamus oblatæ promissioni credidisset (contemtum semper excipio,) ut fidelis Adam fidele etiam semen gigneret, non tamen re ipsa sed imputatione, idque propter Christum sibi æque atque se-

femini suo promissum, quemadmodum idem ipse Adam, quatenus transgressor, mortem atque iram in nos, re ipsa, sive natura sua propagavit: ut in nobis quidem iræ & mortis filii, in Christo vero olim promisso, nunc exhibito, filii Dei & nascamur ab ipso mundi exordio, & vivamus: modo ne, ut dixi, hoc Christi beneficium contemnamus.

Hac doctrina simplicissime proponi puto, & mali contagium ab Adamo in nos propagatum, & efficaciam Pontificii Christi in Adamo & ejus semine servando. Nec dubito, quin tota Scriptura huic doctrinæ consentiat, si justa locorum collatio fiat: certe Christi gloriam ante omnia illustrat, & amputat plurimas difficultates & dubitationes, quas nunc in Ecclesia extare videmus. Et tamen, invulgari illa nolim, priusquam Doctorum Sententias Ecclesiarumque judicium de illa audiam: ne quid ejusmodi aliis tradam, quod ipse non satis excussissem. Quare te rogo, Vir integerrime, ut quid hic sentias cum Symmystis tuis, mihi significare velis: potissimum autem, ubi, quæ ad Albertum misi, legeris. Neque gravaberis indicare, si quid doctrinæ huic opponi posse putes. Videtur mihi in eandem sententiam propendisse & ZWINGLIUS olim, nisi quod obscurius id subindicare maluit fortassis, quam verbis disertis profiteri. Sed & vestras nunc Ecclesias non prorsus a me hic dissentire puto: Malim tamen, certo id scire, quam putare. Proinde literas tuas ea de re magno desiderio expectabo. Interim nollem, ut quisquam præter Symmystas vestros hæc legat.

De rebus meis sic accipe: Fratrem habebam majorem natu, hominem pium & mei amantissimum: is ubi intellexisset, me vitæ meæ genus mutasse, & deserto Pharisaismo conjugium amplexum esse, nolebat dum viveret, ut me cuiquam addicerem: quod speraret me a meis vocatum iri adhuc, meisque servire posse. Ita factum est, ut, vivo fratre, nulli me addixerim; A mor-

morte illius deferebam nihilominus meis operam meam. Sed ubi fucum Pharifæorum noftrorum deprehendiffem, de rationibus vitæ meæ demum cogitare cœpi: delata interim Regi meo Poloniæ opera mea, fi quando me ad Evangelii Minifterium vocare vellet. Ibi mox mihi defertur a noftra hic Principe Vidua, fœmina pientiffima, Minifterium iftarum Ecclefiarum.

Sufcepi; fed ea lege, ut mihi ponere illud rurfum liceat, fi me a Rege meo vocari contingat: vel, fi item in illo non videam quæri ex animo gloriam Dei. Poft fufceptum Minifterium, rem omnem ad meos in patriam perfcripfi: volui, ut Regi exponerent, me poffe nihilominus in Patriam redire femper, fi ab illo vocarer. etiamfi hic publicum minifterium fufcepiffem. Amici vero mei in Patria, putantes fore ut redeam, quocunque tandem modo a Rege vocarer, literas a Rege impetrant, quibus revocor in patriam, non quidem ad ullum minifterium Ecclefiæ, fed ad vetus illud vitæ meæ genus, nempe Pharifaicum. Si quæ femel evomui, denuo velim lingere. Addunt & fpem magni cujusdam Epifcopatus, fi redirem. Sed his jam refpondi, me nolle effe neque cornutum neque cucullatum Apoftolum, neque effe quod cogitent amplius de meo in patriam reditu, præterquam fi legitimam aliquam mei illic vocationem viderem. Ita illos abfolvi, quos rarius ad me alioqui jam fcripturos puto. Hic vero, fimul atque ea quæ mei erant officii aggreffus effem, & quæ perturbata reperi reftituere, quæque probare non poteram reprehendere coepiffem, fubito exorti funt, qui mea calumniarentur omnia, meque in varias fufpiciones vocarent. Mox eram Anabaptifta, mox Sacramentarius. Adverfus hos cum meam innocentiam Princeps ipfa tueretur: aliam rurfus viam repererunt me profcindendi. Objecerunt mihi Monachos. His cum filentium Principis auctoritate impofitum effet: majora fibi nomina

 ap-

appellanda demum esse putarunt. Accusatus sum apud Aulam Brabanticam periurii, & nescio cujus turbulentiæ. Mox huc ad Principem adferuntur mandata ab Aula Brabantica, ut ne me amplius tamquam turbatorem & periurum hominem in ditione sua ferat. Audis fulmina: sed adversus hæc quoque me tutata est Divina bonitas. Ostendi meam innocentiam, sic ut & Principi & omnibus patriæ hujus ordinibus satisfecerim: illique responderint, se nolle me carere. Nunc quid in me per istos sit moliturus Satan, certum adhuc non habeo, sed scio non cessaturos, donec me hinc propellant. Si harum lacrimarum caussam quæris; Alia nulla est, quam quod qui sine legibus ullis licere sibi hactenus putabant, quicquid libebat, non patiuntur se a nobis reprehendi, cogique in ordinem, id quod mihi tamen est faciendum, si ministerio meo satisfacere velim. Disciplinæ nomen ne ferunt quidem, quam ego tamen nunc Principis auctoritate instituere conor. Ita hic luctor, mi frater, ab altera parte impetor a sectariis, neque desunt falsi fratres, qui societatem simulent, & interim turbent omnia. Sed ego hæc omnia pro certissimis argumentis habeo me esse ministrum Christi: quem tot machinis mundus & Satan oppugnet. Et ago gratias Patri Deo per Christum Jesum Liberatorem meum, quod me ita exerceat. Ac precor, ut mihi addat virtutem ad illustrandam suam gloriam, sive per vitam, sive per mortem. Qua in re vestris quoque precibus juvari postulo. Si tamen luctæ hujus meæ nullum hic fructum videam, de deponendo ministerio hoc meo cogitabo. Expectanda sunt mihi rursus nova fortassis fulmina ab Aula Brabantica: Sed potentior est Deus. Huic semel credidi, huic & nunc me totum permitto. Vale. Deus Opt. Max. confirmet nos Spiritu Sancto suo, ut Christi Domini beneficium in ejus Ecclesiam una-

unanimiter infractoque animo profiteamur. Æmdæ, ultima Augusti Anno 1544.

Salvere jubeo Symmystas tuos omnes, meque illis in Christiana caritate omnibus commendo.

Vere tuus

JOANNES à LASCO.
manu propria.

No. LXVIII.
Ad PELLICANUM, BULLINGERUM & Gerardum tom CAMP.

1545.

Wormatiense *ac* Coloniense *suum iter commemorat.* Frisicarum *Ecclesiarum curam se denuò suscepturum refert. Constantiam suam in doctrina testatur.* Wormatiensia *Comitia Evangelio non multum profutura præsagit.*

S. Cogor nunc per meas occupationes unis ad vos omnes literis scribere, Viri fratres in Christo Domino dilectissimi, idque paucis, nam tempus multa non permittit. Literas vestras forte fortuna dum huc proficiscerer, in itinere accepi, mihi multo gratissimas, in quibus suspicari mihi videmini, me de deferendis Phrisiæ Ecclesiis aliquid cogitare. Ego vero nihil hujus cogito, sed aliis quoque operam meam ad tempus aliquod denegare non possum, idque permittente id mihi mea Ecclesia.

Sic primo vere adfui Principi Coloniensi ab illo vocatus: Sic & nunc huc veni, libenter ad vos usque perrecturus, quos ex animo videre cupio, si quoquo modo licuisset. Sed neque Argentinam proficisci potui, ut Bucerum viderem. Et jam cogor rursum reditum ad meos adornare: jamque cras hinc solvo ad Principem Coloniensem, illac ad meos rediturus.

De mea constantia in eo doctrinæ genere, quod vobis perspectum esse puto, non est, quod quic-

quam dubitetis. Ego extra certum aliquod verbi Divini testimonium, cœcus plane, quod ad Divina attinet, esse volo, neque tantum tribuo ulli humanæ prudentiæ ullive industriæ, ut illi sine verbo niti velim. Scio me judicandum esse olim non ab hominibus, quantumlibet prudentibus ac ingeniosis: sed a puro æternoque Verbo Dei, nobis a Christo Domino per suos Apostolos tradito. Huic itaque soli me totum pro mea infirmitate subjicio. Et Dominum precor, ut vere Regio sceptro hoc suo me regere dignetur ad gloriam sui nominis, & Ecclesiæ suæ ædificationem. Hic caussa religionis negligenter tractatur, & fortassis in alia Comitia rursus differetur. Plura non possum, opto vos omnes in Domino recte valere. Raptim. Wormatiæ IX Junii 1545.

Vester ex animo quantus est,

JOANNES à LASCO.

No. LXIX.
Ad BULLINGERUM.
1545.

Tigurinorum *literas per* Gerh. tom Camp *missas se nondum accepisse testatur. Suas per* Pellicanum *filium transferendas scribit. De turbatoribus ecclesiarum queritur. De veritatis incremento gaudet, sibique tranquilliora tempora spondet, nisi quod* Brabanti *eum* Frisia *expellere conentur; de* Groninganorum *&* Frisiorum *ad Evangelium concursu quædam monet. Principem Gubernatricem* Frisiæ *laudat. De Responsione Helvetica* ad Lutheri confessionem parvam *scribit, quod ea in Lutherum nimiopere invehatur, quod factum nollet. Colloquium mutuum in re sacramentaria componenda suadet.*

S. Jampridem magno desiderio expecto literas & tuas & tuorum symmystarum, Vir doctissime, quas Ger-

Gerardus noſter, qui vobis iſtic adſuit, Daventriæ cum ſarcinulis forte ſuis reliquit; putans fore, quoniam ipſe in Brabantiam iter inſtituerat, illæ prius quam ipſemet huc pervenirent. Has porro cum nondum acceperim, reſpondere tibi ad tua nondum poſſum. Et tamen facere nolui, ut D. Pellicani noſtri filium ſine meis ad te literis dimitterem: qui jam iter ſuum differre amplius non potuit propter nundinas Francfordienſes. Vidit is incompoſitam adhuc Eccleſiarum noſtrarum faciem. Et quorundam intemperias audivit, qui doctrinæ noſtræ conſenſum perturbare adhuc conantur. Ego cogito in hoc nobis admixtos eſſe, ut nos exerceant, atque ad tuendam doctrinam veram magis ſolicitos faciant. Vincimus illos, quantum poſſumus manſuetudine & patientia. Et precamur illis mentem meliorem.

Interim tamen indies plurimi ad noſtræ doctrinæ conſenſum accedunt. Sed rurſum Magiſtratus negligentia non pauci a nobis ad ſectas deficiunt. Ego rurſum paulo minus hinc propellebar inſtigatione aulæ Burgundicæ, ubi ex Germania ſuperiore rediiſſem: ſed jam iterum conquieverunt omnia. Vehementer male habet Theologos Brabanticos, quod multi indies ad nos ſe illinc conferant, nomenque meum conſilio huic ſuo prætexant. Agunt itaque modis omnibus, ut hinc propellar, metuunt enim ne *Groningana* ditio, & *Friſia occidua*, mea hic præſentia in hæreſim noſtram pertrahantur. Optimi enim quique paſtores utriusque hujus ditionis, relicta ſua idololatria ad me confugiunt, & mea opera hic noſtris Eccleſiis præficiuntur: aliosque ſecum non paucos adducunt. Et aſſiduis præterea literis, Eccleſiis, quas reliquerunt, detegunt idololatriæ & impietatis magnitudinem, quam illos deſerere oportebat. Ita, ego reus ſum omnium. Et me propulſo omnia hæc ceſſatura eſſe putant. Sed Princeps noſtra

est forti constantique in hac parte animo, etiamsi sit foemina. Itaque postremam hanc quoque tempestatem in me concitatam jam compescuit. Interim tamen indies affluunt fratres profugi, quos recipimus, & pro virili nostra sublevamus.

Confessionem vestram percurri potius, quam legi, lecturus adhuc diligentius, simul atque libellus compingetur. Sed in cursu illo lectionis deprehendi quædam acerbius paulo dicta in Lutherum, quam re vera voluissem. Toties enim illi adscribitur effrenis dicendi libido, impudentia, arrogantia, vanitas, ut non in hac solum sacramentaria controversia, sed in tota propemodum illius doctrina fides hominis in dubium vocetur. Non nego, nimium sibi in jaciendis in vos nominatim convitiis indulsisse Lutherum, atque fines Christianæ charitatis longo intervallo transiliisse. Sed hoc illi propter præclara alioqui illius in Christi Ecclesiam merita condonandum erat. Et cavendum, ne ad eundem lapidem, qui id in Luthero reprehendimus, ipsimet impingeremus. Ut enim leviter impingere nobis videamur; culpa tamen non caremus, si etiam leviter impingamus. Præstabat errata indicasse, quod quidem pulchre mihi præstitisse videmini: sed citra contumeliam, qua nihil aliud efficimus revera, quam quod & doctrinam ipsam & ministerium item Euangelii in nostris Ecclesiis apud adversarios infamamus. Satis erat dixisse, mea sententia, Hic fallitur Lutherus: hic præter meritum nostrum invehitur, & id genus multa, quæ nostram tueri innocentiam possunt, si approbentur, interim tamen non labefactant cujusquam alterius nomen atque existimationem. Dabis autem veniam, Vir Christianissime, quod hæc pro mea libertate ita ad te scribam. Afficior ita erga vestram Ecclesiam, ut erga nullam fere aliam magis. Et proinde cuperem, nihil haberi posse; quod in vobis quis-

quisquam jure aliquo desideret. Vicistis Lutherum modestia, fateor, sed tamen illius quoque fines supergressi mihi nonnihil videmini. Neque hoc meum est tantummodo judicium: sed & plurium aliorum, qui interim doctrinam vestram sequuntur, & vobis alioqui optime volunt. Novi ex viris Principibus quosdam, qui & vobis & causæ vestræ bene volunt, & videntur hoc esse curaturi, ut ad institutum doctorum (ut scitis, opinor) colloquium, vestri quoque advocentur. Id si fiat, vellem ne recusaretis aut venire aut mittere. Scio quid sit humana consilia de rebus Divinis instituere, sed posteaquam instituuntur, præstat illis quam plurimos pios adesse, ne tyrannis tyrannide, quod multum metuo, commutetur. Vale vir integerrime, & fratres nostros communes verbis meis saluta. Raptim. Embdæ xxv. Augusti 1545. Ex Bibliandro cognosces plura. Iterum vale.

Tuus ex animo.
JOANNES à LASCO
manu propria.

No. LXX.

Ad BULLINGERUM & C. PELLICANUM.

1546.

Se Superintendentis munus deposuisse refert, quod disciplinam ecclesiasticam uti par erat exercere non poterat. Pastoris tamen munus se retinuisse scribit. . Aulam Burgundicam *sibi adversam conqueritur.* Bucerum *laudat, ac ejus colloquium sibi expetit. De re Sacramentaria monet, atque* obsignationis *vocabulum urget;* Lutheri *etiam mortui laudes decinit, infirmitatem verò dolet, ac* Tigurinos *ad pacem hortatur.* Vadianum *salutare jubet. Tota Epistola est aurea ac mansuetudinis Christianæ plena.*

Sa-

Salutem & pacem in Christo, fratres observandissimi. Cogor & nunc una epistola utrique vestrum respondere, nam obrutus occupationibus ad singulos scribere jam non possum. Feci tandem invitus, quod tanto tempore facere nolebam, & Episcopi ministerio me propter Magistratus nostri & falsorum quorundam fratrum impietatem renunciavi. Magistratus volebat, ut nomen Inspectoris retinerem, & nullum mihi Ecclesiasticæ disciplinæ usum permittebat, in publice impios ac blasphemos Ecclesiarum depastores, ne dicam pastores. Quare ego autoritatem Christi Domini in meo ministerio contemptui publico amplius exponendam non esse putavi, & ministerium, quo legitime defungi non potui, mea sponte deposui. Pastoris tamen ministerium in oppido hoc nostro non deposui, neque deponam, nisi propellar, quo mihi tamen res propemodum spectare videtur. Ego vero me totum hic permitto Deo, neque sum cessurus, per Dei gratiam, Satanæ & mundi furiis. Aula Burgundica nihil non agit, ut hinc propellar. Et, cum me Anabaptismi suspicionem depulisse videt, Sacramentarium me esse contendit.

Bucerum, cum Heidelbergæ essem, non vidi. Et mihi dolet, quod illum non viderim. Expetit ille colloquium meum, & ego vicissim suum. Egit mecum de caussa Sacramentaria per literas suas semel atque iterum. Et ego illi vicissim respondi, nec multum est inter nos discriminis. Ego intra obsignationis fines Sacramenta omnia concludo: ille addit exhibitionem, sed ita ut, quod in Sacramentis coeleste est, fide in coelum subvecta, a piis duntaxat percipiatur. Assentior hic ego, & fateor, in Coena sublatis in coelum animis nostris, fide, per Spiritum Sanctum, veram nos illic corporis & sanguinis Christi communionem percipere, juxta Sacramenti rationem, hoc est, per modum obsignationis. Atque hactenus progressi su-

ſumus. Nec dubito, quin & in reliquis res bene ſit ſucceſſura, præſertim poſtquam LUTHERUS in fata conceſſit. Mirum eſt, virum illum ſanctiſſimum, & æternis prorſus laudibus in Chriſti Eccleſia dignum, ita interim in hac ſignorum cauſſa hallucinatum eſſe. Videlicet, ea res nobis documento eſt, nos omnes eſſe homines, hoc eſt, mendaces, quod in nobis quidem eſt, ut ne ullius omnino in terris hominis autoritate nitamur, ſed ſciamus interim, *ligna*, *fœnum*, ac *ſtipulas* humani erroris noſtri, abſumendas quidem eſſe igne verbi Divini: ſed *nos* tamen haud dubie *ſalvos* fore, tantisper dum *fundamento* noſtro nitimur, cui equidem niſum eſſe Lutherum toto corde ſuo, nemo negare poteſt. Ut interim *aurum*, *gemmas* & *argentum* in doctrina ſua taceam; certe cauſſam juſtificationis noſtræ per Chriſtum, ille primus noſtro ſeculo mira felicitate illuſtravit, arcana iniquitatis Antichriſti ita detexit, ut pueris quoque nota ſint, quæ antea tantum non perinde atque Deus ipſe, toto fere orbe, adorabantur; Eccleſias infinitas juxta traditum ſibi donum reſtituit, adverſariis Euangelii Chriſti tanto Spiritu tantaque conſtantia ad mortem usque reſtitit, ut non immerito hanc laudem omnibus aliis præripuiſſe videri poſſit, ſed in iis nihilominus omnibus homo erat, quod quidem de nobis & nos, illius exemplo admoniti, perpetuo cogitare debemus. An in Vos aliquid denuo adornarit, neſcio, nihil enim hujus audivi, ſed, etſi quid ejusmodi eſſet, premetur fortaſſis, ne exeat. Interim ſive prematur, ſive exeat ejusmodi aliquid, vellem ut laudatiuncula aliqua tanti viri, veſtrum erga illum candorem atque amorem Chriſtianum, cum cauſæ hujus Sacramentariæ modeſta quapiam exceptione, conteſtaremini. Obturaretis ſingulari hoc modeſtiæ veſtræ exemplo, ora multorum adverſariorum Euangelii: apud pios vero omnes, magnam procul dubio gratiam

iniretis: & quod præcipuum est, non vulgare integritatis vestræ testimonium universæ Christi Ecclesiæ daretis. Imo id quoque efficeretis fortassis, ut ratio aliqua conciliandæ hujus controversiæ Sacramentariæ, majore quam antea unquam studio, quæreretur; quæ quidem sola res sufficere deberet, ad animos vestros huc excitandos. Quid enim optatius accidere posset, quam ut hæc controversia componeretur? Ad quod si animos vestros propensos viderem, præsertim una cum *vestro Magistratu*, laborarem sane modis omnibus, vel apud *Lantgravium Hessiæ*, vel apud *Comitem Palatinum* Electorem, quorum utrique notus sum, vel apud Principem meum *Electorem Coloniensem*, ut Colloquium doctorum aliquod institueretur, ad quod vos quoque vocaremini. Id tamen non prius mihi faciendum esse puto, quam de animo vestro certior fiam. Quod si eo estis animo, non abs re esset, ut aliquam (ut dixi) Lutheri laudatiunculam, cum exceptione caussæ Sacramentariæ, ederetis, in qua tamen concordiam vos optare testaremini, neque detrectare super ea re amicum, liberum, & christianum colloquium. Horum vos paucis admonere volui, fratres in Domino dilectissimi, posteaquam nobis bene agendæ hujus rei occasionem oblatam quodammodo esse videmus. Plura nunc non possum. Tantum vos rogo, ut *Vadianum* nostrum verbis meis, per vestras literas, diligentissime & officiosissime salutetis. Non potui nunc ad illum scribere. sed scribam brevi, & faciam, quod a me petiit, si Dominus volet. Salutetis & reliquos fratres omnes.

Et Deus pacis regat nos una omnes per Spiritum suum, ut quæ illa digna sunt & faciamus, & loquamur. Amen. Æmdæ XXIII. Martii 1546.

Vester ex animo quantus est.
JOANNES à LASCO
manu propria.

No. LXXI.

Ad. Mart. BUCERUM. 1546. a)

De colloquio in causa Sacramentaria ineundo scribit. Casum quendam Bucero *solvendum proponit, de iis qui S. Coenam in locis idololatricis celebrari non debere arguebant. Civem quendam Emdanum commendat.*

Post scriptas literas venit mihi in mentem, Vir Doctissime, ut te admonerem de instituendo aliquo Colloquio, si quomodo jam fieri posset, ut hæc Sacramentaria controversia tandem aliquando componeretur. *Principem* nostrum *Coloniensem* ab ea re video non abhorrere. Et *Lantgravius* facile forte induci ad id posset, neque forte abnueret & *Comes Palatinus* Elector, si modo ad id per te aut tui similes excitarentur. Per te, inquam, mi Bucere, quandoquidem tu in concilianda hac controversia plurimum laboris hactenus insumpsisti. Non dubitarem profecto, rem bene cessuram esse, si tentaretur. Et quid optatius posset accidere, quam si hæc controversia componeretur? Certe sine magno fructu colloquium tale institui non posset. Sed essent eo quoque vocandæ omnes *Helveticæ* Ecclesiæ, unaque & *Gallicæ*, hoc est, *Allobrogicæ*, quas Calvinus instituit. Si scirem tuum in hac parte animum, essem tibi ea in re adjutor, scriberemque & ipse, cum ad nostrum Coloniensem, tum ad Palatinum & Landgravium, certoque mihi persuadeo, non vanos fore conatus nostros hic, si id una uterque apud istos Principes contenderemus.

Suasi per literas *Tigurensibus*, ut posteaquam Dominus nobis Lutherum sustulit, illi laudationem tanti viri aliquam ederent, cum sui erga illum amoris christiani testificatione, etiamsi hæc inter illos dissensio intercessisset,

Mmm 2 si-

a) Ex *Scrinio* hoc *Antiq*. Tom. II. P. II. p. 629. liquet hanc Ep. ad hunc annum referri debere.

simulque testarentur, se non detrectare amicum & christianum quodcunque colloquium, si quo modo hæc controversia componi queat. An hoc sint facturi, nescio. Sed faciant, aut non faciant: suam ipsi doctrinam gravarent, si vocati ad tale Colloquium non venirent. Et interim aliæ Ecclesiæ conciliari possent. Expectabo igitur abs te, ut me de tuo in has partes animo, facias certiorem.

Est præterea & aliud, in quo tuum consilium & tuorum istic fratrum requiro Sunt quidam hic Ministri, qui non putant sibi licere Cœnam Domini eo loco peragere, ubi idola, jam olim sub Papatu in cultum erecta, a superstitiosis quibusdam adhuc publice per Magistratus negligentiam adorantur, neque Magistratus metu aulæ Burgundicæ, tolli illa patitur. Utuntur autem hoc argumento inter alia multa. Non licet in lupanaribus cœnam instituere propter loci turpitudinem. Loca ubi idola prostant & adorantur, hactenus lupanaria sunt, quatenus idololatria fornicatio in Scripturis vocatur. Igitur in talibus locis non esse administrandam Cœnam, sed in alium potius locum transferendam. Alii negant, morem publicum propter talem idololatriam mutandum esse, aut alium quærendum locum, ubi Cœna peragi debeat. Charitatem hæc ferre omnia, & hujus generis multa. Itaque te rogo, Vir doctissime, ut tuæ nobis Ecclesiæ sententiam perscribere ipse aut ab aliis scriptam curare velis. Postremo, est aliud quoque quod te velim. Hic, qui has perfert, est civis noster, probus, pius ac integer: sed artibus Anabaptistarum in sectam ipsorum pertractus; Hunc conati sumus revocare, quantum potuimus, neque contempsit nostras admonitiones, sed te quoque nostro hortatu, & tuam Ecclesiam, ea de re audire voluit. Hoc igitur animo ad vos proficiscitur. Rogo, ut illum benigne accipiatis, & implora-

ta.

ta Dei gratia, doctrinam illi vestram, aut nostram potius, in omni lenitate & mansuetudine approbetis. Multos hic lucrifaceremus, si hunc lucri facere possemus. Quare illum tibi de meliore nota commendo. Iterum vale & de me hoc tibi persuadeas, quod de tui amantissimo studiosissimoque fratre & amico.

JOANNES à LASCO
manu propria.

No. LXXII.

Ad H. BULLINGERUM 1551.

Non Bullingero *solum sed & ceteris Theologis scribit. Laudat Deum de profectu Evangelii & cumprimis de consensu Tigurinorum cum Calvino in causa sacramentaria. De Ecclesia* Gallica *&* Belgica *peregrinorum Londinensi quædam tradit. Confessionem ejus ecclesiæ mittit.* Italos *quoque ecclesiam* Londini *habere docet. De* Gualthero Deleno *&* Mart. Micronio, *itemque de* Fr. Riverio & Richardo *ministris Ecclesiæ peregrinorum, eorumque studio in veritatem ac concordiam laudabili.*

S. Jam ter ad te scribere volui, ex quo huc veni, vir sanctissime & frater in Domino observandissime, sed nunquam literas absolvere prius potui, quam illi jam abirent, qui eas perferre debebant, nunc vero committere amplius nolui, ut qui nunc se mihi obtulit nuntius, sine meis ad te literis hinc abiret. Est enim vir pius, & vestri studiosissimus: quales hic non paucos habetis. Multa autem mihi ad vos scribenda essent: sed neque est tutum, neque tempus patitur scribere omnia. Istud autem imprimis a vobis istic omnibus peto, ut, quæ ad te scribo, ea ad vos pariter omnes scripta esse putetis, qui simul in eodem ministerio collegæ estis, nam revera non potui ad singulos scribere.

Primum igitur, ago gratias Domino Deo nostro, quod Regnum Filii sui per vestrum ministerium istic provehat atque illustret, gratulorque ex animo vestris Ecclesiis, de inducta consensione illa doctrinæ inter vos & D. Calvinum in re sacramentaria, & spero plures in dies illi subscripturos etiam esse. Nos hic eandem doctrinam sequimur: etiamsi aliis quandoque verbis illam exprimamus, & brevi, si Dominus volet, nostram omnes confessionem unanimiter edemus. Quin & de Saxonicis quibusdam Ecclesiis optima quæque nobis, hac in parte, per Dei gratiam pollicemur. Nos hic, Dei & Regis nostri beneficio, instituimus *Germanicam* & *Gallicam* Ecclesiam, publicumque verbi ministerium duobus locis Germanica & Gallica lingua habemus. Nunc de puro, quoad ejus fieri potest, Sacramentorum & disciplinæ usu tractatur, quem nos brevi habituros, per Dei gratiam, esse speramus. Ecclesiam porro ita colligimus, ut qui in illa censeri velit, editæ per nos confessioni nostræ subscribat, ut totius Ecclesiæ nostræ nomina in catalogo habeamus. Ejus porro confessionis nostræ aliquot exemplaria ad te transmitto, ut nostræ doctrinæ rationes cognitas habeatis. Vellem autem, & D. Calvino unum a vobis transmitti, cui nostra omnia alioqui probari cupimus, atque illius ad Dominum precibus ministerium hic nostrum commendari. Jam vero & *Itali* suam habebunt Ecclesiam, quibus & templum jam & Minister peculiaris ordinatus est, vir & pius, & doctus, & singulari dicendi gratia præditus: proque Christi gloria plurima passus. *Germanorum* ministri sunt, *Gualtherus Delænus* Regis demortui olim bibliofcopus: & *Martinus* Flandrus, inter vos aliquandiu cum D. *Hoopero*, ni fallor, versatus, de quo nobis omnes majorem in modum gratulamur, propter hominis candorem, simplicitatem, eruditionem & pietatem. *Galli* habent *Franciscum Riverium*,

rium, & *Richardum*, bene doctum utrumque & eloquentem. Breviter, est, quod Divinæ benignitati omnes unanimiter gratias agamus pro tanto illius beneficio, gratitudinemque nostram nostra resipiscientia, & mutuis caritatis officiis attestemur & oremus diligenter, ut, quod ita hic orsus est Dominus, pro ineffabili sua misericordia, hisce potissimum afflictissimis temporibus, id ut provehat ad finem usque, addatque nobis Spiritum suum Sanctum, qui nos nostraque consilia omnia in nostro ministerio regat, moderetur ac prosperet: ut Regnum Filii sui dilecti, per nos propagari illustriusque reddi possit, ad gloriam nominis ipsius, salutem nostram, & Ecclesiæ suæ ædificationem, Amen.

Sensimus jam conatus Sathanæ undiquaque nostrum institutum perturbare conantis, adeo ut res ad scissionem Ecclesiarum propemodum spectaret. Sed Dominus jam furias illius compescuit utcunque: & posthac speramus meliora. Jam finem cogor facere propter obruentia me negotia. Opto itaque cum nostris omnibus, vos istic omnes observandissimos nobis præceptores & fratres, recte in Domino agere, & optime valere, una cum tota Ecclesia vestra, cujus nos precibus officiosissime commendamus. Londini VII Januarii 1551.

Tuæ pietati ex animo addictissimus,
JOANNES à LASCO.

Num. LXXIII.

AD EUNDEM.

1551.

De Hooperi *Episcopi Glocestriensis liberatione, de Stephani Vintoniensis incarceratione, in cujus locum suffectum tradit* Jo. Ponetum *anteà Roffensem episcopum. de morte* Buceri. *De viris doctis* Musculo, Bibliandro, Castalione *in Angliam vocandis scribit.* Bullingeri *libellus de*

de sacramentis Londini sub prelo erat. Buceri *de Eucharistia sententia.* De Musculo *&* Bibliandro *mittendis iterum monet.*

S. Ex literis, quas nuper ad *Martinum Microuium* collegam nostrum scripsisti, vir sanctissime, accepi non sine magna animi voluptate, vestra adhuc omnia istic bono loco esse, quo sane nomine Deo nostro gratias agimus immortales, oramusque votis ardentissimis, ut vos istic Deus cum vestris Ecclesiis servet & gubernet Apud nos nihil propemodum novi habemus. De D. *Hoperi* liberatione puto vos jam audisse. Est jam in suo Episcopatu, docetque populum sibi commissum. Stephanus Vintoniensis Episcopus, suo tandem Episcopatu exutus est *a*): adhucque in carcere detinetur; suffectus est in ipsius locum vir doctus & pietati favens *Joannes Ponetus*, pridem Roffensis Episcopus. Non multo vero post D. *Martinus Bucerus* e vivis excessit. Quo mortuo communicavit mecum D. Cantuariensis consilium, de advocandis huc aliquot viris doctis. Proposui itaque *Musculum*, *Bibliandrum* vestrum, & *Castalionem*. Ipse vero addebat & *Brentium*. Sed, cum illum in caussa sacramentaria non consentire nobiscum dicerem, respondit, illum de hac re jam admonitum esse. Ego porro vehementer optarim, vir sanctissime, nos hic e vestris aliquos habere. Musculum enim inter vestros jam numero. Et Bibliandrum symmystam vestrum esse jam olim scio. Datumque est jam negotium per D. Cantuariensem viro optimo *Joanni Halesio*, ut Musculo & Bibliandro, si venire velint, de viatico prospiceret. Quod si fieri posse putas, ut Castalioni persuadeatur, ut huc se conferat, quæso te, ut id sciscitari, mihique demum indicare velis. Libellus tuus de sacramentis ante triennium ad me missus jam tandem sub prelo est. Ubi ad me cum reli-

a) Conf. *Hist. Reform.* T. IV. pag. 381.

reliqua Bibliothecæ meæ parte nuper advectus esset, exhibui illum D. *Cantuariensi.* Is vero ubi audisset, nondum esse editum, voluit, ut ederetur, etiamsi eum non legisset, hoc addens, Tua nulla egere inspectione. Itaque propediem exibit. Dicabo illum sorori Regiæ, virgini & doctissimæ & pientissimæ, *Elisabethæ.* Misissem tibi aliquot exemplaria, si absolutus fuisset sed hac hebdomade futura absolvetur. *D. Bucerus* orsus erat tractationem de Sacramentis paulo antequam moreretur. sed eam non absolvit. Ceperat & mihi, ut audio, ad mea respondere: sed nihil eorum vidi, optarim tamen vidisse. Quantum vero intelligo, in sua perstabat sententia, de pacti præsentia, & reali cum signis, vel in signis, aut per signa, corporis & sanguinis Christi exhibitione. Mittam ad te brevi, quæ ad me ille miserat: & quæ illi ego vicissim respondi. Nunc quod restat, me & nostram hic Ecclesiam precibus istic vestris diligenter commendo, & fratres omnes collegas tuos salvere officiosissime jubeo, inprimis vero patrem nostrum *D. Pellicanum.* Oro te, vir integerrime, da operam, ut Musculum hic & Bibliandrum habere possimus, aut si Bibliandrum habere non possumus omnino: ut aliquem e vestris illius loco habeamus. Viaticum illis non deerit: neque conditio honesta, modo ut venire non graventur. Raptim Londini x Aprilis 1551.

Tuus ex animo quantus omnino est
JOANNES à LASCO.

No. LXXIV.

Ad EUNDEM. 1551.

Bullingeri *librum de Sacramentis Londini editum mittit Lascus. Consensum suæ ecclesiæ testatur. Communio in quantum possit esse privata docetur. De Floriano quodam im-*

postore scribit. De Buceri *circa Eucharistiam sententia.* Castalionem *&* Curionem *sibi exoptat, ut in Angliam mittantur.*

S. Scripsi non ita pridem ad te per Doctorem Brunonem, qui se literas Argentinam ad te transmissurum esse pollicebatur. Deinde & libellum ad te tuum de Sacramentis, quem ante triennium ad me miseras, & nunc demum quintæ decadi tuæ inseruisti, per manus Domini a Bredam, fratris Domini Falesii, *a*) ad te misi, hic, me autore, sed valde incorrecte excusum; Non putaram enim, te istic illum editurum esse, cum tanto tempore apud me, præter meam interim voluntatem, delituisset. Adjeci illi unam e meis epistolis, eadem de re ante sex annos scriptam: ut doctrinæ consensum attestarer, neque dubito, tibi hæc omnia reddita esse. Quod ad domesticum Cœnæ dominicæ usum attinet, nos hic a vobis, ut puto, non dissentimus, sed docemus vobiscum in cœnæ usu, publicum cœtum, & publicam Ecclesiæ convocationem requiri, siquidem id fieri possit. Sed, cum aut non licet, aut non est ex usu publico Ecclesiæ publice in unum convenire toti Ecclesiæ ad cœnæ usum, non negamus Cœnæ usum aliquot fratribus illum postulantibus, & privatim convenientibus, exemplo Apostolorum, panem per domos frangentium, modo ne ulla adhibeatur superstitio: & privatus ille ejusmodi usus, non remoretur, neque obscuret, publicum illius usum illum, in publico totius Ecclesiæ cœtu. Alioqui Paulum hic protinus & nos audimus. *An non habetis domos*

a) Quis ille fuerit *Falesius*, sive, D. *de Falais*, haud melius cognosci potest, quam ex Jo. CALVINI Epistolis Gallicis ad *Jacobum de Burgundia* Dominum de *Falais* &c. quas ex MSS edidit Amstelod A. 1741. 8 J. Wetstenius. Conf Th. BEZA ad F. Claudium de Xaintes Apolog. alt. Operum Theolog. Tom. II. fol. 352.

mos ad edendum. Abſitque ut nos, quod Dominicum eſt, ut inquit Chryſoſtomus, privatum facere velimus.

Quod ad *Florianum* illum attinet, vehementer doleo, te quoque in eorum numero eſſe, quos ille, pios & ſanctos viros, hypocriſi ſua fefellit. Facilius fero, quod me fefellit, ſed quod ad fallendos alios meo ſit abuſus nomine, denique & mea manu, id mihi magis dolet, quam ut dicere poſſim. Quod vero te quoque circumvenerit, omnium maxime, ut verum fatear, doleo.

Ego vero jam a biennio & amplius nihil ab illo accepi, neque ubi ſit, ſcire poſſum. Aliudque non ſuſpicor, quam quod ſe alicubi in antrum forte monaſticum detruſit, tametſi neque hujus quidquam ſcio. Ex mea patria nemo quidquam de illo ad me ſcribit: ut illic eum eſſe, plane non putem, ſed, etſi ubi ille ſit prorſus neſciam, neque quidquam ab illo, aut mihi, aut tibi, aut aliis etiam, expectandum eſſe credam. Ego tamen, poſteaquam in nominis mei gratiam tantum in illum beneficium contuliſti, magnam tibi habeo gratiam: & in me id totum abs te pro tua virtute collatum eſſe putabo, daboque operam, ut ſub nundinas Francofordienſes tibi, vir ſanctiſſime, ſatisfiat. Nolo enim, ut tibi fraudi ſit, etiam fucus ipſe mei nominis, tibi, inquam, quem ego non alio, quam Patris loco, amo, veneror & colo. Quintam tuam Decadem non licuit hactenus revera totam perlegere: ſed quæ legi, omnia placent: Et pro donis in te collatis, gratias ago Domino Deo noſtro.

Quæ *Bucerus* ante mortem de re Sacramentaria mecum egerit, egoque illi reſponderim, nunc non habeo: ſunt enim apud D. Cantuarienſem, qui nunc hinc abeſt. Ubi rurſum habuero, deſcripta ad te transmittam. Miraberis, ſat ſcio, ubi perlegeris. Scripſi ad te nuper de Muſculo, Bibliandro, & Caſtellione: ſi quomodo

induci possint, ut huc veniant; Idem vero & nunc optarim: sed audio, neque Musculo, neque Bibliandro nostro licere, ut hoc faciant. Ego sane optarim illos adesse, sed, si id fieri non potest, saltem da operam, quod in te est, ut Castellionem, & Coelium Curionem hic habere possimus. Si de illorum animo hac in parte certior essem, curarem, ut & viaticum illis daretur, & honestam demum hic conditionem haberent. Cuperem nos plurimos esse, qui idem in Domino sentiremus & doceremus. Domino a Bredam *a*) fratri D. *Fallesii* dedi quædam in mandatis ad te, & ad D. *Calvinum:* credes igitur aut alteri illorum, aut utrique. Vale frater in Domino dilectissime, et me quæso apud fratres, quod non singulis scribam, imprimis vero apud patrem nostrum D. Pellicanum excusato. Deus Opt. Max. servet & gubernet vestras Ecclesias, vestramque istam mutuam consensionem per Spiritum suum, provehat & corroboret, ad nominis sui Divini gloriam Amen. Dominus noster *Hoperus* strenue suo munere fungitur. Nostra etiam Ecclesia, gratia Deo, multiplicatur, non tamen sine magna Pharisaicorum reluctatione. Iterum vale. Londini VII. Junii 1551.

Tuus quantus est
JOANNES à LASCO.

No. LXXV.
Ad EUNDEM 1553.

Consensum suæ ecclesiæ cum Tigurina *testatur. De suis afflictionibus & uxoris obitu luget, seque secundas nuptias contraxisse testatur. Circa* disciplinam ecclesiasticam *turbas motas refert, quin imò etiam, circa doctrinam Lasci de præ-*

a) Ex hac Epistola non obscurè colligitur Domino *de Falais*, fuisse Fratrem, Dominum *Bredanum*, quanquam & ipse *Falesius* eo fuerit gavisus titulo v. Epist. cit.

prædestinatione. Contentiones cujusdam privatas adversus Lasci *collegam commemorat. Circa baptismum ejusque & S. Coenæ administrationem nova dissidia exorta conqueritur.* Mart. Micronium *laudat, de Rege* Poloniæ *Reformationis studioso, & de* Eduardo *Angliæ quædam monet, seque Tigurinorum commendat precibus.*

S. Dabitis mihi veniam omnes istic, in primis vero tu, Vir sanctissime, quod tanto jam tempore nihil ad quenquam vestrum scripserim. Nihil sane decessit de mea erga vos & vestram Ecclesiam observantia: & per omnia vobiscum in Domino idem sentimus, nosque mutua vobiscum consensione majorem in modum consolamur. Sed caussæ mei tanti silentii fuerunt graves quædam meæ perturbationes & curæ: quas mihi Dominus pro bona sua Divina voluntate immisit: meque nonnihil, illi sit gloria, exercuit. Deinde etiam turbæ quædam, quas Satan adversus me, & nostras hic Ecclesias, concitavit, & etiamnum concitare non cessat.

Quodque ad perturbationes meas attinet. Scio te non latere, Dominum mihi ante annum fere ademisse priorem vitæ meæ sociam, uxorem meam, inquam, cujus memoria apud me intermori nunquam potest, cum propter pietatem ac probitatem illius, tum propter susceptas ex illa proles, quæ ob oculos meos assidue versantur. Quam mihi grave igitur fuerit vulnus hoc, juxta carnem, adeoque & nunc sit, tecum ipse facile cogitare potes. Ut de cura rei domesticæ taceam: quæ in illam rejecta tota fuerat, & in me unum, illi alioqui insuetum, adeoque & natura prorsus mea ab illa alienum, a morte ipsius recubuerat. De valetudine nihil dico: quæ ita jam alioqui est attrita, ut, cum optime mihi valere videor, nunquam tamen recte valeam, & agendis rebus seriis, non nisi matutinas fere horas, sine valetudis incommodis, impendere possim. Quæ res mihi

etiam in caussa fuit, ut, cum sustinendæ curæ domesticæ parem me esse non posse viderem, ad secundas nuptias animum adiecerim. Nunquam enim & curæ domesticæ, & meo ministerio, in mea ista valetudine sufficere potuissem. Quin & nunc ægre sufficere possum novis subinde turbis exorientibus: adversus quas perpetuo est decertandum. Sed quemadmodum me Deus morte prioris meæ uxoris probare voluit, ita rursum animi mei dolorem data mihi altera uxore, pro sua Divina benignitate, levavit. Dedit enim rursum & piam, & fidelem, quod spero, vitæ sociam: in qua nihil officiorum hactenus desiderare possum: sic ut mihi jam melius multo liceat invigilare meo ministerio, per gratiam Dei: si modo valetudo ipsa non obstet.

De turbis hic nostris, longum esset omnia recensere: sed nihil non tentat in nos Sathan, propter restitutum utcunque in nostris Ecclesiis disciplinæ usum, nimirum hinc sentit, locum præripi hypocrisi suæ inter nos: quæ, observato disciplinæ usu, ipsamet sese prodit, neque diu consistere omnino potest. Volunt enim sancti videri hypocritæ omnes, & laudari, quam redargui malunt. Cumque usus disciplinæ aliud in se nihil habeat, quam reprehensiones, per quas simulata illa ipsorum sanctitas oppugnatur, corruptelaque naturæ nostræ omnium accusatur, fieri sane non potest, quin hypocritæ simulatam sanctitatem illam suam oppugnari, cujus nomine alioqui in pretio haberi volunt, gravissime ferant, sursumque ac deorsum misceant omnia, si quo modo usum disciplinæ invisum reddere omnibus, hypocrisimque suam adversus illum tueri possint. Atque hic non dormit Sathan, sed artes omnes suas expedit, ad impediendum disciplinæ usum.

Mira est autem hic hypocritarum nostrorum vafrities. Nolunt videri contra usum disciplinæ quidquam agere.

Sed

Sed dum se per usum disciplinæ pudefactos vident, severius secum, quam cum aliis agi clamant, cupiuntque secum omnes eodem carbone notari, ut ajunt. Et in hoc toti sunt, ut in quamplurimos novas semper accusationes comminiscantur. Quod si illis non obsequimur? protinus clamoribus implent omnia, & nos personarum acceptores esse vociferantur, etiamsi accusationes, quas proferunt, comprobare non possunt. Ita hic quidam nobis molestus est, qui e publico verbi ministerio propter flagitium quoddam Magistratus mandato submotus, conquiescere non potest, donec socium pudefactionis suæ aliquem sibi inveniat.

Et quia in vita ac conversatione omnium utriusque nostræ Ecclesiæ ministrorum, nihil quod merito traducat, reperire, gratia Deo, potest: rimas quærit serendi dissidia in doctrina, & multa adfingit, quo magis invisum reddat nostrum ministerium. Sumit autem occasionem traducendi nostrum ministerium à prædestinationis controversia, quam mire exaggerat. Et ut paucis rem totam tibi perstringam: Docui ego, eos non recte de prædestinatione disserere: qui per illius doctrinam, meritum ac dignitatem mortis ac sacerdotii Christi extenuare, elevareque conantur, idque ideo potissimum fieri, quod vis ac condemnatio peccati nostri in Ada, non satis diligenter a plerisque explicetur. Et proinde, nos non assentiri iis, qui loca quædam scripturæ de prædestinatione ita urgent, ut negent omnino, Christum pro omnibus mortuum esse. *a*) Hinc bonus ille vir occasiones omnes quærit committendi nos cum D. *Calvino*, qui plerisque nimium dure de prædestinatione scripsisse videtur. Et nos accusat passim, quasi nomen ac doctrinam Calvini damnaremus. Quia vero ex me nihil unquam audivit, neque ipse, neque alius quisquam, quod ad traducendum Cal-

a) Conf. *Histor. nostr. Ref. Belg.* §. XLVII. p. 155.

Calvini nomen, quem ego alioqui ut virum Dei veneror, atque amo, detorqueri possit: alium reperit, unum e nostris collegis, quem multis nominibus accusare cepit, si quo modo efficere queat, ut quemadmodum ipse propter suum flagitium, & ministerio suo submotus, & ad publicam pœnitentium agendam adactus erat, ita hunc eodem adigere etiam possit. Solatium est scilicet socios habere pœnarum. Protulit autem tria accusationis capita.

Primum, quod collega noster quidam dixisset, Peccatum Adæ non esse sufficiens ad generis humani condemnationem. *Alterum*, quod aliquis servari possit, etiam sine ulla Christi Domini cognitione. *Tertium*, quod in doctrina prædestinationis diversum a Calvino docuisset, & nomen Calvini traduxisset. Hæc tamen accusationis capita, nullis testimoniis approbare potuit. Sed ad suam duntaxat accusationem, collegam nostrum adigi per nos cupit, ad publicam pœnitentiam, ac ministerio suo submoveri. Ego vero, &si in eo ipso collega nostro quædam desidero, quorum est jam semel atque iterum admonitus in coetu seniorum omnium, culpam tamen eorum, quorum nomine accusatur, agnoscere in illo non possum. Nam *priora duo* capita accusationis nullo modo agnoscit, & accusator illa nullis testimoniis approbare potest. *Tertium* vero ita agnoscit, ut se a Calvino dissentire fateatur, sed tamen non ideo, aut nomen, aut scripta Calvini, ullo modo traducat. Habes unius controversiæ exemplum, Vir doctissime, paucis adumbratum: cujus alioqui nondum finem habemus.

Sed est & aliud multo adhuc gravius, si circumstantias spectemus. Unus e verbi ministris in nostra Germanorum Ecclesia, non tamen *Martinus* noster *Micronius*, de tribus nobis capitibus tragoediam in Ecclesia movit, idque non modo inconsultis nobis omnibus, sed studio etiam hac in

in parte vitatis, eo quod suspicaretur, nos sibi reclamaturos esse. *Primum*, testes Baptismi puerorum in Ecclesia non esse admittendos docuit, quos vulgo susceptores vocamus. *Deinde* omnes Ecclesias, quæ confessu publico in cœnæ usu non uterentur, idololatriæ & violationis Dominicæ institutionis palam in concione damnavit. Et quicunque genuflexionem in cœna quocunque tandem modo ferendam esse dicerent: omnes chirurgos Antichristi esse pronuntiavit. *Postremo*, articulum in symbolo, de descensu Christi ad inferos, plantationem a Domino non plantatam & proinde eradicandam esse docuit. Admonitus horum omnium per nos & seniores utriusque Ecclesiæ omnes: post longam tergiversationem culpam tandem suam in coetu seniorum agnovit: non tantum quod nova ista dogmata apud populum sparsisset, quæ Verbo Dei impugnari alioqui non possent: sed quod etiam concepta de nobis omnibus mala suspicione nobiscum de his prius noluerit communicare. At vero illum jam agnitæ culpæ hujus suæ pœnitet: & queritur, se in agnoscenda culpa sua, humanis rationibus potius, quam Verbi Divini autoritate persuasum fuisse, cum tamen manu ipse sua testatus sit, *se nostræ doctrinæ assensum esse, in Christo, juxta verbum Dei, & ex animo.*

Hisce enim verbis doctrinæ nostræ omnium manu sua subscripsit. Atque ore ipsemet suo Deo Patri nostro per Christum Jesum, in cœtu seniorum omnium gratias egit non ita multo post, quod ei errorem suum, in hac sua nobiscum controversia, per Spiritum Sanctum suum revelasset. Et tamen nihil nunc sunt apud illum hæc omnia: & quæ se prius, in Christo, juxta verbum Dei, & Spiritu Sancto autore, egisse ipsemet fatebatur: nunc se rursum Spiritu Sancto autore improbare dicit, nosque ea suspicione omnes gravat, quasi nos præter Verbum Dei & ipsi doceamus

hæc omnia in hominum gratiam, & alios nobiscum eadem docere nostra autoritate cogamus. Habes & aliam turbam nostram, frater in Domino observandissime, per quam parum absuit, quin utraque nostra Ecclesia, nisi Deus mirabiliter succurrisset, in extremum hic plane discrimen veniret. Neque prorsus adhuc extra periculum sumus, ut sunt hic multorum ingenia: sed Domino confidimus, in cujus conspectu, quod ad eam rem attinet, bene conscii sumus. Ad quintum ab hinc diem exspectamus, ut nobis ultimum mentem suam collega ille exponat. Faxit Dominus, ut bonum exitum hujus causæ videre possimus. Jam & inter has turbas, semper oboriuntur alia etiam, quæ me plane obruunt, sed non ita tamen graviter afficiunt. Ut de aulicis negotiis taceam, a quibus me totum explicare non possum.

Sed quorsum hæc querela, inquies? primum, ut in vestris precibus nostri Ecclesiarumque nostrarum meminisse velitis. Deinde, ut intelligatis, non semper mihi licere ad vos scribere, cum volo. Habeo nunc præ manibus ceremonias nostræ Ecclesiæ, omnemque illius, in nostro ministerio, gubernationem. Prodibit, spero, sub hyemen. Scribo autem non sine Theseo, nostro, inquam, Micronio: quem nostræ hic Ecclesiæ valde gratulor. Erit justum opusculum, neque inutile, ut arbitror. Rex meus Poloniæ dicitur adornare novas nuptias. Putant plerique, illum non nihil cogitare de restituenda, apud suos religione. foreque ut & ego ab illo vocer. Sed ego nihil mihi certi adhuc de meis polliceri possum. Rex noster Angliæ Serenissimus jam pridem languit: sed rursus jam (sit Domino Deo nostro gratia) revalescit. Libenter scirem, quid ad Hoperum de prædestinatione scripseris. Mihi propter hominis absentiam videre non licuit: tametsi pluries promiserit, se literas tuas ad me transmissurum esse. Vale, vir integerrime: & me collegis tuis omnibus, in-

inprimis vero D. Pellicano Patri, Bibliandro, Gualthero, Gesnero, diligentissime, quæso, commenda. Raptim Londini VII Junii 1553.

Non licuit relegere. Parces igitur, sicubi male quid est scriptum. Tuus vere & ex animo quantus est

JOANNES à LASCO
manu propria.

D. *Calvino*, si quando tibi commodum fuerit, nos commenda, & nostras illi hic tragædias exponas, oresque illum verbis meis, ne quid temere de nobis credat, si quid apud illum de nobis spargatur, donec a me causam omnem cognoscat.

No. LXXVI.
Ad BULLING. & Theologos TIGURINOS 1554.

De Ecclesiæ peregrinorum Londinensis dissipatione, item de itinere Danico quædam tradit. Micronium *adhuc Wismariæ versari scribit*, *alios* Lubecæ, *alios* Hamburgi *esse: de* Joach. Westphalo *& ejus libro in Reformatos conqueritur. Suum cum Tigurinis consensum urget.*

S. Nihil dubito, fratres in Domino observandissimi, quin magno jampridem desiderio teneamini audiendi de nobis aliquid, posteaquam Angliam, dissipatis illic nostris Ecclesiis, reliquissemus. Sed & vos credere vicissim potestis, non minus etiam nobis fuisse toto hoc interea tempore ad vos scribendi desiderium, si id facere ullo modo potuissemus, non solum ut vestram pro nobis solicitudinem levaremus, quam equidem summam esse, pro vestra pietate, non dubitamus: sed ut vestras preces etiam, vestraque suspiria cum tanto ardentius conjuncta habere, denique & instrui a vobis & confirmari præterea in ærumnis ac certaminibus nostris potuissemus, quibus nos Dominus Deus noster, ad Filii sui, quod spero, gloriam probare

nonnihil exercereque voluit, illi sit gloria in secula. Amen Quia vero nobis id hactenus non licuit: & nunc se nobis offerret, qui nostras ad vos literas Argentinam usque perferre posset: neque dubitaremus, facile illinc demum etiam perventuras ad vos esse, facere plane non potui, quin vos pariter istic omnes per meas hasce literas, tumultuarie quidem, ut tempus tulit, sed interim ex animo diligenter atque officiose. ut fratres dilectissimos, salutarem; simulque etiam vos de totius nostri *Danici itineris* successu ac rationibus omnibus facerem certiores, ut pariter nobiscum jam demum etiam gratias Domino Deo nostro agatis, pro Divina ipsius in nos benignitate & misericordia, qui neque in ærumnis, neque in certaminibus nostris nobis defuit unquam, sed nobis potenter astitit, virtutemque suam Divinam in nostra tenuitate illustravit Mitto autem vobis silvam itineris nostri, usque dum a Rege Daniæ dimitteremur, ne dicam propelleremur, in qua videbitis, ad quem modum nobiscum egerint Antagonistæ nostri in doctrina de Sacramentis. Et facile intelligetis, quod sit ipsorum ingenium, quæ integritas, & quid ab illis sit piis omnibus exspectandum? Dominus illis ignoscat, & largiatur per suam gratiam, ut semel aliquando resipiscant. Reliquum nostri itineris nondum absolvi, neque absolvere possum, donec qui adhuc alibi sunt dispersi, ad nos veniant. *Martinus Micronius* noster cum bona Ecclesiæ nostræ dissipatæ parte est *Wismariæ*, in Ducatu Megapolitano. Alii sunt *Lubecæ*. Alii *Hamburgi*, sed brevi huc venturi omnes. Ego autem non constitui, an hic manere velim, sed exspectabo, donec nostri omnes conveniant, qui forte hic meo amplius ministerio non egebunt. Adjungent enim sese huic Ecclesiæ: quæ suos alioqui ministros habet, ita ut me liberum fore sperem. *Hamburgi* pastor quidam.

dam *Joachimus Westphalus* in nos omnes in genere ſcripſit libellum mendaciis & maledictis refertum, in quo interim nihil habetur, quod non ab aliis dictum ſit prius, & quidem felicius etiam. Eum vobis quoque mitto, ſi forte veſtrum aliquis iſtic ei reſpondere velit: nam mihi nunc re vera non vacat. Vellem tamen illi, non tam propter ipſum, quam propter alios, qui ab ipſo pendent, reſponderi. Emiſit præterea etiam farraginem interpretationum ſuper verbis cœnæ collectam ex ſcriptis *Caroloſtadii*. *Zuinglii*, *Oecolampadii*, *Petri Martyris*, *Buceri*, Veſtræ confeſſionis adverſus *Lutherum*, *Bullingeri*, *Calvini*, & ex meo quoque ad extremum libello, ſed huic ego cogito reſpondere, ſi Dominus gratiam dederit. Quid? quod & hîc poſt meum abitum admiſceri quædam etiam ceperunt, per quosdam, quæ tamen facile, ſpero, corrigentur. Urgent Buceranam exhibitionem, quæ ne ab ipſo quidem Bucero intelligi potuit, nedum ut ſolidis ullis vel teſtimoniis vel rationibus comprobari poſſit, ſed de hoc poſtea plura. Tantæ eſt molis videlicet, tollere prodigioſam illam omnisque Papiſticæ idololatriæ parentem, imaginationem præſentiæ corporis Chriſti in ceremonia ipſa, & elementis Cœnæ. Spero tamen brevi futurum, ut ex animis piorum omnium tollatur omnino. Sunt rurſum, qui me a vobis diſſentire putant: eo quod panem & vinum in cœna, ſigna cœnæ eſſe negem, quæ vos ſymbola eſſe docetis corporis & ſanguinis Chriſti. Quaſi vero non aliud ſit cœna ipſa, aliud vero corpus & ſanguis Chriſti, ut etſi panis & vinum cœnæ ſigna non ſint, ſymbola tamen corporis & ſanguinis Chriſti eſſe nihilominus poſſint.

Imo vero, cum ego doceo, diſtributionem ipſam ac participationem panis in cœna, eſſe ſignum cœnæ, ſimul quoque doceo, panem & vinum in cœna eſſe ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti. Alioqui diſtri-

butio ipsa panis ac poculi in cœna signum esse non posset communionis nostræ cum Christo in corpore & sanguine ipsius: si panis & vinum symbola non essent corporis & sanguinis Christi: Sed amant venari ac serere dissidia, ubi nulla sunt, cum ipsi sibi nusquam constent.

Plura jam non possum. Commendo me & dissipatam meam Ecclesiam vestris precibus, & Vos pariter omnes opto in Domino recte & feliciter valere.

Æmdæ Frisiorum VI. Martii 1554.

Vester ex animo quantus est JOANNES à LASCO
manu propria.

No. LXXVII.

Ad H. BULLINGERUM. 1554.

De Morbo suo scribit & semet excusat quod ad Pellicanum *jam non scribat, de libro suo adversus* Westphalum *monet. Se confessionem brevem doctrinæ suæ edidisse refert. Rationem gubernandi ecclesiam suorum in* Anglia *imprimendam curat.* Micronium *iter Danicum conscribere testatur.*

S. Incommode accidit, vir sanctissime, ut per quos me ad singulos vestrum istic copiose scribere posse putabam, per eos jam vix tria verba scribere queam, attritis alioqui e morbo gravi adhuc viribus; ut neque oculi, neque manus suum officium facere possint Laboravi nunquam mihi antea cognita colica passione. Huic dum calida fomenta adhibeo: bilem circa jecur commoveo, ut in ventriculum regurgitet. Inde Icterus sequitur, toto diffusus corpore, cum febre ardentissima, quæ me jam quidem reliquit, sed ita viribus destitutum ut memet ipsum admirer. Quare dabit ve-

veniam *Pellicanus*, pater meus dilectissimus, & reliqui collegæ vestri, si nunc ad illos non scribam. Imo vero tu quoque ignosces, vir integerrime, quod brevis esse cogor. Ceperam in *Westphalum* adornare quædam: sed me domestica hic tempestas quædam interea excepit, præter omnem meam expectationem: qua de re nunc multa non possum. Edidi tamen brevem Confessiunculam doctrinæ meæ, quæ calumniis impetebatur, cujus exemplar tibi mitto. Hæc rursus a nonnullis oppugnari cœpta, in coetu demum publico ministrorum hujus patriæ a me defensa est. Collecta habeo, quæ acta sunt omnia: sed non videntur digna luce publica. Me tamen ita sunt remorata, ut in Westphalum nihil agere adhuc potuerim. Ita adhuc exercemur, vir sanctissime, sit Domino gratia, non tamen sine fructu, & meo, & multorum. Nam hac velitatione doctrina nostra, multo hic nunc est magis confirmata, quam unquam antea: & pudefacti, qui illi reclamare conabantur. Nunc sub proelo est *Ratio gubernandi nostram in Anglia Ecclesiam*, cum ejus ritibus ac ceremoniis.

Iter nostrum *Danicum* exibit lingua Germanica autore *Micronio* nostro. Plura nunc plane non possum. Itaque vale, & me tuorum omnium precibus diligenter commenda, eosque omnes verbis meis salvere jubeas velim. Raptim. Embdæ v. Octobris 1554.

Tuus, quantus est,
JOANNES à LASCO.

LXXVIII.

Ad EUNDEM & BIBLIANDRUM. 1555.

Se Emda *relicta* Francofurtum *migrasse tradit, atque Tigurinorum literas se Coloniæ accepisse scribit. Abitus sui*

ra-

rationes pandit, ac eò lites à parte Saxonicorum in Frisia suscitatas refert. De Catechismo Emdensi *singularia quædam tradit, itemque de edita sua confessiuncula Aulicos sibi invisos conqueritur, seque adeò ipsorum moliminibus cessisse, sed Ecclesiam* Emdanam *secum facere, & cum* Tigurinis *sentire profitetur.*

S. Quum relicta Frisia iter huc meum instituissem, fratres in Domino observandissimi, fuit mihi forte fortuna Coloniæ in itinere meo obvius Jacobus, qui cum vestris ad me literis Aemdam veniebat. Is igitur literas vestras mihi reddidit, ast libellos, quos mittebatis, reddere non potuit, nam in navi quadam repositi jam fuerant cum aliis sarcinis Aemdam devehendi, priusquam me Jacobus convenisset, unde postea non facile eximi poterant. Itaque illos non vidi, sed *Micronio* nostro & *Gerardo Campio* tradi jussi. Literas autem vestras magna cum voluptate legi, nisi quod me ea, quæ tu, mi Bullingere, scribis, de Fœderatorum vestrorum consiliis, Papæque conatibus, & tua valetudine, non leviter perturbarunt. Cogor autem nunc utrique vestrum unis atque iisdem literis respondere, imo vero non tam respondere, quam potius vos de rebus meis facere certiores. Ita vero rem paucis accipite. Moliti hoc sunt jampridem quidam in mea Frisia, priusquam eo ex Anglia venissem, ut doctrinam Saxonicam sub mea absentia reducerent. Id vero aperte professi non sunt, sed viam se quærere simularunt componendæ controversiæ Sacramentariæ. Quia vero prætextui huic occasio nulla dabatur, eo quod maxima ministrorum totius patriæ pars doctrinæ nostræ unanimiter subscripsisset, neque ab ea vel latum unguem discedere vellet: quæsita est ratio vocandi me in suspicionem, quasi ego doctrinæ meæ genus de re Sacramentaria in Anglia mutassem. Et sunt reperti

perti quidam, & quidem Symmystæ mei, qui id paulatim auribus plurium instillarent, me interim ne verbo quidem admonito, quem tamen pro pastore agnoscebant. Mox erant, qui nescio quam *Philippi Melanchthonis* moderationem proferrent, ut ea Ecclesiis proponeretur. Alii ex *Petri Martyris* tractatione in suam sententiam detorserant verba quædam, quædam item ex Vestra cum *Calvino* consensione, qua de re ad *Calvinum* etiam scripsi. Et, quoniam ego aliis quibusdam verbis utor, etiamsi eodem spectent, quemadmodum Vos quoque recte judicatis, spargere cæperunt, me & a *Petro Martyre*, & a Vobis omnibus dissentire; qui prius me vobiscum consentire profitebar. Et, eo res tandem, me nihil quidquam vel sciente, vel etiam suspicante, est deducta, ut doctrina Sacramentaria, cui omnes alioqui Symmystæ mei subscripserant, corrigi cœperit. Ac, ne ea sola corrigi videretur, totius Catechismi recognitio instituta est. Hæc vero mihi demum in Anglia versanti indicata est, sed non facta ulla mutandæ ullo modo doctrinæ significatione: de qua alioqui nullus e Symmystis, uno aut altero excepto, cogitabat. Itaque nec ego recusabam, quo minus Catechismus recognosceretur. Eo porro recognito, suboluit plerisque fucus. Atque ita unanimi, Symmystarum omnium, in cœtu publico, consilio constituebatur, ne recognitus ille Catechismus invulgaretur, priusquam ad me mitteretur, meaque de illo sententia haberetur. Ibi vero recognitor ille moras nectere, quo minus ad me mitteretur. Et paulo post rursum, moram nimium longam accusare, si mea sententia exspectanda esset. Breviter, editum volebat recognitum Catechismum *a*) illum non exspectata mea sen-

a) Intelligit GELLII Fabri catechismum de quo ipse ad Hardenbergium vid. Scrin. nostr. T. II. P. II pag 696 699. conf. MEINERS Hist. Ref. Fris. Tom. I. pag. 333-336.

sententia: denique jam curaverat, ut typis mandaretur. Atque aulam hic sibi faventem habebat, quæ aliud nihil quam doctrinæ mutationem meditabatur. Interea vero ego ex Anglia venio, omnium istorum plane ignarus. Et priusquam in Frisiam pervenissem, admoneor de sparsa de me suspicione, quasi doctrinam meam mutassem. Ea re plerosque offensos esse, neque ita jam, ut antea, erga meam doctrinam esse affectos, imo vero, novum Catechismum sub prelo esse, qui diversam doctrinam a mea contineret. Ingressus Frisiam, sciscitor a quibusdam fratribus, ut se ea res haberet. Intelligo latere quiddam. Posco a recognitore Catechismum, cujus pars jam excudi ceperat. Adnoto, quæ mihi non probabantur. Postea convocatis collegis, de mutata doctrina cum recognitore expostulo: moneo, ne in editione pergat: alioqui me contra scripturum esse. Protuli, quæ me offendebant, & volebam ut ad ea mihi responderet, & editionem interea differret. Placuit id reliquis collegis: recognitor Catechismi defensionem in se recepit, suppresso Catechismo. Ego defensionem refutavi, ut amplius respondere nollet, & conventum est, ut se omnes intra voces vestræ consensionis deinceps cum justa earum explicatione continerent.

Ita conquievit tragœdia. Ego vero postea confessiunculam meam edidi, ut sparsæ de me suspicioni occurrerem, in qua mihi minime hærendum, multo minus autem illam silentio meo approbandam esse putavi. Ibi rursum recognitor ille novas in me turbas movere protinus cepit. Confessionem meam in ipsius contumeliam editam esse: & nescio quæ. Respondi, me non ipsius caussa, eam edidisse; sed ut sparsam falso de me suspicionem apud pios omnes a me depellerem. Quod si ipse ejus suspicionis autor non esset, confessionem meam ad ipsum nihil pertinere. Si ve-

vero autor esset: tum sane adversum ipsum, & omnes qui idem agnoscerent, scriptam esse: Quod si aut ipsum, aut alium quempiam ulla in parte offenderet, me illam approbaturum esse. Postulabat demum ille, ut in cœtu publico Pastorum excuteretur. Excussaque & approbata est. Interim ille tamen articulos quosdam suos protulit, volebatque ut ad illos responderem. Respondi scripto, ut nihil demum contradiceret, & plane etiam conquiesceret. Hæc porro res aulicos illos vehementer offendebat. Mox editus est Catechismus, consensu omnium, rejectis prioribus illis recognitionibus Quo Aulici multo adhuc magis sunt offensi. Et cum viderent, me illic præsente, non posse sine magno totius patriæ motu, mutationem doctrinæ ullam induci: consilium de me illinc propellendo inierunt. „ Me videlicet ita invisum esse aulæ „ Burgundiacæ, ut sine patriæ periculo ferri illic ampli„ us non possem. Cessi itaque furiis illorum, *a*) hortatu totius Ecclesiæ: quæ me interim tota, unanimiter, pro suo adhuc pastore agnoscit, neque alium quenquam vult petere aut agnoscere. Et tantis me est officiis prosecuta, atque etiamnum prosequitur, ut illius erga me amorem ac fidem satis prædicare non possim. Volumen esse oporteret, si omnia prosequi vellem. Sed neque tempus id jam patitur, neque mea etiam nunc valetudo permittit. Alias igitur plura. Tantum hoc addam, ita me illic & ministros Ecclesiarum fere omnium, & universam meam Ecclesiam, ad hæc & proceres Patriæ omnes in doctrina nostra confirmatos planeque consentientes reliquisse, ut nunquam antea tanta omnium simul animorum conjunctio sit illic conspecta, sit gratia Domino Deo nostro, nisi quod aulicus Magistratus plane impius est. Et ipsa

Ppp 2 Prin-

b) Ex hisce suppleri possunt quæ à doct. MEINERS l. c. p. 343. 344. sunt tradita.

Princeps vidua in studio religionis plane refrixisse videtur. Ad reliqua vestra nunc nihil respondeo, nam re vera non possum.

Salvere jubeo Patrem nostrum communem D. *Pellicanum*, & Symmystas omnes. Dominus adsit Vobis Spiritu suo Amen. Raptim. Francoforti VIII. Junii 1555.

Vester quantus est
JOANNES à LASCO.
manu propria.

No. LXXIX.
Ad H. BULLINGERUM. 1555.

Brevitatem Epistolæ excusat. Ad Martyrem *se scripturum pollicetur. Libellum suum adv.* Westphalum *mittit, & de* Westphali *in Calvinum scripto monet, de* Bullingeri *filio* Henrico *ad Melanchtonem misso tradit. Witebergensium in Reformatos animum æquiorem spondet. Peregrinos, nutu Magistratus Francofurtani ecclesiam impetrasse nunciat.*

S. Tantis nunc obruor occupationibus, Vir sanctissime, ut quæ maxime vellem tibi cognita esse, ea jam perscribere ad te non possim: sed intra dies aliquos ad *Martyrem* scribam, & tum quoque ad te plura. Libellum a me nunc primum editum tibi mitto ut legas & iudices. *Westphalus* in *Calvinum* scripsit virulentissime, partem libelli percurri, partem nondum vacavit perlegere, sed putant quidam, qui legerunt, & *Calvino* favent, necesse esse, ut *Calvinus* calumnias illius per aliquam occasionem refutet, non quidem ut libello peculiari aliquo respondeat: sed ut aliud agens, obiter Westphali calumnias sine nomine convellat, præsertim ubi *Calvini* ipsius verbis *Calvinum* premere conatur.

Filius tuus *Henricus* nobis adfuit, cum *Ph. Melanchtonis* gener apud me esset. Huic illum igitur adjunxi, suntque una jam *Witebergam* profecti, cum mea ad *Philippum* commendatione. Magnæ sunt & inter Saxones ipsos turbæ, quod ad do-

doctrinam attinet. Quæ res forte faciet, ut *Witebergenses* nobis aliquanto æquiores habituri simus.

Nos hic jam, Divino beneficio, *Flandricam* quoque *Ecclesiam* impetravimus: ad quam instituendam *Micronius* noster huc ad me ex Frisia venit, rediturus tamen rursus in Frisiam, post institutum Ecclesiæ ministerium, ad quem modum in Anglia institutum habebamus. Estque revera ingens Dei beneficium, quod hic tam nobis faventem Magistratum habeamus. Plura jam non possum per temporis inopiam. Commendo me precibus vestris diligentissime, & fratres istic omnes officiosissime salvere jubeo. Raptim Francfordiæ xix. Septembris 1555.

Micronius multam vobis istic omnibus salutem adscribi voluit.

JOANNES à LASCO.
manu propria.

Num. IV.

GUALTHERI HADDONI
pro *Reformatione Anglicana*
Epistola Apologetica ad
Hier. Osorium, Lusitanum.
1562.

Scripserat, *Hieronymus* OSORIUS Lusitanus, Episcopus Algarbiensis, Vir longè doctissimus atque eloquentissimus, quique elegantia styli ac sermonis omnes fere sui seculi scriptores excellebat, ac *Cicero Lusitanus* dicebatur, Epistolam ad ELISABETHAM Angliæ Reginam, quâ eam à Reformanda Ecclesia Anglicana abducere, atque ut Pontificis cum auctoritati tum potestati semet denuò submitteret, illi persuadere conabatur.

tur. Hanc Epiſtolam publici juris factam *Gualtherus* HADDONUS Anglus, Jureconſultus, & Reginæ Eliſabethæ à ſupplicum libellis, ſibi refellendam ſumebat, atque, cum ipſe non minori eloquentiæ laude floreret ac *Oſorius*, adeo feliciter illi reſcribebat, Apologiam pro Reformatione Anglicana concinnando, ut uter eloquentiæ palmam retulerit, fere ſit dubium, niſi quod cauſæ gravitas ac argumentorum pro veritate pondus, victoriam minimè dubiam adſignaverit Haddono; Adverſus quem, non ita multo poſt, OSORIUS tamen *tres* edendo *libros* luculenter oſtendit, quam difficile ſit, à præjudiciis, ubi radicem egerint, immunem reddi, ac, in controverſiis Theologicis ſe intra debitos continere terminos, quod demum eſt ſapere in loco.

Ceterum, hanc HADDONI Apologiam A. 1562. ſcriptam, brevem quidem, ſed rebus gravem ac pietate fulgidam, ut Tibi, B. L. tanquam eximium quoddam ad *Anglicanam* ſub Eliſabetha *Reformationem* ſpectans Documentum, quod nec BURNETUS, nec STRYPIUS, nec alii, commemorant, communicarem, operæ pretium judicabam.

Decerpſi eam ex Libro rariſſimo, quem mea ſervat bibliotheca, ſub titulo G. HADDONI *Lucubrationes paſſim collectæ & editæ ſtudio & labore Thomæ Hatcheri Cantabrigienſis.* Londini apud Gulielmum Sereſium 1567. 4. ubi inde à pag. 210—268. ea typis exſcripta legitur ad hunc modum.

* * *
* *

G. HADDONUS Hieronymo OSORIO.
S. D.

Legi, *Hieronyme*, tuam Epiſtolam, quæ licet excellentiſſimæ ſit Angliæ Reginæ ſeparatim inſcripta, ta-

tamen ſcripta videtur ad omnes: quoniam typis propagata, publice per hominum oculos pervagatur. Magnus es tu quidem verborum ac ſententiarum architectus, & in eo tibi multum ſumpſiſti, quod vir privatus, terra, marique disjunctus, noſtrarumque rerum inſolens, regalem Majeſtatem tam fidenter affatus ſis, quod legum dignitatem minueris, quod generatim nationem noſtram, impiæ cujusdam, & invidioſæ novitatis ream feceris. Itaque mihi abs te ignoſci æquum eſt, ſi vir Anglus, regalis Majeſtatis alumnus, & Anglicorum inſtitutorum intelligens, tibi reſpondeam, & paulo tecum agam liberius, nulla offenſione animi, nulla diſſenſionis acerbitate: ſed ut errorem de Angliæ ſtatu tuum, falſis rumorum inſuſurrationibus collectum corrigam, & aliorum opiniones emendem, quas tuum fortaſſe ſcriptum depravavit. Ut autem planè cognoſcas iracundia me non efferri, ſed officio commoveri, genus ſcribendi tuum magna mihi commendatione dignum videtur, & tibi gratias ago, quod, cum hac facultate ſis, qua es, regalem Majeſtatem laudibus extuleris, cujus licet excellentiæ perfectio ſit omni tuo ſermone ſuperior: tamen exornatum eloquentia, ſane glorioſum eſt externum teſtimonium. De Monarchia philoſopharis non inſcienter, & de præſtantia religionis accurate concionaris, ſed unum eſt tuum in utroque nonnullum peccatum, quod nota per ſe ſatis nimium inculcas, & in rebus non dubiis orationem adhibes minime neceſſariam. Hanc oratio tua quaſi viam ſibi præmuniens, ſenſim ad id delabitur, quod præcipue tibi fuit inſtitutum, ut religionem pervellas, quam à nobis receptam eſſe credis. Atque hic, in ipſo introitu, vel callide diſſimulas, vel ignoratione conſuedinis noſtræ ruis, cum publica decreta conformatæ religionis, ad multitudinem incertorum hominum ſevocas, & regalem majeſtatem ab hac tractatione nominatim

tim excludis. Eſt enim hoc in more noſtro poſitum, ut nulla jura ferantur, quibus univerſa respublica teneri poteſt, niſi plebe primum ſuffragante, deinde nobilitate conſentiente, proceribus etiam eccleſiæ conſpirantibus, & ad extremum jubente principe. Quapropter ſi quicquam eſt tibi ſecus inſuſurratum, authoris fuit mendacii culpa, credulitatis tua. Quod ſi fingis ipſe ex te, jus ut noſtrum infames, quaſi truncum ſit, & mutilatum multitudinis inventum, minime facis ingenue, quod in ipſo ingreſſu tuæ diſceptationis tam dedecoroſam legibus noſtris labem inurere voluiſti. Sequitur tua gravis, & inprimis vehemens obteſtatio, qua regalem majeſtatem adoriris, ut ſi ratione planum facias, & probationum evidentia demonſtres, quid in religione ſyncerum, incorruptumque ſit, tum, ne duram ſe tibi nimium, & difficilem regalis Majeſtas præbeat, ſed manus det, veritatem agnoſcat, & ab errore ſe patiatur abduci. Recte tu quidem. Et ego viciſſim hanc ad te petitionem non minus æquam affero, tuam ut accuſationem cum oſtendam criminationis habere nimium, argumenti nihil, ſtomacho profectam eſſe, non veritatis ſtudio, calumnia niti, non ratione, convitium eſſe maledictis conflatum, non diſputationem in religione fundatam, hæc inquam omnia cum pervicero, tum ut mihi de te pronunciare liceat, nimium in aliena te republica curioſum eſſe, & temere ingreſſum ad earum rerum reprehenſionem, à quarum adhuc ſcientia longiſſime abeſſe videris. Ordiris ab atrociſſima querela verbis conquiſitiſſimis exaggerata, multitudines hominum, neſcio quas, à veritate religionis apoſtolica ſe abalienaviſſe, novamque ſimiliter, nobis ignotam, voluptatis, & libertatis oſtentatricem invexiſſe, ſed eam eſſe longe peſtilentiſſimam, & fluminibus inundare malorum innumerabilium. Deinde in authores impetum facis, contra quos tam ſpiſſis, & hor-

horribilibus convitiorum flammis fulminas, ut nihil illis in terris cogitari possit detestabilius. Ubi sunt hæc portenta religionis? quæ sunt? quandiu fuerunt, & quemadmodum de illis constare potest? ubi reperiuntur hæc hominum monstra? quid moliuntur, & quemadmodum? & undè tibi de illis compertum est? Designa res, nota personas, appone tempora, circumstantias adhibe, certi tandem ut habeatur aliquid in quo consisti possit, atque adeo tibi resisti. Vociferaris contra religionem, pugnas contra religionis authores, in utroque magnam sermonis acerbitatem adhibes, neutrum quid sit, aut ubi sit, explicas. Miserabilis hæc quidem tua est accusatio, quam si verbo refellam, omnino eam statim necesse est obmutescere. Clamas, imo profecto exclamas, & valde sane lamentabiliter, „ esse recens „ susceptam religionem execrandam, aversandam, ab- „ ominandam, esse ejus authores scelestos, sicarios, „ veneficos, eversores rerumpublicarum, hostes humani „ generis. Ego contra, nihil istorum esse contendo, tibi non credo, doceri postulo. Quid affers? quid probas? inclamas quantum potes, omnia flagitiorum vocabula cumulans, quæ videris ad hanc ipsam rem seposuisse, commentitiam ut religionem tuam illis deformares, & personas confoderes, quas præter te novit nemo. Certe quidem nobilissimam christianæ ditionis Insulam, ac tibi minime notam, ex fictis, vel malevolorum nostrorum, vel assentatorum vestrorum rumusculis, in auribus regalis Majestatis tot contumeliis divexare, nullum statuentem certum criminis aut personæ nomen, hominis est parum considerati, suoque otio ad aliorum infamiam nimium abutentis. Sed plura complectamur. „ Popularem esse dicis hanc, quam accusas, sectam, & „ hominum ab illis vitia non castigari, sed incitari cu- „ piditates, & furores inflammari, multis exemplis de „ veneficiis illorum & conspirationibus contra princi-

„ pum salutem constare. " Terribilis sane criminatio, teterrimumque genus hominum, si ullum hujusmodi spirat in terris. Sed si nullum est, magnum est, & temerarium criminatoris vitium in rebus bene constitutis tam diras excitare tragœdias. Tamen ut ingenue confitear, illata venenorum & bellorum mentione, ad superiorem majorum nostrorum memoriam respiciens, incipio recordari de *Henrico quarto a*) quodam imperatore, quod stupenda quadam, ac sacrilega crudelitate monachus illi venenum in *Eucharistia* suffuderit, quo paulo post interierit, &, cujus in eo consilium intervenerit, ex historia cognosci potest. Et annales nostri, flagitio simili personæ non dissimilis, *Joannem b*) *Angliæ* regem absumptum attestantur. Sed hæc ad te particulatim allegare minime sane opus est, qui, cum multo sis his maleficiis propior, quam ego sum, melius ex propinquorum tuorum libris scire potes, quam frequenter pocula venenorum inter ecclesiæ Romanæ principes, & patronos commeaverint, deinde bellorum semina quemadmodum, & à quibus per universas Christianæ ditionis respub. perspersa fuerint. Verum, accusatorie non agam, sicut tu facis, nec suspicionibus pugnabo, sed immortali Deo manus supplex tendam, gratias agens maximas, quod illas superiorum temporum profundissimas caligines, Evangelii sole palam inter-

a) Pro *Henrico quarto*, legi debet *Henrico septimo*: Hunc enim Imperatorem, Romæ cardinalibus Sacramentum præstare renuentem à Bernhardo Politiano, Monacho Dominicano, Confessore suo venenatæ hostiæ subsidio necatum, A. 1313. testantur Scriptores Pontificii, quos longo ordine recensuit, Mart. DIFENBACHIUS Mœno-Francofurtanus in Tractatu *de vero mortis genere, ex quo Henricus VII. Imp. obiit.* Francof. 1685. 4.

b) De morte *Johannis Angliæ* regis, A. 1216. quanquam incerta sit relatio, conf. *Polyd.* VERGIL. in Histor. Angl. p. 370.

ter nos exorto, dispulerit, cujus ignoratione prius, & superstitionis fiducia, scelerum in sentina secure volutabamur, plumbo diplomatum credentes expiatum, & precum demurmuratione non intellectarum, quicquid admitti poterat improbitatis in vita. Sed intonuit in auribus nostris sacrarum Scripturarum authoritas, & ita conscientias perterrefecit, ut in sola Dei misericordia gratuita, postpositis, & abjectis hominum inventis, perfugium habeamus, illud pariter accurantes, quod à Propheta præcipitur, ut morum nostrorum innocentiam ad sanctitatem & justitiam conformemus. Quæ cum ita sint, miror, cur tam longa tibi fluxerit ad regalem Majestatem oratio, qua providendum omnibus principibus, & vigilantissime præcavendum esse scribis, ne per novam hanc tuam, adhuc ignotam sectam, loco moveantur. Equidem regalis Majestas omni prosperitate floret, ac suos amans, amatur à suis, & ne minimam quidem horum tumultuum, de quibus tu vaticinaris, auram persentiscit. Reliquas ego respublicas jamdiu tranquillas fuisse, & adhuc esse spero. Certe contra nihil intelligo, nisi forte Gallicam tempestatem objicias, quæ & ipsa nunc placata est, & unde primum flare cœperit, facillimum explicatu est. Sed quoniam tu nihil nominas, ego præteribo. Sequitur in Epistola tua, communis & tritus omnium scriptis sermo, de fragilitate præsentis vitæ, quam contemni vis, & aditum ad cœlos fieri, projiciendum esse quicquid est humanarum rerum, ut sempiternum ad fœlicitatis statum pervehamur. Deinde mirare, novis nos ad hanc rem magistris uti velle, cum tua quidem sententia veteribus contenti esse possimus: tamen addubitari
„ confiteris, & commemorari de professione quadam
„ doctorum recens ingressorum, qui falsam novitatis
„ infamiam deprecantur, & hoc suscipiunt, ut eccle-
„ siam omni fæce scholasticorum errorum resecta per-

„ purgent, & ad Apoſtolicorum inſtitutorum ſinceri-
„ tatem revocent, ut veritatem in Evangelio Jeſu Chri-
„ ſti fundatam, jamdiu quæſtu & ambitione oppreſ-
„ ſam, orbi Chriſtiano repræſentent, ut obſcuratam
„ hominum ſomniis Dei gloriam, clara ſacrarum ſcri-
„ pturarum & aperta luce perfundant, ut ſuperſtitio-
„ num ſervitute nos exſolvant, denique purum Dei
„ cultum, & antiquam priſcorum temporum diſcipli-
„ nam reſtituant. Horum tu quidem profeſſionem ita laudas, ut conatum irrideas, hos tota reliqua criminatione tua vexas. & vertas arbitratu tuo, partim ludendo, partim ſtomachando, partim declamando, partim etiam exclamando. Benè eſt. Quænam ſit tua nova ſecta tandem intelligo, contra quam tantopere tuam eloquentiam exacuiſti. Tandem adverſarios video, quos, tanquam regni peſtes, à regali Majeſtate deſecari vis, & foras ejici. Mihi contra videtur, hos Evangelii Profeſſores, Dei ſervos eſſe, divinitus ad nos dimiſſos, ut ignaviam noſtram in his periculoſiſſimis ſeneſcentis jam mundi temporibus expergefaciant, tarditatem incitent, errorem refellant, impietatem coarguant. Itaque conquirendos à regali Majeſtate, magnifaciendos in univerſa republica. Vides quantum inter tuam interſit, & meam opinionem. Pergendum igitur eſt, & ponderandum, quid tu, magnus ſcilicet ille principum magiſter, contra venerandos Dei ſervos, aut veri proferre potes, aut falſi comminiſci. Quanquam aliorum, uti reor, iſta fingendi crimen fuit, tuum eſt ſanè duplex vitium, in aſſentiendi temeritate primum, & alterum in ſcribendi confidentia. Nec omnes tuæ criminationis angulos excutiam, quæ maxima ex parte ſonos inanes fundit, verborum ſplendore decoratos: ſed per capita præcipua breviter decurram, & ipſa, ſi poſſum, accuſationis tuæ cornua commovebo. *Primum* ad perſonas animadvertendum eſſe dicis, quoni:

niam magnifice promittunt, & explorandum, quid in illis ſit facultatis, & nervorum, quantum habeant virtutis, & ſanctimoniæ? *Deinde* quæris, an perfectiores in omni laude pietatis ſint, quam *Athanaſius*, *Baſilius*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus* fuerunt? Equidem multi ſunt ex illis eximia doctrina, moribus integerrimis: nec tu quicquam affers, cur non pares vetuſtis patribus eſſe poſſint. Sed ut ab his invidioſis te comparationibus abducam, nego id hoc in loco quæri debere. Noſtros enim doctores cum illis venerandis Patribus conſpirare defendo, viam eandem ingreſſos, ſummam religionis eandem tradere. Quod ſi ita eſt, fruſtra eſt inter concordes comparatio. Si non eſt, tu diſſentire doce. Queritur *Auguſtinus*, in ſuis temporibus flumina ceremoniarum ſic inundaviſſe, deterior ut prope conditio Chriſtianorum fuerit, quam olim fuiſſet Judæorum. *Hieronymus* ſacras Scripturas, ab Eccleſia veſtra penitus abſtruſas & abditas, etiam à pueris, & mulierculis memoriter optat edisci. *Baſilius* otium ſuum ſanctiſſimo theologiæ negotio transmiſit, & diſcendæ, & docendæ. Quod ſi Baſilicis inſtitutis monachi vixiſſent noſtrorum temporum, ne digito quidem illos quisquam attigiſſet. *Athanaſii* ſymbolum juſtam habet venerationem, nec ulla inter illum, & noſtros eſt quæſtio. Sed mihi ſatis eſt reverendos Patres *noſtros* dicere, donec tu, non eſſe, planum feceris. Verum ex antiquis hiſce patribus, quoniam præter nuda nomina nihil ad inſtitutum tuum allegare potes, ad noſtrorum tranſis reprehenſionem, & orſus à LUTHERO, manes ejus maledictis dilaceras, audacem increpans, & popularem, &, ſi diis placet, furioſum etiam. Iſte Vir Dei, quem tu furere calumniaris, in publico conſeſſu, coram Imperatore *Carolo*, ſobriam & ſanam fidei ſuæ rationem reddidit. Iſte furioſus contra ſapientiſſimos Eccleſiæ veſtræ patronos ſalvus

annos triginta constitit, illis adversus ejus salutem quantumvis insanientibus. *Erasmus* huic furioso singulare dat innocentiæ testimonium istis ipsis verbis: *Lutheri Doctrinam improbant nonnulli, vitam uno ore prædicant omnes.* Sed, *popularem fuisse Lutherum*, addis. Quemadmodum hoc interpretare? Si popularis est, qui respicit ad populi salutem, nemo magis. Si popularis levitatis concitatorem intelligis, revolve scriptum, quo populares Germaniæ tumultus exagitat, & mitte contumelias. Sed, ne videaris in solo *Luthero* peccare, reliquos annumeras: quasi tantum in affirmatione tua pondus sit, ut possit ex optimis viris pessimos efficere. Duos nominatim citabo præcipuos evangelii professores, *Martinum* BUCERUM, & *Petrum* MARTYREM, ad hanc insulam summo Dei beneficio delatos. Conferant omnes inimici capita, videamus quid in istorum vita reverendissimorum patrum ipsa possit invidia desiderare. O aureum par senum felicissimæ memoriæ, quorum doctrinæ testes libri sunt ab illis confecti, morum tot habuerunt approbatores, quot unquam convictores invenire potuerunt. Tu vero, si sapis, linguam posthac, & stylum cohibe, etiam atque etiam vide quo irruas, noli confidentes, & audaces, & elatos omnes appellare, cum magna sit illorum multitudo, qua nihil mansuetius possit, aut modestius, aut consideratius reperiri. Duos proferebam, liceret eodem modo de gregibus nostrorum hominum affirmare. Sed satis est duorum eximia modestia reprehensionem unius, nimis ipsam audacem, & confidentem refutare. Transilis rursus ad nostrorum doctrinam, & improbas in ea, „ quod solas urgent sacras Scripturas, solum „ ad consilium adhibent spiritum Sanctum, rejectis, & „ repudiatis authoribus humanis. Equidem hoc si ita esset, sequerentur in eo Domini nostri Jesu Christi morem, sequerentur Apostolorum consuetudinem, &

ve-

veterum Patrum in primis Ecclesiæ temporibus. Sed secus est. Assumunt enim probatorum interpretum sententias omnis memoriæ, quemadmodum illorum libri testificantur, qui tuam hanc calumniam apertissime convincant. Suaviter tu quidem ludis, & etiam, ut tibi videris, nervose disputas contra nostram, quam ostentant in vita, perfectionem, & tamen hanc ipsam dicis illorum quotidianis flagitiis coargui. Falsum est, illos supra sortem humanam sibi quicquam arrogare, contumeliosum est, eorum mores infamare, quorum ne minimum quidem erratum proferre vis. Ostende, si potes, quicquid est, quod tam vehementem habet offensionem. Si non potes, desine contra personarum gravissimarum existimationem tam perniciose nugari. Demonstrari postulas „ qua in re nostri meliorem fe-„ cerint Ecclesiæ conditionem, quam antea fuerit? " Non opus est repetere nos, tu ipse commemoras, sed interpretatione differimus. „ Tu virginum, & „ monachorum cœtus ad celebrandam Dei gloriam, & „ tuendam corporum castitatem inclusos, à nostris ad „ libidines, & omnem vitæ licentiam emissos crimina-„ ris, ædes illorum quæstu publicatas, leges latas, ne „ religio libidinem impediret. " O nimis procacem, & licentiosam omnia pervertendi libidinem. Fatemur, & quidem perlibenter, sanctissimis nostrorum monitis illas corruisse scelerum cavernas, in quas teneræ virgunculæ detrudebantur, & miselli pueri, tanto morum detrimento, quantum verecundia mea non potest explicare. Nihil propemodum habebant illæ nequitiarum officinæ, præter Pharisaicam ignota lingua precationum assiduitatem, reliqua poterant interiora cum illis priscis Romæ bacchanalibus comparari. Quare Deus nostrorum mentes excitavit, ut tam numerosæ cohortes in

a) Conf. *Histor. Reform. Anglic.* in *Histor. nostr. Ref.* Tom. IV. §. LXXXII. LXXXIII. pag. 254-259.

in corruptissimis angulis delitescentes, illorum piis cohortationibus ab otio ad negotium, à vitiis ad virtutem, ab infandis congressibus ad honestissimum conjugium evocarentur. Nec tamen ullam in matrimoniis necessitatem facimus, sed humanum jugum conscientiis detrahentes, Evangelii libertatem restituimus, in qua Domini nostri Jesu Christi manifesta verborum authoritas nos collocavit. Ædes vero, pios ad usus scholarum, Academiarum & xenodochiorum distributæ sunt, legibus provisum, ne rursus sues in cœno tam inquinato se volutarent. Magnum hoc, & summum Dei beneficium. quo plus per nostros diaboli tenebricoso regno detractum est, quam omnibus in unum collectis Ecclesiæ vestræ constitutiunculis. Deploras imaginum, & tabularum amolitionem, & demptis hujusmodi monumentis, nihil reliqui superesse contendis, quo mens ad divinarum rerum meditationem suscitari possit. Nostri vero cœcitatem recentium temporum recordantes, idololatriæ deliria perhorrescunt, contra quam expressum Dei præceptum est, & Evangelium à simulacris præcaveri jubet. Hoc autem metu sublato, tamen doctrina Domini nostri Jesu Christi summam debet inter Christianos viros authoritatem habere, qua pronunciatur, Deum, & ipsum esse spiritum, & illorum esse rectum precandi morem, qui spiritu illum, & veritate colunt, & tales etiam à Deo Patre precatores perquiri solere. Salutaris hæc est inprimis supplicandi formula, si ponderemus, unde profecta sit, & quo referri debeat, nec his eget externarum rerum adminiculis, quibus ad solium Dei Patris ascendat. Imo vero noster externus homo, dum in his sacrorum adumbrationibus nimium occupatur, vis mentis interior refrigescit, & vitiosum hunc fucatæ religionis succum colligens, verum cœlestis meditationis fructum amittit. Apponamus exempla. Vetus apo-

apoſtolorum, & martyrum eccleſia nihil habuit iſto-rum monumentorum, & tamen erat illorum ſpiritus amore divini numinis inflammatiſſimus. In deflexu ſinceræ religionis, picturæ ſenſim irrepſerunt, & elan-guit ille prior in animis effervefcens religionis ardor. Tandem invexit ſe degener; & ſuperſtitione deformata ſcholaſticorum Theologia. Statim omnia conferta pi-cturis, & imaginibus, quorum externa veneratio cum omnibus in locis increbuiſſet, verus, & internus Dei cultus recidit. Itaque philoſophare quantum libet de ſenſuum imbecillitate, quantum potes horum ſignorum præſtantiam exorna, tamen illud in ſacrarum ſcriptu-rarum authoritate manebit, Deum in ſcripturis per-fectiſſime cognoſci, & in ſpiritu ſinceriſſime coli, veſtrasque picturas vel præſente ſpiritu non deſiderari, vel eo abſente non prodeſſe. Sed nimium tibi vide-tur iſta per partes tractare, quapropter ſummatim po-nis, „ ſacra, ceremonias, & ſacramenta omnia fundi-„ tus à noſtris everti. " Quid ego audio? Vivit ul-lum in orbe Chriſtiano theologorum genus, quod ſa-cra, ceremonias, & omnia ſacramenta funditus ever-tit? Aut, id ita eſſe neceſſe eſt, aut, tuam oportet eſſe, ſicut profecto eſt, nimis impudentem hyperbolen De reliquis eccleſiis affirmare non poſſum, ſed præclare de illis exiſtimo. Noſtrorum autem in divino cultu rituum hoc ipſo in loco, pauciſſimis tibi rationem reddam, nec te diutius aut ipſum errare patiar, aut alios in er-rorem adducere. Primum, quoniam fides ex auditu exiſtit, ſacrarum ſcripturarum doctores ad univerſas noſtræ regionis oras dimittimus, ut plebem in omnibus pietatis officiis erudiant, & ad verum Dei cultum in-forment. Deinde publicam habemus ex ſacris ſcriptu-ris coagmentatam precationum formulam, authoritate Parlamenti (ſic enim conſenſum trium noſtræ reipub. ordinum vocamus) corroboratam, à qua recedi non

patimur, profpicientes in utroque. quantum potuimus ut præcepto fpiritus fancti pareatur, edicentis, *ut qui loquitur in ecclefia, divinas in ea voces ufurpet*, Deinde, communis ut omnium, & concors fit fententia. Sacramenta vero propinquiffime curamus ad præfcriptum adminiftrari facrarum fcripturarum, & ad exemplum ecclefiæ veteris, in qua dominus nofter Jefus Chriftus ea primum ipfe cum apoftolis inftituit. Hæc autem omnia lingua noftrate proponuntur, quoniam magna eft amentia coram Deo, quod nefcias, effutire, pugnatque manifefte cum faluberrima Pauli doctrina, cum omnibus prifcis apoftolicarum ecclefiarum exemplis. Impofitionem manuum, conjugii celebrationem, puerperarum ad ecclefiam inductionem, ægrorum vifitationem, & funerum humationem, folennibus, & publicis officiis ad Evangelii veritatem compofitis exequimur. Tantum autem ad hæc ceremoniarum infundimus, ut omnia convenienter in ecclefiis & ordine gerantur, ficut in evangelio nos admoneri cognofcimus. Temporum, locorum. dierum, & reliquarum circumftantiarum apud nos prope nulla eft facta mutatio, nec in univerfa religione quicquam eft noftra novum, quod non aut evidentem abfurditatem, aut expreffam impietatem habuit. Expofui ritus ecclefiæ noftræ, quam vides, nec facris, nec facramentis, nec ceremoniis denudatam effe, fed in omni genere tantum effe refervatum, ut nimium nos injuriofe fit tractaturus, qui nihil horum apud nos remanfiffe calumnietur, cum nihil eorum abfit, quibus ad verum Dei cultum opus fit. Jugum fummi pontificis à nobis excuffum dicis. Recte tu quidem. Gravius enim erat, quam aut nos, aut patres noftri diutius fuftinere poterant, nec ullum agnofcimus fummum Pontificem, nifi dominum noftrum Jefum Chriftum, cui facræ fcripturæ peculiarem hunc honorem affignant, Nec in

eo

eo *Christi tunicam* discindimus, ut tu conjectas, sed *episcopi Romani pallium* fortasse vellicamus, nec viam, ut tu vis, ad seditiones aperimus, sed iter occludimus, quod ejus licentioso plumbo maximam ad morum perversitatem descendebat. Multas unitates colligis, & ex illis argumentare, summam unius potestatem intervenire debere. Non ita est necesse. Nam in optimis ecclesiæ temporibus unus Deus, una fides, &c. tamen suam Petrus habebat provinciam, Paulus suam, Jacobus suam, alias alii, nec tamen personarum distractio, fidei disjungebat unitatem. Succedentibus sæculis multi fuerunt episcopi Romani martyres, & à prophanis principibus immolabantur, sed coronas, nisi martyriorum, habebant nullas, papalem hunc extraordinarium principatum ignorabant, Gregorius etiam abominabatur. Quare, si præstantissimus ecclesiæ status expers fuit hujus monarchiæ, nos etiam illa facillime carere possumus, imo vero debemus, non solum evangelio palam interdicente, sed etiam suffragante ratione. Nec enim caput à membris tam longe convenienter diffidere potest, præsertim cum hæc unica potestas, pro qua tantopere laboras, domi nobis in Anglia præsto sit, ut minime sit opus eam foras quærere. Regalis enim Majestatis absolutam habemus authoritatem, qua reipub. nostræ principatus integre, & explete continetur. Sed nimirum hoc tibi ferendum non videtur, & hoc in loco sic incalescis, ut sacrilegii crimen principibus intentes, quod in legibus ecclesiasticis præesse velint, quod temere res sacras contrectent. Noli, Hieronyme, nimium conturbari, non decet tanta virum philosophum iracundia, respira paulisper, & ad te redi, recte omnia videbis expediri. Regalis Majestas omnibus dominatur Angliæ personis. Quidni? Similiter Gallus Gallis, Scotus Scotis. Sed, ad res sacras manum apponit. Minime. Res enim politicas civilis

vilis magiſtratus exercet, eccleſiaſticas adminiſtrant epiſcopi, ſi quid in rebus eccleſiaſticis publice conſtituendum ſit, decernunt theologi, decretum regalis Majeſtas teneri jubet. Quid accuſas? Reges Iſraelis proprium, & peculiarem Dei populum his olim inſtitutis gubernabant. Succedens Evangelium, & poteſtates diſtinguens, primam collocat authoritatem regalem, & ſubter eam reliquas ſubjicit, authoribus Petro, & Paulo, quorum vos nominibus ad Romanæ ſedis regnum abutimini. Verum, tu non ſolum pro ſceptro papali pugnas, ſed etiam pro ſacroſanctis decretorum ſanctionibus, ut tibi videntur, contendis, quorum interitu Dei metum ex animis hominum evanuiſſe judicas. Certe, Deum ut timeremus, credebam divinis literis effici, non epiſcoporum Romanorum decretis, & canonibus audivi locupletatos ſane quamplurimos, ſed eruditos in vero Dei timore, non multos. Verum ut hoc tibi largiar, multos ex antiquis canonibus ſalubrem & præclaram habere morum diſciplinam, ſicut habent profecto, mea quidem ſententia, quid aſſequeris? Nos & decretis utimur, & decretalibus epiſtolis forum eccleſiaſticum exercemus, & in neutro genere quicquam rejicimus, præter authorem, & ne illum quidem ut epiſcopum Romanum, ſed ut Papam, & eccleſiæ noſtræ caput. Nullam agnoſcimus ſupremam poteſtatem in Anglia, niſi regalem Majeſtatem: ſed in externis aliorum monumentis ſi quid ad pietatem, aut virtutem amplificet, aſciſcimus undecunque ſit. Hujus tu noſtræ conſuetudinis ignoratione, decretorum ruinas defles, quæ quidem omnia, quatenus ſacris ſcripturis non adverſantur, apud nos vivunt, & vigent. Accuſas doctores noſtros, tanquam effrænis cujuſdam, & immoderatæ libertatis authores, & adjungis Dei metum illos omnem auferre, & diſſolutiorem eis, ac nequiorem orationem affingis, quam unquam aut Epicuri

fue-

fuerit, aut Diagoræ. Deinde, cum hanc ipsam nostris hominibus commentitiam personam imposueris, longo sermone ludis, & illudis, ut libet. Tu vero memineris, quid summus ille tuus eloquentiæ magister olim sapientissime scripserit, *impiam esse contra Deos iocandi consuetudinem, seu serio, seu simulate fiat*. Id si natura prospicere doctrina gentilis potuit, tibi Christum professo, contra Christum ipsum facetiis exultare, cujusmodi sit, etiam atque etiam vide. Nunc ad rem venio. Cum Paulo confitemur *in illa libertate consistendum, in qua Christus nos collocavit*. Sed hanc spiritus libertatem ita modificamus, ut in carnis licentiam non erumpat, quemadmodum ille idem Paulus edixit. Evangelio credimus, *nullum in illis exitii sempiterni periculum esse*, qui *in Jesu Christo* sunt insiti: sed assumimus & illud, quod in eodem contextu est, *qui non juxta carnem versantur, sed secundum spiritum*. Nolo enim longe ab ipsis sacrarum scripturarum verbis abire, ne quicquam insincere videar tractare velle. Paulus post longam & seriam disputationem concludit, arbitrari *se fide nos sine legis operibus justificari* Consentiendum est (nec enim evangelio derogare possumus) sed illud ex eodem pariter asciscendum, *fides per charitatem operans*. Hanc igitur istarum rerum conjunctionem si tenemus, uti profecto facimus, tu disjungere non debes, & errorem impugnare, qui præter te ipsum authorem habet neminem. *Incivile est*, ut verba Juris civilis usurpem, *arripere legis particulam, & totam ex ea causam judicare*. Noli præscindere de nostrorum doctrina, sed integram repete. Quod si feceris, & justam invenies ab illis habitam operum rationem, & eorum reperies ad pœnitentiam gravissimas cohortationes, & te hoc in loco minime sapienter sine adversario tam diu litigavisse judicabis. Nec tamen tua dicacitas ullum sibi modum statuit. „ Etenim admirabili quodam stupore nostro-

 „ rum

„ rum hominum, & amentia, rationem alligatam vo-
„ ciferaris, libertatem arbitrii detractam, totum genus
„ humanum adeo spoliatum & excœcatum, nihil ut
„ interſit inter hominem, & lapidem, Deum ab illis
„ induci peccatorum authorem, omnia ſine diſcrimine
„ confundi, & commiſceri, denique Deum etiam il-
„ los injuſte punire, quos ipſe prius perverterit. Equidem iracundia non facile ſoleo commoveri, tamen me diutius tenere non poſſum. Non ſolum hebes, & imperita, ſed etiam blaſphema jam hæc eſt tua calumnia, quam ne lapides quidem ipſi, de quibus commemoras, ſi loqui poſſent, contra noſtros intorquerent. Sed animadverte pauliſper ad ſacras ſcripturas, & reſipiſce. *Deus pater in Chriſto nos elegit, antequam jacerentur fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti, & irreprehenſibiles coram ipſo.* Divinam electionem audis ex evangelio, quam tuus ſermo tantopere deteſtatur, & tempus audis, nec id affert hæc electionis neceſſitas, ut in omnes libidines, & nequitias effundamur, quemadmodum tu quidem impie jocaris, ſed ut ſancti ſimus, & irreprehenſibiles coram Deo per charitatem, ut in expreſſis evangelii verbis poſitum eſt. *Deus eſt, qui in nobis operatur, & velle & perficere.* Paulus iſtis verbis & voluntatem alligavit, & aſtrinxit facultatem. Quid igitur? Nihil inter nos & lapides intereſt? Obtuſior ſit lapide, qui ſic colligat. Idem enim ipſe Paulus nos *Dei cooperarios* appellat, & *in timore* jubet, *ac tremore propriam ſalutem operari.* Quemadmodum, inquis, cum ad Deum omnia referantur? Ex Paulo tribus verbis cognoſces. *Omnia poſſum in Chriſto, qui me corroborat.* Et Auguſtinus eandem ſententiam aliis verbis elegantiſſime concluſit: *Deus in nobis ipſe ſua coronat opera.* Quid eſt? An non undique communitam cernis authoritate ſacrarum ſcripturarum ſacroſanctam Dei providentiam? Et tamen intelligis eandem non eſſe peccati matrem, ſed alum-

alumnam omnis officii. Sed, fontes ipſos adeamus, ex quibus cum mella dulciſſima manent, tua tamen corruptiſſima mens, peſtilentiſſimum ex illis venenum exſuxit, & ut contra te certius procedatur, ex Evangelio verba repetemus. *Nondum natis pueris, cum neque boni quippiam feciſſent, neque mali, ut ſecundum electionem Dei propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt illi, major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Quid ais, optime vir? Ecce tibi rurſus electionem, & eam quidem ſecundum Dei propoſitum. Ecce tempus electionis, nimirum pueris non adhuc natis. *Quid igitur dicemus? Num injuſtitia eſt apud Deum?* Paulus abominatur, Hieronymus Oſorius affirmare non dubitat. Dei vox eſt ad Moſen: *Miſerebor, cujuscunque miſereor, & commiſerabor, quemcunque commiſeror.* Subjicit Paulus, *neque volentis eſſe, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Pharaonis exemplum aſſumit, & cum illo concludit, *Deum cui vult miſereri, quem autem vult indurare.* Quid nos ad hæc? Certe ſempiternam divini numinis providentiam in iſtis ſacrarum ſcripturarum verbis tam manifeſte collocatam agnoſcimus, & veneramur, & Pauli monitis utentes, nos creaturas eſſe meminimus, nec cum creatore diſceptamus, in vocatione permanemus, officio fungimur, demiſſiſſime & aſſidue ſpiritus ſancti gratiam imploramus, reliquum infinitæ Dei miſericordiæ permittimus, nec in arcanis ejus myſteriis plus ſapere volumus, quam oportet. Quid Hieronymus Oſorius? Profecto ſi ligetur humana ratio, ſi conſilii libertas eripiatur, ſi voluntas ſempiternis vinculis impediatur, ex eo ſcilicet conſequi, totum hominem judicio, & ſenſibus orbari, nihil inter ipſum & lapidem intereſſe, Deum etiam malorum authorem conſtitui, nec id ullam habere rationem, ut pro illo ſcelere plectamur, quod ſponte noſtra non ſuſcepimus. Num fingo quicquam? Num

muto?

muto? Num proprias voces tuas recognoscis, partim falsas, partim impias? Nimirum tu ille ipse superbus responsator es, cujus fastum acerrime Paulus objurgat. Tu, cum vas testaceum sis, ex luto, & argilla factum, à figulo scire vis, quem ad usum te temperaverit? Sed in tempore, si sapis, hanc arrogantiam seda, spiritus istos minue, Dei te creaturam esse memineris, quomodo sumus omnes, dedisce tuum arbitrium, & ad Dei arbitrium te supplicissime, tuaque omnia refer, aut, si ullam habes extraordinariam facultatem propriam, à qua prorsus divelli non vis, illam tibi separatim habe, nos sine miseros, & perditos peccatores omnibus humanis præsidiis, & operibus abjectis ex Dei sanctissima providentia totos, & ejus gratuita misericordia pendere Tandem satis perbacchatus, aliquid incipis concludere, summam eorum faciens, quæ nostros quereris esse demolitos, & interrogas, quid in illorum locum successerit? Equidem utrumque per partes ante demonstravi: tamen verbo repetam. Pro superstitioso delitescentium hypocritarum otio, necessarium Christianæ professionis negotium, pro vagis libidinibus, honoratissima conjugia, pro somniis humanorum inventorum, sacras Dei Patris, & Domini nostri Jesu Christi scripturas, & in illis omnes thesauros Christianæ perfectionis. Utinam hic tuam abrupisses contumeliosissimam epistolam. Etenim te fortasse convitiorum non piget sine causa coacervatorum, me profecto tædet illa recensere. Quorsum enim attinet, sine argumento, sine sale, sine ulla verisimilitudine, tuos te tam procaces, tam absurdos errores in auribus regalis Majestatis, atque adeo universi orbis Christiani toties repetere? Verum illud ex magistro Cicerone sumpsisti, cum semel verecundiæ fines transilieris, ut gnaviter impudens esse velis. Hoc tibi cum plane constitutum sit, tuis ego te vestigiis sequar, & quoniam quidem semel

semel sum ingressus accusationem tuam, ad extremum usque mea defensione persequar. Oratio tua novo impetu in mores nostrorum incurrit, sed peccatis veteribus pugnat. Fastum illorum reprehendis, & impudentiam, deinde latrocinia, venena, conspirationes, & omnia genera flagitiorum intexis, nunquam ut plura tuus præceptor olim contra Verrem congesserit. Tandem argumentaris nostrorum dissoluta vita doctrinæ vitium coargui. Nam salutari disciplina mores humanos solere corrigi: quod quoniam absit nostris temporibus, rejici debere fructus expertem theologiam. Falsum est, quod de perversitate nostrorum assumis, & id si verum esset, ex eo, quod tu colligis, nunquam efficeretur. Semper zizania fuerunt in messem inspersa, semper ex vario genere semina fuerunt, partim spinis suffocata, partim æstu solis inarescentia. Prophetis opponebant se pseudoprophetæ, dominus noster Jesus Christus Caiphas invenit, apostoli Nerones, & Decios qui sequuti sunt martyres. Sed hæc obsoletiora. Domum te deducam: In ecclesia vestra non publice peccatur? Non aperte delinquitur? Annuis. Tuum igitur argumentum projice, quod aut omnino non valet, aut contra te primum, tuamque valere debet ecclesiam. Igitur, si perfectionem absolutam urges, & innocentiam illibatam, frustra quæris in hac vita sine carne spiritum. Quod si vel nostros homines cum vestris, vel cum vestra nostrorum doctrinam comparari postulas: præsto sumus, confer quantum libet. Interim istum intermitte petulantissimum convitiandi morem, qui probrorum plenus est, argumentorum inanis, qui nihil promit ex sacris scripturis, nihil olet ex patribus, flumen tantum habet verborum sane perbonorum, sententiarum subtilitatem perexiguam. In hoc genere tua, quæ sequitur, antithesis est tibi tam vehementer elaborata. Nam ex al-

tera parte constituis apostolos, & illorum, ut par est, eximiam virtutem, & doctrinam maximis verborum, & sententiarum luminibus expinxisti. Nostros autem ex altera collocas, & eorum teterrimam improbitatem infra omnes inferos demersisti. Tu vero, si recte rem instituisses, ad aliquod aliud tempus hos eloquentiæ tuæ tam magnificos apparatus seposuisses. Nec enim hic tibi quicquam prodesse possunt. Quanquam autem verissime licet defendere, nostrorum eandem esse doctrinam, quæ fuerit olim apostolorum, ab eodem scilicet evangelio derivatam, & etiam sacris scripturis devinci possit, ab ipsis apostolis in vita sæpe titubatum esse: tamen illorum singularem in utroque præstantiam ultra communem humanæ conditionis fragilitatem evolavisse confitebimur. Magistri fuerunt selectissimi, convictorem in terris habuerunt Dominum nostrum Jesum Christum, primitias spiritus sancti gustaverunt. Itaque nomen illorum officiosissima veneratione colimus. Ad recentiora tempora descende. Vestram exhibe nobis ecclesiam; & hoc inter nos certamen sit, utra sit Apostolis ecclesia propinquior, & sinceritate morum, & veritate doctrinarum. Hanc si causam recipis, statim tecum litem contestabimur, ac etiam hoc tibi amplius indulgebimus, ut anthitheses ad hunc statum adhibeas, quantum voles amplificatas. Sed nihil proficio, nec à te quicquam æqui aut boni impetrare possum. Rursus ad virus convitiorum revolveris, aperte contra nostrorum exclamans evangelium, & in eo tuam expromens universam maledicentiam. Tu vero tumultuare quantum potes, & vociferare quantum fauces ferent: tamen hac importunitate tua nunquam efficies, quin verum, & antiquum, & purum à nostris evangelium omnibus annuncietur: & hoc ecclesia vestra, nisi resipuerit, olim cum certissima clade sua sentiet, cum ad tremendum Christi judicis tribunal sistemur,

mur, & rationem fidei nostræ reddemus, non ex decretis, & decretalibus, quæ tu tam vehementer amplexaris, non ex Juliis, & Bonifaciis, in quorum authoritate vestri conquiescunt: sed ex hoc ipso Evangelio, quod tu tam procaciter irrides, quod à vestris tandiu sepultum, divinitus interveniente nostrorum opera, publice restitutum est. Verum quid tibi fiet misero, qui non solum nostros violas, sed etiam Hieremiæ sanctissimo Dei Prophetæ vim affers, ac illum quantumvis invitum, ac repugnantem contra nos testimonium dicere cogis. Audiamus quem citavisti divinissimum virum, & ex ejus vaticinatione quid verum sit, dijudicemus. *Nolite*, inquit, *verba Prophetarum audire, quibus jucunda prænunciant, & decipiunt vos, visionem cordis sui loquuntur, & non de ore Domini. Sic enim loquuntur his, qui me probris afficiunt: Pax erit vobis. Et iis, qui ambulant in pravitate cordis sui dixerunt: Non eveniet vobis malum.* Hic plane triumphas, & nostros manifeste deprehensos affirmas. Ego contra, Prophetam contendo, vestram ad Ecclesiam iis verbis digitum intendisse, nec id cur ita sit, cuiquam, qui scire velit, obscurum esse patiar. In vestris igitur Ecclesiis, hæc tranquilla pax regnat, in vestris, inquam, Ecclesiis viget & exultat hæc amœnissima malorum requies, qua sic alios consopivistis, & ipsi estis cum illis consepulti, nihil ut vel ipsi malorum impendere provideatis, vel aliis, ut præcaveant, denunciare possitis. Publicas conciones, quas evangelium tantopere flagitat, ad fraterculos, nescio quos, delegatis, & ii etiam certis temporibus more suo declamitant, in reliquis obmutescunt. Et fere tam prolixis utuntur, & tritis hortationum formulis, ut vigilantes citius ad somnum invitent, quam dormitantes excitent. In sacris, & sacramentis suavissimum otium. Nam & populi loco submoventur, & sacerdotes per se totum negotium ignota

lingua conficiunt. Quemadmodum igitur plebs ad bellum se præparabit, cum tuba quis inflarit, non intelligat, ut Pauli hac ipsa in re voces usurpem? Intremus ad missas, in quibus religionis medullam perfundi vultis. Sacerdotum est vestrorum occupatio propria, plebs nullas habet nisi contemplandi partes. Nec interim evangelium unquam interturbat, & omnes ex eo cohortationes omnino conticescunt. Semel fortassis ad domini mensam singulis annis acceditur, magis solenni cerimonia, quam afflicta conscientia. Nec enim id adhibetur, quod institutio domini nostri Jesu Christi requirit, ut ejus in eo mors annuncietur, donec ipse veniat. Quantuncunque vestros homines scelerum contaminet, nullam admovetis publicam animorum medicinam, privatim transigunt in sacerdotum auriculas immurmurantes, aut, si qnid sit immanioris flagitii, plumbo redimitur. Jam ceremoniarum tam varius, tam multiplex, tam immensus apparatus: ut externa sensuum voluptas major vix cogitari possit, interna mentis emendatio, vel nulla sit, vel perexilis. Vestrum morem exposui. Nunc ad nostrum si placet, attende. Primum ex Evangelio conciones assiduæ, quarum authoritas aut legis terroribus peccatorum contumaciam frangit, aut magnitudine promissorum ad virtutem allicit. Quod si negligunt, aut non curant aliqui, tamen magistratus illos ad sacra trahit, in quibus non hominum interpretationes auscultant, sed Deum patrem, & Jesum Christum palam percipiunt, aliquando contra vitiorum turpitudinem fulminantes, nonnunquam misericordiæ thesauros offerentes. Hæ publicæ recitationes, & tantam habent psalmorum hymnorum, & utriusque legis omnium librorum varietatem, ut plane sit infœlicissimus, qui circunsonantibus undique sermonibus divinis, nihil ad se privati fructus sevocare possit. Sequitur sacrosancta domini mensa,

quæ

quæ perpetuum in festis diebus usum habet. Evocat Dei minister omnes publice, qui quidem ad epulum tam divinum convenienter se praparaverint. Certi prodeunt, suppliciter in genua subsidunt, soli, & in medio templo destituti, cum tempus est, palam in oculis, & auribus omnium, improbitatem morum pariter detestantur, & communi voce Dei misericordiam exposcunt. Minister selectissimis illos affatur sacris scripturis, partim minas contra vitiorum labes vibrans, partim uberes divinæ clementiæ fontes referans, ut qui mensæ participes futuri sunt, sæpe tremant animis, & postea rursus, spe veniæ quasi recreati, reviviscant. Quorum autem vel contumelia periculosum habet exemplum, vel improbitas sceleris indignitatem, eos anathemate ferimus, ut pudor illos, & destitutio rursus ad officium revocare possit. Hic exemplo tuo liceret antithesin instruere, nec mihi verba deessent, quibus si velim eandem perpolire queam. Deinde ex te sciscitarer utra sacrorum formula plus habeat contra malefacta stimulorum, & aculeorum? Ubi pax illa prophetæ sit in peccatis? ubi silentium? Et ex altera parte, quænam sit inquinatarum conscientiarum crux? quibus verbis gravissime vulnerentur? & quæ tandem illos maxime cruentet oratio? Sed nihil horum faciam, rem in medio posui, dijudicet, qui velit. Hoc ad extremum apponam, plus in una, quam nostri frequentant sacrosancta domini mensa, gemituum, & suspiriorum cerni posse, quam in sexcentis vestrorum solennibus missis. Quapropter minime fuit opus, ut iterum ex propheta repeteres, *Neminem domini consiliis interfuisse, nec ejus sermones quenquam aut vidisse, aut audisse.* Nimirum tuus iste fastus est, ut ante suo loco declarabam, qui plane Dei consiliarius videri laborabas. Sed vestri sinceram sacrarum scripturarum sententiam, an nostri teneant, si quæratur, cum nostris

verisimilius est veritatem facere, qui sacris in scripturis eam continenter pervestigant. Nam vestri diversis in opinionibus interpretum, tanquam in lubrico solo vacillantes, devium iter suscipiunt, & in magno versantur erroris periculo. Rursum Hieremiæ molestiam exhibes, nec venerandum prophetam respirare permittis. Ejus hæc verba profers: *Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, avertissent eum profecto à via sua mala, & cogitationibus suis pessimis.* Bene est. Ordiamur ab ipso Hieremia, qui fuit egregius propheta, dici secus non potest. An ille Judæos universos à vitiis deterruit? Inspice totam vaticinationis seriem, & lamentationum considera sane lugubres querelas, Dei quidem populum, Dei vir facile conciliavit. Nam *oves meæ vocem meam audiunt*, ut est in evangelio, reliqui prorsus obduraverunt. An non idem Paulus in Corinthiis, & Romanis expertus est? Petrus in Asiaticis ecclesiis? Dominus noster Jesus Christus in magnis sæpe catervis Judæorum, nominatim in Capernaitis? Quapropter dimitte Hierimiam, & nugari desine. *Paulus plantat, Apollo rigat, Deus dat incrementum*, & testificante Paulo, stabit hoc semper inconcussum decretum. *Novit Deus qui sint sui.* Nobis quidem summa diligentia collaborandum est. Sed quicquid futurum est boni, sursum est, & ad nos descendit à patre luminum. Verum adhuc instas, & urges nostrorum infinitam improbitatem, hoc est, convitium urges tuum, & tuam nimium in hac epistola tibi familiarem, & propriam calumniam. Etenim maxima pars nostrorum integerrimis vivit institutis, & multas populorum cohortes ad verum Dei cultum adjungit, & ab iis moribus facinorosis, quos tu commemoras, tam longe abest, quam iste sermo tuus ab omni abest pudore, & modestia. Quod si vis aliquid agere videri, confer cum Evangelii nostri luce, vestro-

rum

rum temporum tenebras, & quid interſit animadverte. Poſtremo *diſtrahi nos in ſectas* concludis, & *conſilium à noſtris iniri, quemadmodum omnem Dei religionem diſſipent.* Imo ſumma conſenſio. Si dubitas, ad Apologiam *a*) ablego, quam eccleſia noſtra tanquam communem, & certam noſtræ religionis obſidem, palam in oculis orbis Chriſtiani collocavit. Illam, ſi potes, refelle. Sed non potes, nec ſane poterunt ulli ex tuis, utcunque quidam recens, quomodo potuit, oblatravit. Interitum religionis, noſtri non machinantur, à quibus animarum immortalitas firmiſſimè creditur. Quod ſi quæ natio ſit in orbe Chriſtiano, quam addubitare putas, ad eam hanc tuam orationem transfer. Si ne ſic quidem ſatisfacio, memineris noſtros verum Dei cultum, & ſinceram evangelii doctrinam, non ſolum linguis, & libris, ſed exilio, nuditate, fame, ſanguine etiam, ac ſpiritu ſanciviſſe, quod nunquam feciſſent, ſi præſentis ſeculi terrores illos à conſtantiſſimo tuendæ veritatis propoſito dimovere potuiſſent. Longius te fateris evectum quam ſtatueras, certe quidem multo longius, quam decuerat, præſertim in doctiſſimis, & ſolertiſſimis auribus regalis Majeſtatis, cujus acumen, & judicium reformidaſſes, ſi

a) Apologiam, intelligit, Eccleſiæ Anglicanæ, ſtudio ac opera Johannis JUELLI, Episcopi Sarisburienſis A. 1562. confectam atque publica Eccleſiæ Anglicanæ auctoritate editam, quam tantoperè ſuo quondam tempore deprædicabat Petrus MARTYR Theologus doctiſſimus, ut ad Juellum ita ſcriberet: „ Ea verò non tantum „ mihi, cui omnia tua probantur & mirificè placent, „ omnibus modis ac numeris ſatisfecit, verum etiam „ Bullingero, ejusque filiis & generis, nec non Gualthero ac Wolphio, tam ſapiens, mirabilis & eloquens „ viſa eſt, ut ejus laudandæ nullum modum faciant, „ nec arbitrentur hoc tempore quicquam perfectius editum fuiſſe. Conf. STRYPE Annal.

ſi quantum in illa nervorum eſſet, tecum ipſe conſideraviſſes. Sacras ſcripturas multum lectitat, interpretes optimos inter ſe comparat, doctiſſimorum theologorum undique ſententias colligit, ſcientia linguarum per ſe ipſa excellit, ingenio eſt prompto, & acri, ſapientiæ tantum ad hæc adhibet, quantum vix eſt in illo ſexu credibile. Denique noſtrorum ad conciones ventitat, & ſenſus in his rebus habet partim legendo, partim audiendo tam exercitatos, ut non minus te docere poſſit, quam ex te diſcere. Hanc tu religioſiſſimam ex omnibus, & eruditiſſimam principem laudibus corrumpi ſperabas, aut verborum lenociniis circumveniri poſſe cogitabas? Non eſt ita Hieronyme, non eſt, & nimium tua facilitate ſunt abuſi, quicunque te noſtrorum accuſatorem, præſertim coram regali Majeſtate, ſubornaverunt. Sed ad concluſionem redeamus, in qua nihil, ut arbitror, unquam concludetur. Rurſus enim „ doctrinæ „ fructus refricas, illos inſpici vis, religionem ab illis „ æſtimari poſtulas. Quos tandem fructus eccleſia veſtra tantopere flagitat, ipſa minime omnium fructuoſa? Verum non detrectabimus, geratur tuæ voluntati mos. Comparetur Anglia, quomodo nunc eſt, Evangelii vivens inſtitutis, cum illa, quæ prius fuit, inquinatiſſimis hominum traditiunculis deformata, ſcrutemur annales, aut excutiamus memoriæ noſtræ monumenta, regalis Majeſtas judex ſedeat, temporibus collatis ſententiam ferat. Hoc ſi non accipis, diſce ex me, quæ ſit Angliæ præſens conditio, fabulas ut infames inimicorum noſtrorum poſthac ab auribus repellas. Principem habemus regno præſidentem, omnibus ex partibus incomparabilem. Ejus aula nullorum expers eſt ornamentorum, quæ vel ad regalis majeſtatis honorem, vel ad reipublicæ ſalutem pertinent. Archiepiſcopi, & epiſcopi per ſe concionandi munus obeunt, & eccleſiarum omnium curam præſentes ſuſcipiunt.

No-

Nobilitas inter se valde concors, plebs omnibus modis obsequentissima, summa totius regni tranquillitas. Hæc alii fortassis aliter tibi renunciaverunt. Sed Cicero te tuus admonet, *à multis multa dici, non necesse esse credi omnia.* Narrant malevoli nostri non quod verum esse sciunt, sed ipsi quod verum esse vellent, quoniam egregia fœlicitate nostri status dolent illis oculi. Quapropter bono animo es, & omnis ex animo migret mœstitia, quam nostra causa suscepisse videri vis. Ah, noli vir optime tantopere conturbari, ne te nimium afflictes. Si Lusitania bene habet, Angliæ profecto recte est. Sed mirum non est, si vehementer laboras, quoniam necessarii vestri sumus. Equidem eam, quæcunque est, cum regno vestro necessitudinem libenter agnoscimus, & cœlestem admodum optamus propriorem cognationem. Sed heus tu? Si tui necessarii sumus, ut ego tibi affirmanti credo, cur falsis nos criminibus cooperiri pergis? Cur à nostris homines ab antiquissima, sanctissimaque religione dicis abductos, quæ Jesu Christi sanguine sancita fuerit, & eadem ad hæc usqne tempora permanserit, & ad aliam traductos execrabilem, & perhorrescendam? Hæc tu ita esse credis, quemadmodum à te ponuntur? Profecto non credis. Nam in priscis, & optimis Ecclesiæ temporibus nec papatus fuit, nec plumbeæ peccatorum redemptiones, nec purgatorii nundinationes, nec adorationes imaginum, nec vagæ divorum visitationes, nec in missis immolationes pro vivis & mortuis, & hujus consimilia. Hæc enim religionis dedecora, quibus temporibus, & per quos ad Ecclesiam obrepserint, ignorare non potes, sed dissimulas, tuorum auribus inserviens. Itaque, quantuncunque terrorum commemoratione divinæ majestatis, & extremi judicii, regalis majestatis auribus offuderis, nullam sermo tuus, licet ardentissimis verbis inflammatus, veritatis authoritatem habere potest.

 Nec

Nec enim in animum malevolum intrare poteſt ſapientia. Tua vero quam dira ſit, & acerba malevolentia, non ſolum omnibus partibus reliquæ poteſt accuſationis tuæ cognoſci, ſed in eo ſe nimium effert, cum oratione ſeditioſa tumultum indicis, ad ſaga vocas, & plane claſſicum ad bellum civile canis. „ Retexi „ vis omnem à regali majeſtate, communi rei- „ publicæ conſenſu receptam religionem, & ſumi „ veſtram, facilem ad id viam eſſe. Veſtram enim eſſe „ majorem multitudinem, gloriam fore ſempiternam: „ totum enim terrarum orbem applauſurum.“ Hæc eſt tua, neſcio ſtupidior, an improbior ad regalem Majeſtatem exhortatio. Quid igitur; ſacroſanctam Evangelii doctrinam, in qua continenter, excepto ſexennii turbulentiſſimo tempore, plus quam annos triginta permanſum eſt, in qua regalis Majeſtas ſuam traduxit omnem ætatem, in qua Deum invenit ſibi tam propitium, in qua tranquillum regni quinquennium, & ſumma proſperitate florens habuit, in qua maximus omnium Ordinum conſenſus intervenit, in qua legum præclariſſimarum decreta ſunt conſequuta, verum hunc, & ſincerum divi numinis cultum, undiquaque tam diligenter à regali majeſtate ſeptum, & vallatum, viri Luſitani vox perfringet? Epiſtola *Hieronymi Oſorii* diſturbabit? Hoc tu ſperare poteras? Hoc illi poterant expectare, qui tuam in his rebus operam emendicarunt? Inſipienter, mihi crede, fiduciam hanc ſuſcepiſti, nec illi ſatis provide, quicunque tibi fuerunt authores, ut has partes tam duras ageres. Scribe, ſi libet, ſexcentas Philippicarum myriades, concurſent omnes inimici, & invidi, quorum tu digitis, ut videtur, numerum tenes, Deus regalem Majeſtatem ex adverſariorum faucibus eripiet, ut ſæpe ante hac eripuit, Deus illam in Evangelii veritate confirmabit, ut aſſidue confirmat, & propter amplificatam ex Evangelio Jeſu

Chriſti

Christi gloriam, honorem illi sempiternum concedet. Theatrum autem hoc tuum, quod pompa verborum usque ad cœlos extruxisti, quantuncunque magnificum, & resonans, tanti non conducet, ut agnitam à se, regnoque suo sacrarum scripturarum veritatem, à republica sua, papisticorum triumphorum respectu rursus excludat. Itaque facis tu quidem more oratorio, quod epilogum in fine collocas valde flebilem, & ex intimo tuæ facultatis artificio depromptum, in quo per interpositam omnium sacrorum obtestationem, iterum, atque iterum regalem Majestatem invocas, & adiuras, „ ut pestilentis novitatis authores exterminet, ad ve-„ stram se recipiat ecclesiam, in qua veluti chorum „ quendam omnium virtutum maxima sermonis ele-„ gantia collocas. Sed nimirum omnis iste labor tuus ad nihilum recidit. Quam enim tu *novitatem erroris* appellas, eam regalis Majestas *veritatis antiquitatem* esse cognoscit, pro ea Deo Patri continuas suppliciter gratias agit, nec eam nisi cum vita deponere constituit, imo ne cum vita quidem, quoniam ex Evangelio se Jesu Christo rationem administrati regni reddituram intelligit. Te vero vel hospitem in evangelio putat, & advenam, si hæc eadem non noveris, aut si dissimulas, bona fide non uti, quæ viro philosopho convenientissima semper est habita. Quapropter ô Hieronyme, mea quidem sententia rectissime facies, si religionis disceptationes theologis omittens, ad philosophorum, & oratorum te numerum aggreges, quorum tibi scientia magis est familiaris. Præclaram habes styli facultatem, & quemadmodum videris, natura multum vales. Accessit ars, quæ naturæ bonitatem excoluit. Hæc præsidia studiorum, si ad argumenta contuleris, quæ tibi nota sunt, & in quibus elaboraris, uberrimam ex illis laudem consequeris. Vidi tuum *de*

Nobilitate a) libellum, elegantem inprimis. Utinam ad hujusmodi te monumenta reserves, quæ nullam habeant publicam offensionem, sed communem omnibus utilitatem afferant. Quod si tuis quibusdam te venditare vis, & in nos iterum incurras, jam ante tibi denuncio, venias ut multo, quam nunc es, instructior. Quicquid enim humanitus mihi contigerit, plurimos in Anglia reperies non solum in ecclesiis, & academiis, sed etiam in regalis Majestatis aula, qui doctrinarum scientia, me quidem longe superiores, tecum omni ex parte sunt comparandi. Vale.

a) Non vero *de Nobilitate* solum, sed &, *de Gloria* libellum conscripsit Osorius perelegantem, ac tanti æstimatum ut non defuerint, qui eundem Ciceroni surreptum arguerent.

Num. V.

Bernardi ROTHMANNI Epistolæ quædam ex Mss.

De *Bernhardo* ROTHMANNO, Ecclesiaste Monasteriensi, *primò* quidem purioris doctrinæ assecla & doctore, sed qui *deinceps* ad Anabaptistarum hæresin & turbulenta consilia se abduci passus est, jam Tomo II. Parte I. pag. 403 &sqq quædam commemoravimus.

Cum igitur, hæ quoque ab ipso dum puriora adhuc sacra sequebatur, scriptæ sint Epistolæ, eæque in *Historia belli Monasteriensis* ab H KERSSENBROKIO scripto consignata, atque necdum edita (v. Scrin. huj. T. II. P. II. p. 562. 570.) legantur à fol. 114. inde eas excerpere atque huic fasciculo inserere decrevi.

* * *
* *
*

A.

A.

ad *Gerb.* REININGUM *a)*
1531.

Honorabili atque probo viro, *Gerbardo Reiningo* Monasterii in foro commoranti, amico suo atque fautori eximio, illo vero absente, prudenti nec non conspicuo *Johanni Langermanno*, Senatorii ordinis Viro. S.

Gratiam Christi ac debitam officii mei declarationem inprimis tibi offerro amice dilectissime. Quod te absente Monasterio discesserim, semper animum meum male torsit. Ideoque nunc data tabellarii occasione, non possum mihi temperare, quin ad te literas meas transmittam, ut intelligas ubi sim & quid valeam, quare scias me nunc *Spiræ* Dei gratia prospera valetudine frui, sed, literis his exaratis subito *Argentoratum* hinc abire decrevi, quod merito omnium christianarum urbium ac ecclesiarum coronam esse & palmam obtinere deprehendo. Illic me ad dies quatuordecim, omnia inquirendi studio, continebo. Verum metuo, ne propter præsentem in his locis annonæ caritatem viatico destitutus. institutam profectionem abrumpere cogar. Quare, cum propter nostram familiaritatem, tum salutem, quæ, ut spero, non solum nobis, verum etiam per gratiam Dei multis, ex hac mea peregrinatione continget, oro, ut meos fautores & amicos mea causa convenias, ut viginti florenos aureos (*goudgulden*) in

 præ-

a) Est hæc Spiræ Nemetum conscripta Epistola, cum in itinere versaretur, de quo tribus verbis egimus in *Histor. Reform. Belgicæ* §. XXXII. pag. 93.

præſidium meum conferant, Principio *Bernardum à Bechem* oppidi Warendorpienſis civem, ad quem quoque ſcribo. Nihil enim dubito, quin is tibi quinque florenos promte & ſtatim traditurus ſit. Item *Havickhorſtum* in foro piſcario habitantem, *Johannem Langermannum*, fautorem præcipuum, *Caſparum Schroderken* & reliquos omnes, quos mihi favere cognoveris, ut me cum primum poſſunt juvent, Ac per fidelem nuncium pecuniam illam à bonis viris collatam, huc *Spiram* ad Pandochium viridibus inſignitum frondibus transmitte, cujus hoſpes, cum Evangelio maxime ſit addictus, ſicut & alii plerique *Wormatienſes*, *Spirenſes*, reliquorumque oppidorum *ſuperioris Germaniæ* cives, fidelem transmittendam pecuniæ cuſtodiam, donec ego eandem exegero, recipiet. Huic nuncio profectionis meæ propoſitum patefacere nolui, idem & ut ſcias rogo, perſuaſi autem illi, me in Judiciis Cameræ Imperialis cauſam litemque urgere, te hac in re mihi plane non defuturum plane confido, & quo citius eo melius, quantum autem quisque fautorum contulerit, diligenter annotato, nam ſi Deus me ſuperſtitem conſervaverit, bona fide reddam omnia. De aliis rebus nunc temporis ſcribere non poſſum, ſed fratres ſororesque omnes in Domino mea cauſa quam officioſiſſime ſalutabis. His te Domino Deo, commendo. Datæ Spiræ in feriis præcedaneis Adſcenſionis Dominicæ Anno 1531.

B. ROTMANNUS.

Hæc intra unius menſis ſpatium, quam hæ literæ ſunt ſcriptæ, fieri, neceſſitas exigit, alioqui ſerius & fruſtra pecunia huc adferetur; Non enim diutius me in ſuperiori Germania continebo, ſed reditum ad vos maturabo. Deus vobiscum.

Has literas tuis adjunctas, ad quos ſcriptæ ſunt, perferri curabis, ac ut primo quoque die reſcribas vehementer à te contendo. B.

B.

Ad FREDERICUM, Episcopum Monasteriensem.

Optimo Clarissimoque Principi ac Domino D^no FREDERICO *, Electo ac confirmato Ecclesiæ Monasteriensis Domino, ac Principi suo Clementissimo.

Gratiam ac Pacem a Deo per Christum gemens, & supplex ad genua tua provolvor, Præsul Amplissime, idemque Clarissime Princeps, non externa corporis adornatione, quam T. D. secundum Deum debeo, sed quomodo possum, nimirum affectus & vota mea his literis oculis T. Celsitudinis humiliter exponens; Ne avertas obsecro, Clementissime Princeps, oculos Tuos, sed respice in lacrimas (quas utinam liceat hic tam verè appingere, quam nimio moerore, oculis meis ubertim manant) dedititii Clientuli Tui, quid enim Clientuli non dicam? quum te toties & Judicem & Patronum tulerim & appellaverim, adhuc mandato D. T. videlicet, ne prædicem publice Christum, animarum mihi commissarum salutem ne curem, nominis divini gloriam ne illustrem, pietatem ne promoveam, & impietatem ne convellam (hæc enim omnia deserto docendi munere promoveri per me consueto studio non possunt) non sine gravi conscientiæ afflictione obtempero. Nolo hic exaggerare animi mei pressuram, quem hinc divini Judicii terror, ut qui non excusso omni metu confiteri Christum suum videri possum, inde piorum querelæ & lachrymæ, impiorum verò acu-

* Is erat *Fridericus de Weda* Ep. Monaster. qui tamen haud ita multò post ab Episcopatu decessit, atque primum *Erico*, deinceps autem *Francisco* Waldeccensi locum fecit.

aculeata convitia, & deserti muneris contumeliosæ exprobrationes, acriter vellicant, vexant, & proscindunt; Tantum hoc dicam, Clementissime Princeps, utinam videas, quæ sint hic passim piorum gemitus ac lachrymæ, sortem non tam meam, quam propriam, ac Christi contumeliam deplorantium. Quippe quod mendax impiorum accusatio tantum apud Dominationem Tuam valuerit, ut me officio Evangelii exturbet, illos auditu Evangelii privet, adeoque Evangelion Christi malorum cavillationi permittat, qui dum doctrinam meam, quæ Evangelio non tam fuit semper consentanea, quam ipsissimum Evangelion, lacerant, ac falsitatis insimulant, Christum ipsum contumelia afficiunt. Hoc, optime Princeps, dum considerant Pii, cogita quæso, quæ suspiria, quot denique singultus illis exprimat, jures non fuisse majorem calamitatis deplorationem Israëlitis in Aegypto oppressis, quam quæ deplorant hic pii, me per adversariorum calumniam gravari injuria, & illos verbi Dei auditu, quantum ad me attinet, orbari. Non, quod me solum Prophetam, in hac terra putem, hæc dico, sed quod me omnibus, qui me unquam audiverunt, constet, pari fide, studio ac sedulitate in Evangelico negotio me fuisse versatum Quare nunc vehementius dolent, quem nunquam & nusquam sontem deprehenderunt, quam laudem nunquam auferre poterit malorum livor, nunc veluti Divinorum Eloquiorum cauponatorem cum ignominia Evangelii exturbari, idque, nulla dicta causa, nulloque imputato crimine, quamobrem, quum citra conscientiæ meæ afflictionem, piorum dolorem, & Evangelii Christi ignominiam fieri non possit, ut taceam & prædicandi munus omittam diutius, Rogo atque obsecro Te per salutem tuam, Pientissime Princeps, Indulge liberam Christi, inter Christianos, prædicationem mihi, miserere gemituum piorum, & ne permitte, ut impii pro-

profanent impune Sanctuarium Dei, quos excogitatis calumniis tale adversus me mandatum extorsisse nihil ambigo. Mandatum D. T. ad tempus prohibebat, nimirum donec cognoscatur aliud quicquam exactius & statuatur. Ecce, humanissime Princeps, hebdomadæ plus minus tres sunt, quod in angustiis versor, piorum lachrymas & ejulatus, impiorum exprobationes audio, respice tandem & miserere supplicis Tui, qui ut Clementiam Tuam necessitate coactus subinde implorat, ita nullam cognitionem, nullum Judicium detrectat. Laxa itaque Mandati Tui rigorem æquissime Princeps & Judicium exspectantem, cognitionem denique appetentem, jube benefacere, hoc est, docere verbum Dei, commissas animas curare, afflictas piorum conscientias consolari, Quod meum officium si frigidius curaro, dignus profecto animadversione duriore essem, nunc studiose fatigantem & hoc ipsum sedulo conantem juvabis potius, quam remoraberis, Optime Princeps, quod ut justum & pium est, ita haud gravatim T. D. facturam confido. Porro quidem, si tenebriones illi accusatores mei, non permittent, sed graviora crimina intentabunt, quam ut indulgendum hoc mihi putes. Da quæso hoc mihi, quod negatum adhuc nemini puto, ut si quis accuset, dicere causam meam mihi liceat. Vetus hoc est, & intime insitum omnium gentium consuetudini ac naturæ, indicta causa & inauditum neminem condemnare, omnibus Judicium datur, de omnibus sententia fertur. Certe, profecto tantum abest, ut causæ meæ diffidam, ut si dicenda causa sit, vicero, hoc equidem animose dico, quod nullum supplicium detrectabo, si ullius criminis, qualia mihi fortasse apud T. D. multa impinguntur, vere convictus fuero: Si vi ac violentia vero decertandum, in Tuam D. ut plurimum situm est, qualis futurus sim. Nam si Tua D. defendet, salva res est, sin deseret, periculum

quidem inerit, ego tamen conſcientia bona fretus non deſperabo. Equidem in Domino ſperavi & eripiet me, ne quando rapiant inimici mei ut leo animam meam, dum non eſt qui redimat neque ſalvum faciat. Scio enim circumdederunt me canes multi, & conſilium malignantium obſedit me, ſed avertet Deus mala, ab inimicis meis mihi illata, & in veritate ſua diſperdet eos. Neque dubium, quin Chriſtus, qui omnia intuetur, vindices ad hanc calamitatem meam oculos diriget, qui ob liberam & puram nominis ſui confeſſionem ita calumniis & ementitis criminibus obruor, ut æquiſſimi ac Pientiſſimi Principis animus minus mihi popitius reddatur. Sed quid mirum, quod in gratiam me bonorum ponere debuit, hoc in malorum offenſionem conjeciſſe. Tu itaque, Optime & Juſtiſſime Princeps, ſi illorum calumniis quicunque tandem illi ſunt, qui mihi odioſe adeo apud T. D. delationes factitant, & pertinaci improbitate convictus aures dediſti, & ideò ab officio me meo prohibuiſti, adſentiri illis amplius non debes, quin prius reus intentati mihi criminis fuero te Judice convictus, quod te facturum adeo non *dubito*, ut de me ſollicitus amplius eſſe deſinam, totumque me Tuæ Celſitudinis arbitrio trado, ut Tu hic quod juſtum & pium eſt ſtatuas, qui ea es genuina indole Princeps, ut non minus Juſtitiæ quam pietatis ex animo ſis obſervans, quare ut hic me tueare & quod oro clementer indulgeas, ipſa abs te cauſa impetrabit, ſi non orem ego etiam. Ad hæc T. D. clemens reſponſum, quam poſſum humillime expoſtulo, ut inter tot anguſtias conſtitutum, quo me vertere debeam, intelligam. Chriſtus ſalvator per ſuam gratiam T. D. quam diutiſſime conſervet, & ad impetratum nobis per ſe regnum clementer perducat, cui gloria cum Patre & Spiritu Sancto Amen. Datum in campis Mauritianis

Mo-

Monasterii e musaeo nostro Anno 1531. prima Novembris.

T. D

Deditissimus clientulus
BERNARDUS ROTMANNUS
Ecclesiæ Christi apud D. Mauritium monast. minister.

C.

Ad EUNDEM. *a)*

Quam heri mihi conditionem, eximii magnificique Viri iidemque R^{mi} & Clar^{mi} D^{ni}, ac Principis nostri Consultores prudentissimi, jussu Principis proposuistis. Nimirum, ut hic ad tempus demigrem, videlicet vel usque ad peractionem Comitiorum, aut ad futurum Concilium, diligentia qua potui, mecum trutinavi, & quo sic facto opus, quantum industria mea videre & perspicere mihi licuit, reputavi, oro, ut, quæ est humanitas vestra, benevolenter responsionem audire meam dignemini, quam equidem brevibus exponere, studebo.

Equidem volo & merito debeo non tantum Clementissimi Principis Nostri precibus sed & jussis ipsius libenter obtemperare, in omnibus, etiamsi citra corporale dispendium fieri nequeat; scriptum est enim, *Obediendum est Præpositis etiam discolis:* Itaque tametsi hæc mea discessio sine ingenti corporis & rei familiaris detrimento fieri non potest, nam ea est tenuitas mea, ut

 exul

a) Ad superiores literas, Princeps per Consiliarios suos renunciari curaverat, ut ad tempus relicta sua sede patria migraret, & ad Comitiorum aut ad Concilii futuri decisionem reditum differret; Ipse igitur impetrata à Consiliariis respondendi deliberatione, sequenti die hanc illis misit Epistolam, *ad consiliarios Principis* magis quam *ad ipsum* directam. D. G.

exul commode, vel ad breviſſimum temporis ſpatium ſuſtinere me non poſſim. Præterea hoc quantulum etiam eſt, unde nunc tenuem vitam traho, ſi absque conſenſu Capituli mei perrexero, adimere omnino conabuntur, atque ita & patria & ſubſtantia ſimul orbabor. Ad hæc, quæ eſt malitia quorundam, fortaſſe gravius periculum non temere formidarim, Atqui vero, ſi ita volet omnino Princeps, his non attentis, nihilque moratus, corporalia hæc diſpendia, libenter omnino cederem & Principis voluntati obtemperarem. Sed quoniam quidem ſine perpetua conſcientiæ meæ ſugillationis nota, offenſione multorum & divinæ iræ incurſione fieri nequeat, haud quaquam ſpero, Clementiſſimum Principem Noſtrum, ubi rem ipſam preſſius conſiderarit, tam præſenti corporis & animæ me periculo gravaturum; Etenim, multi veritatis doctrinam per Chriſti gratiam à me acceperunt, quodſi hoc modo diſceſſero, relicto verbo, quod docui, profecto infidelem me verbi miniſtrum, & perfidum tergiverſatorem merito habeant & accuſent, multi quoque qui necdum in doctrina veritatis firmiter radices egerunt, ſi ego inſalutato hoſpite (quod dicitur) quaſi ſceleratius aliquid deſignarim, abiero, ſcandalizarentur, utique impii calumniatores, qui alias doctrinam meam, tenebricoſis cavillationibus ſugillare, traducere & blasphemare non ceſſant, tum demum prorſus eam conſpuerent & conculcarent, & me ut nebulonem & deſultorem turpiſſimum infamarent. Præterea doctrinam meam compendio *a)* contractam, dilectis in Chriſto fratribus, meis cooperariis ſpiritualibus obtuli, judicii eorum calculos expoſtulans, quod ſi ſententiam eorum hic abitu anteverterim, facilè colligitur, quid de me, meaque doctrina, quam etiam vitæ periculo tueri debeo, ſenſuri, pronun-

a) Ea eſt, quam huic *Scrinio noſtro* Tom. II. P. I. No. 11. pag. 404. inſeruimus.

nunciaturique fuerint. Hæc omnia citra controversiam, & his fortasse duriora, si veluti fuga mihi consuluero, ad perpetuam animæ meæ perditionem propter scandalum multorum mihi impingerentur. Scriptum est autem, *si quis offenderit unum ex pusillis istis, qui credunt in me, melius esset illi, si mola asinaria suspendatur a collo ejus, & mittatur in profundum maris.*

Proinde, si violenter omnino exturbabor, si ob calumnias impiorum, qui coram accusare detrectant, exulare cogor (ego enim nullius mihi conscius sum) hanc equidem exemplo Christi agonothetæ mei & suorum militum, superandam mihi fortunam ferendo esse duxi, tunc enim quicquid hic fuerit periculi & scandali, non in me, qui cogor excutere pulverem e pedibus meis in testimonium illis, sed in illos, qui hujus fugæ fuerint auctores, redundabit, absit autem, imo religio mihi sit, ejusmodi quicquam de Principe Nostro, ut ingenua mansuetudine, ita & germano Christianæ pietatis candore prædito, suspicari. Quem tantum abest, ut hac etiam mea constantia offensurum me quicquam putem, ut potius Dominationi suæ vehementer gratum futurum, plane confidam, quod temere deserere traditum mihi à Deo munus formidem, sicut turpe enim est militi, stationem quam a Duce datam occupat deserere, ita si a Christo Duce commissam mihi provinciam temere reliquero, non minus periculosum quam inhonestum mihi fuerit. Atqui vero, si id omnino decretum est Principi, ut docere & præesse commissæ mihi gregi nolit admittere, ipso mandatore rogabo Christum, mihi ut ne fraudi esse sinat, & libenter obtemperabo, quantum per Dei timorem & conscientiam licebit. ubi autem hoc non licebit, (ut ingenue quod sentio fateri liceat) tolerabilius mihi est incidere in manus hominum quam in Judicium Dei, quod est terribile in consiliis hominum. Cæterum, quod metuitur mea causa tumul-

tum & seditionem exorturam, quemadmodum hactenus hic vanus metus fuit, & fortasse ab impiis, quibus nunquam pax est, simulatur, ita si quid hujus vel obscurum vel probabile argumentum propter me apparuerit, cujus censuræ & mulctæ, quam æquissimus Princeps noster infligere mihi volet, libenter cessero: Perpetuo equidem hoc summo studio curavi, ut Reipublicæ tranquillitas salva esset, quod haud difficulter multis documentis testari possem, atque hoc mihi studium perpetuum futurum spero. Proinde cum mea præsentia nullo bono sit futura molesta, absentia vero multis offendiculo, rogarem equidem quam possum obnixissime, ut Reverendissimus in Christo ac Clarissimus Princeps noster, si nihil amplius, saltem secure manendi in patria veniam, in qua nihil unquam designavi præter decorum, & cujus rationem reddere non sim paratus, indulgere dignetur, quod ut Dominationem suam, haud gravatim facturam spero, ita clemens responsum ardentissimis votis expectabo.

BERNHARDUS ROTHMANNUS.

D.

Ad EUNDEM. *a)*

Gratiam ac Pacem per Christum. Quanquam Reverenda tua Pietas, Præsul Amplissime, duram se nunc mihi & parum propitiam exhibere videatur, haud quaquam tamen induratam & omnis erga me mi-

a) Superiori responso nondum mitigatus Episcopus, per Theodoricum de Mervelt, Satrapam Wobekanum, Rothmanno salvum conductum renunciat, & vivendi securitatem in urbe adimit. Ille verò clam se illuc continebat ac A. 1353. d. 16 Januarii has iterum literas supplices ad Principem mittit.

miserationis tuæ viscera obriguisse persuaderi possum, ut defensioni innocentiæ meæ locum apud R. D. T. amplius invenire nequeam; Fateor, est etiam sua mendaciis & calumniis Pitho persuasionis Dea, quæ prudentibus & bonis suo fuco nonnunquam imponat, nec raro fieri videmus, ut plus liceat mendacio quam veritati, calumniæ quam innocentiæ; Veruntamen iniqui & parum humani animi est, calumniosas accusantium imo traducentium delationes accipere, innocentis vero defensionem abnuere. Hoc autem de T. D. humanitate vel suspicari nefas duco, propterea non puto T. D. ita tenebrionum meorum odiosis calumniis in indignationem mei pertractam, ut non responsionem deditionemque meam, clementer sit admissura, Ea quippe semper genuinæ pietatis & æquitatis Tuæ apud me existimatio fuit & est, ut si quis coram T. D. innocentiæ suæ satisfactionem offerat, facile pietatis & æquitatis Tuæ gratiam, adversus quantumvis criminosas delationes impetret. Porro autem, si (quod tamen non spero) T. D. adversariorum meorum ementitis calumniis persuasa omnino implacabilem aliquam indignationem adversus me tenaci animo concepisset, tamen, non dubito, veritatis & justitiæ causam nihilominus suscipies libenter & proteges libenter & strenue, neque enim sustinebit sanctissima Pietas Tua, & ingenua veri Heroici animi æquitas, ut unius privati hominis offensa, veritatem justitiamque cum multorum offendiculo periclitari patiaris, quæ si te Protectore salva erunt, leve erit, etiamsi acerbissimum fuerit, mihi hac in causa quicquid eveniet. Proinde, Ornatissime Princeps, paucis abhinc retroactis diebus, Satrapa D. T. in *Wolbecke* honestus *Theodoricus* de *Mervelde*, venit in civitatem Tuam, Monasterium, atque ex ædibus meis è suburbano Mauritii, rure ad se invitavit, parebam, ut debui, lubens, veni, convenit me ille, & ecce, o dolor! inopinanti

&

& nihil minus exſpectanti, utpote nullius mihi mali conſcio D. T. ſalvum conductum renunciavit. Ad hanc vocem humaniſſime Princeps obſtupui fateor, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit (liceat enim mihi hunc ſtuporem Virgiliano carmine exprimere) quid enim non tam inopinato nuncio obſtupeſcerem. Nam cum me ſemper Juri, Judicio, & cognitioni imprimis Principatus Tui, quem competentem meum Judicem libenter agnoſco, obtulerim, deinde & omnibus, quibus debere me puto. Nihil minus ſperare potui, quam me juſtitiæ cenſuram & poſtulantem, injudicatum, inconvictum, publico præſidio deſtituendum. Doleo equidem hanc meam ſortem vehementiſſime, dolent mecum ac lugent fere pii omnes. Nam non ſine animarum multarum læſione & Evangelii ignominia fieri videmus. Quare Te per ſalutem Tuam oro atque obteſtor, humaniſſime Princeps, permitte, ut animarum ſaluti & Evangelii gloriæ conſulatur, priusquam ego patria, in qua nihil unquam ſcelerati commiſi, cujus non rationem reddere ſum paratus, exulare cogor. Si quidem Evangelii gloria & animarum ſalus Te Protectore ſalva erunt. Leve erit, etiamſi fuerit duriſſimum, quicquid eveniet mihi, hoc autem ſi Principatus Tuus accuſatores meos palam accuſare coram T. D. jubebit, ut ſit defendendi mihi locus, ſi tum reus convictus fuero, mihi impingetur confuſio & pœna, Evangelio autem ſua gloria & animabus ſalus aſſeretur, quæ partim immerito profligari me cum doctrina mea putabunt, partim Evangelion offenſi profligationis meæ ſcandalo contemnent, ſi injudicatus proſcribar. Hoc ſi latro, ſi parricida petat, nimirum, cauſam ut liceat ſibi dicere ſuam, priusquam damnationis ſententiam audire cogatur, fortaſſe nulla tam Barbara gens fuerit, quæ negandum putet, Judicium enim omnibus datur. Ego autem cum innocens ſim, aut certe nondum nocens con-

convictus, hoc D. T. & mihi clementer daturam ſpero, præſertim cum nec amplius nec longius aſylum poſtulem, quam ut innocentiæ meæ ſatisfactionem reddam, aut convictæ culpæ cenſuram ſubeam. Quam obrem, ecce clementiſſime Princeps, fretus benigna erga afflictos chriſtiani animi Tui manſuetudine, provolutus ad pedes Clementiæ Tuæ, me iterum ſicut & ſæpe antehac, Judicio, cognitioni & arbitrio Juſtitiæ Tuæ totum offero, omnium accuſationibus libenter ſtaturus, idem, ne quis ullo modo tergiverſatorem me & cognitionis cauſæ meæ detrectatorem jure accuſare poſſit, feci, coram venerabili Capitulo & ſimiter coram Senatu Monaſterienſium. Ita autem me offero, ut non tantum ſim paratus doctrinæ meæ rationem reddere, ſed etiam vitæ, morum & omnium actionum mearum cenſuram ſubire. Nam tametſi coram Deo peccatorem me fateor, mundano tamen gladio me nihil debere ſcio. Refragentur, inſimulent, traducant calumnioſi delatores me, quantum velint, aliam culpam vere non impingent, quam (quæ illis maxima fortaſſe videtur) Chriſti Nomen, quod liberius prædicavi. Utinam verò cognoſcente te cauſam hanc dicere liceat, præſertim cum præter te alium judicem nec ferre nec habere debeam, ſi quis tum ullius flagitii pœnalis reum convinceret, profecto ſupplicium nullum detrectarem, non precor enim in hac cauſa quicquam miſericordiæ dari, ſeveriſſime judicari poſtulo, quid faciam ultra?

Si hanc deditionem meam non volet recipere humanitas Tua, ſi ita per calumnias malorum obturatæ ſunt aures pietatis Tuæ, preces Innocentis audire ut nequeas, Denique, ſi deſerto officio meo tantum accuſatus, chariſſimam patriam relinquam, quandoquidem propter Chriſti nomen hæc cuncta mihi evenire ſcio, Chriſto quoque hanc cauſam trado, ille ut omnia

intuetur, ita & ad hanc Calamitatem meam vindices olim oculos diriget; Sed tam est constans & firma pietatis Tuæ & æquitatis apud me persuasio, ut tametsi Clementia Tua austeritatis faciem præ se ferre videatur, tamen veluti de benignissimo Patre optima de te sperare atque promittere mihi non desino. Idcirco optime Princeps, respice quæso causæ hujus necessitatem, respice dignitatem Tuam, & laudatissimam non meam tantum, sed omnium de te existimationem, & indulge in hac patria mea, publico tuo præsidio, tantisper vivere tuto, donec per accusatores meos criminis alicujus reus convictus fuero, aut certe, quoad usque doctrinæ meæ confessio, quam propediem publico omnium Judicio, ut qualis sit, cognoscatur, producam, examinetur, probetur, aut meo periculo condemnetur. Quod cum æquitatis ratio postulat, D. T. clementer facturam dubitare non debeo. Sed ita me commendo, ita confido, ita spero in Tuam Amplissimam Dominationem, quam Dominus Jesus nobis servet & magnificet ad gloriam Euangelii sui sempiternam. Amen. Responsum D. T. clemens suppliciter precor. Datum anno 1532. in pervigilio Antonii T. D.

Deditissimus
BERNARDUS ROTHMANNUS
Ecclesiastes D. Mauritii.

E.

ERICI, Episcopi Monasteriensis *a)* ad S. P. Q. Monaster.

1532.

Cum divina Providentia dispensante, concordibus suffragiis, Præsul diœcesis Monasteriensis designati

a) Scilicet, cum *Fridericus*, Episcopi Coloniensis frater ger-

ti essemus, fama & auditione minime vana accepimus, quendam *Bernardum Rothmannum*, Sacerdotem apud S. Mauritium, extra civitatem Monasteriensem, publico concionatoris officio functum, phalerato sermone ea docuisse, quæ & religionem avitam in contemtionem adducere & populum in errorem pertrahere visa sunt; ideoque *Fridericum*, antecessorem nostrum justissimis de causis eidem concionandi munere interdixisse, & cum edicto minus paruisset, securitatem ibidem commorandi ipsi renunciasse atque ademisse.

Hinc in contemptum & ludibrium prædicti Principis, eundem intra mœnia urbis concessisse, & præsidio quorundam suæ factionis, in injuriam Imperatorii Edicti Augustæ Vindelicorum promulgati, & neglectum legitimi sui magistratus se in Parœciale templum Divo Lamberto consecratum ingessisse, insueta docuisse, novas cæremonias & cantiones veteribus abrogatis invexisse: His magnam civitatis partem ita concitasse, & conturbasse, ut ruptis seu discussis omnibus humanitatis, pietatis, obedientiæ & concordiæ legibus, plerique impiam novationem adversus Christianam concordiam, ab exordio Christiani nominis hucusque feliciter propagatam, & adversus Recessus ac Decreta Imperii sectentur. Unde horrenda primum seditio, inde tandem omnis boni eversio metuenda sit;

Dici profecto non potest, quantum animi mærore ista acceperimus. Quantum enim ad nos attinet, nihil optabilius nobis accidere posset, quam ut mutua concordia

Xxx 2 chri-

germanus, vel quod in iis locis parum uteretur firma valetudine, vel quod aliquid esset odoratus, sponte Episcopatu decesserat, & privata vita contentus in patriam remeaverat, in ejus locum electus erat *Ericus*, cui brevi post *Franciscus* succedebat Comes Waldeccensis, de quo alibi.

christiana, charitas & pax vera, Deo auspice, vobis reddantur. Itaque ex animo a vobis efflagitamus, familiariterque vos admonemus, ut avitam religionem antiquas cæremonias à majoribus nostris quasi per manus traditas & hucusque cum vera pietate productas retineatis, concionatorem seditiosum profligetis, plebem tumultuantem reprimatis & ab omni novatione noxia, donec certus in causa religionis ordo componatur, coërceatis, gravissime enim ureret animum nostrum vobis plane addictum, si Cæsaream indignationem vestra rebellione in vos provocaretis atque in malam gratiam & imperii pœnam incideretis. Illud quoque vobis sedulo expendendum proponimus, si hic noster tam pius conatus & plus quam paternus animus tanquam familiaris admonitio apud vos, quod minime speramus, locum non sit habitura, scitote me hoc executurum necessario, quod mea functio & Imperii Decretum exiget, ut Christiana charitas & Reipublicæ tranquillitas inter vos conservetur, quæ omnia vobis penitus excogitanda relinquimus, quid autem horum facturi sitis, responsum à vobis certum expectamus.

F.
B. ROTHMANNI *a*) Ep. ad *Ericum*, Episc. Monaster.
1532.

Gratiam à Deo Patre per Jesum Christum, filium ejus unicum, & promptum innocentiæ meæ obse-

a) Equidem Senatus Monasteriensis ad superiores Episcopi literas nihil aliud respondere, quam quod populo suo hanc causam commendaturus esset; Populus verò, eas communicare Rothmanno, qui hanc d. 19 Aprilis Responsionem ad Episcopum noviter constitutum dare non neglexit.

ſequium præmitto Reverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps;

Quanquam ex literis tuis ad Senatum omnesque civitatis Monaſterienſis ordines miſſis ad me potiſſimum pertinentibus, facile intelligere potuerim, quam indignis modis apud te ſeditionis ac rebellionis, imo impietatis ab obtrectatoribus meis falſo delatus ſim, eam tamen fiduciam & ſpem firmam concepi, te proxime poſt Deum pro eximia tua generis nobilitate atque ſingularis æquitatis amore contra falſas malevolorum calumnias meam purgationem non ſolum patienter admiſſurum, verum etiam, ubi de innocentia mea tibi conſtiterit, me adverſus omnes calumnias atque ſycophantarum injurias, ut Chriſtianum decet Principem, defenſurum. Quod vero tu in Præſulem hujus Diœceſis divinitus ſis deſignatus, merito tibi & mihi gratulor, gratiasque Deo ago, qui non tam Principes Reipublicæ præficit, quam corda eorum gubernat, nec ille ſat ſcio feret, ut in gratiam obtrectatorum, qui forte non minus ſunt Omnipotentis quam mei hoſtes, cor tuum facta purgatione in eadem ſuſpicione perſeveret. Non enim meam, ſed Dei Verbique illius cauſam ago, unde ſummam invidiam, graviſſimas contumelias mihi & atrociſſimas calumnias cumulo;

Quod autem ſcribis, te auditione minime vana accepiſſe, me apud S. Mauritium extra muros civitatis Monaſterienſis publico concionatoris officio functum, phalerato ſermone & orationis quodam fuco ea docuiſſe, quæ & religionem avitam in contemtionem adducere & populum in errorem protrahere viſa ſunt, Itaque Fredericum anteceſſorem tuum juſtiſſimis de cauſis mihi concionandi munere interdixiſſe, &, cum Edicto minus paruiſſem, ſecuritatem ibidem commorandi mihi ademiſſe. Illuſtriſſime Princeps, ſupplex & propter Deum rogo, ut ad hæc antilogiam meam clementer admittas,

 unde

unde facile patefcet, quam miferis modis mecum agatur & præter meritum nominis mei qualiscunque exiftimatio laceretur.

Verum quidem eft, quod difpofitione divina, uti fpero, vocatus & humana folitaque ordinatione apud S. Mauritium in Ecclefiaften five Sacellanum electus atque defignatus, nec non Ecclefiaftico beneficio, cui concionandi munus annexum fuit, donatus fim, quod quidem munus mihi commiffum, Dei præfidio, ea fide adminiftravi, ut coram Deo univerfoque mundo ejus rationem reddere femper paratus fuerim, neque adhuc judicia omnium bonorum fubterfugio, &, fi male in eo verfatus fui, pœnam transgresfione dignam non deprecaturus fum. Super hæc omnia tamen, apud jam dictum Principem accufatus cladem nominis mei perpeffus fum, Et quamvis neque crimen neque delatorem unquam cognofcere potuerim, ut jufta criminis purgatio mihi patuiffet, ad quam me femper obtuli, tamen bonus ille Princeps perfuafione obtrectatorum eo inductus eft, ut mihi incufato, nedum crimine aliquo damnato, concionandi munere interdixerit. Non autem illius mandatum contumaciter, ut tibi perfuaferunt, refpui, neque prorfus excuffi, fed, quamvis me infontem fcirem, & calumniatoris illius, qui talia de me confinxit, confpectum intueri cuperem, Principis tamen mandato tam diu parui, donec, quantum fieri licuit, fcriptis meis, cum copia conveniendi, non daretur, me purgarem ac contra vaniloquum iftum fufurronem omne juris & æquitatis præfidium invocarem. Inde vero, cum neque juris neque æquitatis ratio ulla haberetur, neque accufator neque crimen in lucem prodiret, innocentia mea fretus & mandato divino obtemperans, quod primas apud me partes fibi vendicare debet, fi veri concionatoris officio fungi velim, cœptam muneris mei vocationem con-

continuando profecutus fum, Proinde, Reverendiffime Princeps, non poteft judicari contumax vel rebellis, ficut mihi contingit, qui non folum juri paret, verum etiam in præfidium fui, ut ego femper feci & nunc facio, invocat; Qua igitur ratione, nempe falfis invidorum delationibus, Princeps adductus, fecuritatem publicam per denunciationem mihi mifero ademerit, Domino Deo committam, atque Tibi exactius penfandum relinquo, ne fi omnia hic. quæ mihi præter meritum contigerunt, ad unum enumerarem, prolixitate mea tædium ac faftidium audiendi tibi ingeram. Præterea Illuftriffime Princeps, quod per falfas calumnias apud te delatus fum, me in contemptum & ludibrium prædicti Principis intra mœnia urbis Monafterienfis conceffiffe, à vero prorfus alienum eft. Nam minifter ejusdem Principis me in urbem ad fe vocavit, ibique fecuritatem publicam, defenfionis jus, tutumque commeatum nomine Principis mihi ademit. Neceffitas itaque me adegit, ut in tutelam innocentiæ meæ Cæfareæ libertati ac urbis defenfioni, in qua fui, me fubjicerem. Adhæc fcribis, me præfidio quorundam meæ factionis „ fretum citra legitimi Magiftratus permiffum in templum „ D. Lamberti ingeffiffe, ibidemque infueta docuiffe, „ novas cæremonias & cantiones veteribus abrogatis in- „ vexiffe. Utinam Ornatiffime Princeps, mea tibi innocentia perfpecta effet, fine dubio delatores iftos falfæ accufationis & virulentæ linguæ puderet, cum etiam tempore Friderici ad concionandum requifitus atque rogatus effem, non folum legitimum meum Magiftratum adii, verum etiam graviffimis rationibus commonftravi, me divinæ difpofitioni atque concionandi vocationi, fi permittat, deeffe non debere, Petivi quoque, cum paffim ad concionandum urgerer, ut Magiftratus fuæ voluntatis indicium mihi faceret, me enim fe invito nihil acturum, unde facile liquet, quod nullo factioforum,

rum, ſed ſolius omnipotentis fideli præſidio adjutus, vocationi meæ ſatisfacere voluerim. Cum itaque ad concionandum vocarer, Magiſtratus permiſſu illic quo populus verbi divini avidus convenerat, ſine alterius injuria atque incommodo ſuggeſtum aſcendi & officii mei memor verba vitæ docui, quod nulli Chriſtianorum merito denegari debet, quo enim jure alius alium docere, maxime in loco ad docendum deſtinato prohibetur? Poſtquam igitur vocatus ſum & nihil aliud quam bonum publicum tranquillitatemque civilem, teſte veritate, quæſivi, neceſſe non eſſe putavi, bene agendi facultatem à quoquam efflagitare, hoc enim laudabili conſuetudini & Chriſtianæ libertati prorſus repugnaret. Nam bene agere citra cujusque adſenſum ſemper licuit ſemperque licebit, Ego quidem etiamſi absque Magiſtratus auctoritate hæc egiſſem, ſine qua tamen nihil egi, gratiam bene geſtæ rei merito ab illo expectaſſem. Cum omnis Chriſtianus Magiſtratus à Deo ad hoc conſtitutus, ut quosvis ad bene agendum ſponte ſua invitet. Si quid vero Deo adverſum præceperit, Deo magis parendum eſſe quam hominibus Scriptura jubet.

Quare, Illuſtriſſime Princeps, cum à calumniatoribus meis inobedientiæ & rebellionis accuſatus ſim & quaſi impia, erronea, nova & contra omnem huc usque promulgatam tranquillitatem pacemque docuerim, unde nihil niſi diſſidium & horrenda ſeditio eruptura ſit, per omnia ſacra, per jus divinum & humanum oro, ut delatorem ad probandum illata mihi crimina conſtringas, ſi autem inexpugnabilibus argumentis convictus fuero, non ſolum à concionandi munere me abſtinebo, ſicut & Senatus, Tribuni, mechanicorumque Magiſtri hujus urbis tuo juſſu permoti me facere voluerunt, verum etiam, dignum factis ſupplicium ſubire paratus ero, ſed, cum me objecti flagitii cri-

crimine insontem esse sciam & concionandi officium à Deo mihi impositum sit, cui plus quam ulli hominum parendum est, & plurimi pii homines meam operam poscant, sine æterno salutis periculo à publica docendi functione me continere non possum nec debeo. Te igitur mihi patronum & defensorem fore non dubito, nam singularem veritatis & gloriæ Dei te propugnatorem esse plane confido. Hanc meam qualemcunque nominis mei purgationem æquo animo feras ac calumniatoribus meis sine fronte mentientibus, animo generoso & Principe digno aures tuas præcludas.

Num. VI.

Stanislai LUTHOMIRI Epistola ad Johannem UTENHOVIUM A. 1560.

Est *Stanislai* LUTHOMIRSCII nomen abunde notum in *Historia Reformationis Polonicæ*, quam breviter, licet non optima semper fide, descripsit *Stanislaus* LUBIENICIUS, Meminit ejus quoque in *Historia Augustanæ Confessionis* Vol. II. p. 653 &sq. ubi de Historia Lutheranismi in Polonia agit Doctiss. SALIGIUS; Fuit enim deinceps *Superintendens Diœceseos Pinczoviensis*, quippe qui &, A. 1562. quà talis, subscripsit Literis, quas Seniores & Ministri in *Synodo Pinczoviensi* congregati scripserunt ad Professores Theologiæ & Pastores Ecclesiæ *Argentinensis*, quæ, unà cum *Argentoratensium* ad eas responsione leguntur in Hier. ZANCHII Epistolis, Operum Tom. VIII. fol. 77.

Nunc verò temporis, eum *Casimirzæ*, quæ oppidulum est Palatinatus Lublinensis in minori Polonia, egisse


Pastorem ac V. D. Ministrum, ex hisce patet literis datis ad *Johannem Utenhovium*, fidum quondam Johannis à Lasco in Poloniam usque Achatem, sed, qui tum ad Ecclesiam Londinensem se iterum converterat; Has autem edimus ex Archivo Ecclesiæ Peregrinorum, sive, Belgarum Londinensis, ubi sub Lit. L. p. 159. earum reperitur Autographum, cum hac Inscriptione: *Ornatissimo, insigni pietate & doctrina viro, Domino*, Johanni Utenhovio, *peregrinarum Ecclesiarum Londini fidelissimo ministro, Domino & Fratri observandissimo.*

Cæterum, cum *Lutomirscius* noster hic causam Filii Dei, strenuè adversus *Franciscum Stancarum*, atque adversus Unitarios & qui cum illis colludebant, suscipiat, mirum cuidam videri posset, quod tamen deinceps, ingravescentibus turbis, & advenientibus Italis quibusdam, se à veritate abduci est passus, ut magis ad Arii sententiam accederet, referente WENGERSCIO sive *Regenvolscio* in *Hist. Eccl. Eccles. Slavonic.* p. 413. Unde et LUBIENICIUS lib. cit. p. 152. & p. 215. eum nobis describit, tanquam qui jam A. 1562. *ad Antitrinitarios secessum fecerit*, atque gloriatur ,, quod diu multumque veritati ,, reluctatus tandem ei victas manus dederit " quanquam, cum constet, Lubienicium pro more suo sectæque suæ, facillimum esse ac liberalem in faciendis proselytis, etiam iis, qui ceteroquin ab ea impietate prorsus sunt alieni, solum, ut vel ita suorum hominum numerum adaugere possit, ejus solius auctoritati vix credi id alioquin potuisset. Conf. SANDII biblioth. antitrinit. p. 42, 43.

De *Francisco* autem STANCARO, gente Italo, atque primum in Academia *Cracoviensi* linguæ Hebrææ Professore, deinde in Academia *Regiomontana* Borussiæ, *Osiandri* collega & Antagonista, postmodum inter *Polonos* versante, ac multis modis primò Reformationem promovente, deinceps turbante, conferri debent quæ

à *Conr.*

à *Conr.* SCHLUSSELBURGIO in Catalogo hæreticorum ſunt tradita Lib. IX. & à Petro BÆLIO in dictionario, voce *Stancarus*. Conf. WALCH. in Introduct. ad Controverſ. Eccleſ. Luther. T. I. p. 96 ſq. T. IV. p. 175-182. Erat ejus opinio primaria, *Chriſtum Mediatorem noſtrum tantum ſecundum humanam naturam fuiſſe*, quæ adeò magnas in Eccleſiis Polonicis ſub primis earum initiis turbas dedit, ut conſulti ſuper ea fuerint Phil. *Melanchthon*, Joh. *Calvinus*, Petrus *Martyr*, Hier. *Zanchius*, Th. *Beza*, aliique, qui eam ſolidè confutarunt, & *Tigurini Theologi* in Epiſtola ad Eccleſias Polonicas inſerta *Conr.* SCHLUSSELBURGII Catalogo hæreticorum loco cit. pag. 184-225. Prouti diverſæ Synodi adverſus Stancarum congregatæ ſunt, & Lutherani Doctores in *Formula Concordiæ* ſerpenti ejus hæreſi obicem ponere ſunt annisi, quæ tamen non niſi cum ejus vita A. 1574. exſpiravit. D. G.



De Johannis à Lasco filiis, eorumque fortuna & rebus domeſticis quædam, itemque de ejus Teſtamento. Stancari doctrinam & turbas per eam excitatas commemorat. Pontificios à Stancaro in Evangelicos excitari conqueritur, atque ſtatum Eccleſiæ poſt Laſcii mortem deplorat.

S. P. Clariſſime Vir, Non ita longo tempore dedi ad te literas per *Sebaſtianum Pechium.* Nunc has per *Warnerum* Emdanum ſcribo, qui ad nos adduxit Johannem *Hieronymum*, & *Thomam*, *Laſci* filios. Sed quia te audiendi eſſe avidum ſcio, de fortunis eorum. Scio enim te eſſe verum contutorem affiniorum horum meorum. Pater adhuc Francofurti condidit Teſtamentum Germanico idiomate conſcriptum, quo mediam partem

 om-

omnium facultatum suarum conjugi tradidit, reliquam verò medietatem per novem liberorum capita æquis portionibus dispertiri jussit. Jam æstimare potes quæ nam sint horum orphanorum fortunæ. Accepit enim mater potiorem partem omnium bonorum, sine ulla exceptione. Et illa tantum partivimus inter eos, quæ ipsamet mater protulit. Mundum etiam muliebrem suum, quem sanè copiosissimum habuit, sub censu divisionis non revocavimus. Hunc illa sola integrum habet.

Stancarus turbas hic excitat graves; Cujus delirium, imò potius venenum *Hieronymus Ossolinsky*; *Stanislaus Sarnicski* & *Stanislaus Drojoniski* ex nobilitate præcipui viri, cum aliis multis, cupidè sane, odio veritatis, amplexi sunt. Quærunt enim & venantur isti centauri, sub nomine Christi, licentiam vivendi sine ulla lege. Tu potes æstimare frater, quanto moerore hic simus nunc in hac prima herba Ecclesiolæ affecti. Sed sit Emanueli nostro summa gratia. Nos omnes reliqui ministri (excepto *Martino* illo Wlodislaviensi Pseudo-pastore) firmiter tuemur missionem ad nos Filii Dei unigeniti, & ejus humiliationem nostri causa in divinitate susceptam. Quam *Stancarus* Judæus & Mahumeti discipulus impugnat & omninò negat, summam consolationem nobis eripere studens. Deitatem enim Filii Dei Dni nostri Jesu Christi hic Sathanæ apostolus nobis nititur abolere astu mirabili. Ora pro nobis Patrem Domini nostri Jesu Christi, cum universo sanctorum cœtu. Furit Sathan pro impotentia animi sui. Pontificii cum Stancaro clancularios, imò jam manifestos habent congressus. Instigat Archiepiscopos, Episcopos Papisticos, & Legatum Pontificium in nos, Arrii, Eutychetis, Nestorii, Macedonii, & omnium aliorum hæreticorum erroribus impudenti & maledico suo ore nos infamando & onerando. Quum ipsemet horum omnium hæresium sit scaturigo. Impostor enim sceleratus sacrosanctæ Trini-

ni-

nitatis gloriam, obliquato impetu evertere conatur. Percutiat eum Dominus.

Tu nosti copias nostras, Lascio erepto *a*) nemo est qui conatus hujus nebulonis enervare possit. Ex ore tamen infantium & lactentium suorum producit suam laudem clementiss. Emanuel noster, ita, ut *Ossolinius* pœnitentia cœpti sui incipiat affici. Nos, cujus gloria impetitur, certi sumus nobis non defuturum. Vale & nos Patri Domini & Dei nostri Jesu Christi commenda. datum in parva Cazimirza 1560. Julii 28.

Tuæ præstantiæ animo & corpore totus *Stanislaus.* LUTHOMIRSKI minister verbi æterni incarnati.

Num. VII.
EJUSDEM Epistolæ tres A. 1563. & 1565: scriptæ.

Et has Stanislai LUTHOMIRSCII literas ad *Histori-am Polonicam* facientes hic legi voluimus, depromtas ex LUBIENICII Historia Reformationis Polonicæ p. 161. sq.

A.
Ad Fratres Cracoviæ congregatos 1563.

Illustres, Magnifici, Spectabiles, Generosi, Honorati, Benevoli Domini & Fratres in Filio Dei.

HAnc vestram alacritatem, quam in custodienda & conservanda imò propaganda gloria Dei viventis, & ejus æterni unigeniti Filii, ei æqualis & similis, tum & Spiritus S. ex corde diligimus, & amore fraterno amplexi in corde exosculamur: Hànc ut Dominus in

a) Erat enim hoc eodem anno fato suo functus Johannes à LASCO ipsis Kal. Januar. magno cum detrimento rei ecclesiasticæ cum omnis tum præcipuè Polonicæ.

vobis exſuſcitet & magis magisque augeat, omnes uno animo & uno ore dicimus Amen, Amen.

Quum magni nominis viri iſtum quorundam conventum, qui his diebus Cracoviæ habetur, pro Synodo habere nolint: tum & ipſe frater Paulus Gilovius cum aliis fratribus idem affirmavit. At proceſſus (ſententia) Synodum hanc edicens rem ſe aliter habere aperte dicit: cum tamen per eandem multi Viri Chriſtiani, quibus rerum Eccleſiæ cura incumbit, ad hanc Synodum non fuerint invitati. De Synodis Petricovienſi & Cracovienſi, quæ, ut accepimus, decurrente anno nuper decurſo *a*), celebratæ ſunt, nihil nobis conſtat. Imò nec quiſquam erat, qui a nobis poſt ultimam Synodum Princzoviæ 4. Novemb. 1562. habitam Synodum aliam convocari poſtularit. Verum enim verò nunc per amorem Dei rogamus vos, ut Synodum Miniſtrorum omnium in utraque Polonia, Litvania & Ruſſia reformatas Eccleſias regentium convocari diligenter curetis: eisque tempus & locum conveniendi præſcribatis: cum conſenſu Seniorum Eccleſiæ filii Dei, ſi forte quidam eorum (ſicut hanc eorum debitam diligentiam nobis pollicemur) huc convenerint. Talis enim Synodus neceſſario convocanda eſt ad conſervandum Eccleſiæ Dei ordinem, ad officii admonendos omnes & conſcribendos proceſſus (ſententias Synodales.) Rogamus pariter, cum Deus pro æterna gratia ſua multos ad eccleſiam ſuam vocet, & cenſum populi ſui augeat, vos, quo res meliori quam adhuc ordine gerenda ſit, conſilium ineatis. Interea verò temporis per nomen Dei viventis vos obſecramus, ut judicio genuino, conſtanti, Chriſtiano, verbum Dei ſequente has dolendas non neceſſarias & valde noxias turbas (quas à parte noſtra non fieri poſtea cum bono Deo videbimus) examinetis, *non ſecundum*

a) Hæc illuſtrari poſſunt ex SALIGIO Hiſtor. Aug. Conf. Tom. II. p. 654. 655.

dum faciem, sed recto judicio judicando. Valde hoc quoque necessarium est, habetis nempè huc spectans Sp. S. monitum: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec judicio plurimorum acquiesces, ut à verò devies. Si Deus est, verbum ejus est veritas & triticum. Homines autem & doctrinæ eorum à præscripto verbi æterni Dei exorbitantes, sunt paleæ.* Ezech. xx: 18, 19. legimus: *in præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & judicia mea custodite, & facite ea.* Rogamus itaque vos iterum iterumque per Deum vivum Patrem nostrum æternum & ejus unigenitum Filium & Sp. S. memores estote, nos omnes coram Throno judicii Dei comparituros, & coërcete mentes contumaces hominum, qui pertinaciter suas opiniones tuentur, non vero verbi divini custodiam & obedientiam, ut par erat, testantur. Nolite uni parti, præterita & non audita alterâ, fidem præbere: omnes sumus homines. Nobis sanè valde dolet, quod illi viri Generosi & Nobiles, qui proxima die Veneris in domum Generosi Domini Lubomirscii convenerant (licet ut hoc facerent sollicite, postulaverimus) noluerint quatuor viros è medio sui deputare, qui audirent & dijudicarent colloquia, quæ cum Ministris fratribus nostris habuimus, Facili enim negotio totam rem perspectam habuissetis & vidissetis quam inique fratres nostri agant? quod vobis brevi Deus clarissimè monstrabit. In præsens tamen rogamus, ne narrationibus cujusquam sinistris de Fratre Gregorio cœtus Cracoviensis Ministro, huc ab ecclesia Dei legitimè misso, fidem detis, vel eum suspectum habeatis. Nos enim usque adhuc nil mali vel in ejus doctrina animadvertere vel de eo opinari possumus. Equidem habemus per gratiam misericordis Dei verbum ejus ad formandum judicium, & sumus membra ecclesiæ Dei. Plura non addimus.

Cum

Cum vobis placuerit, id Deo juvante re ipſa, non tantum verbis teſtabimur. Interim nos gratiæ & precibus Chriſtianis omnium veſtrum commendamus. Dabantur *a)* Cracoviæ Anno Domini 1563. Menſis Maji die decima ſeptima.

B.

Ad Fratres Wilnenſes.
1563.

Clariſſimi, vera pietate & Doctrinæ cæleſtis cuſtodia, Viri.

GRatiam, miſericordiam, pacem, ac ſalutem à Deo Patre ex quo & à quo omnia, & nos in ipſum, per Jeſum Chriſtum, per quem omnia & nos per ipſum, Electorem, Servatorem & Interpellatorem, Filium illi conſubſtantialem; coæternum & coæqualem, in Sancto utriusque coeſſentiali, ac æque coæterno, coæqualique Spiritu, omnia vegetante, in quo clamamus Abba Pater. Authoribus Jacobo Silvio, Sarnicio & Diſcordia ad d. 14. Maji (neglecto ordine Eccleſiæ Dei uſitato, ſpretis & contemtis, ignorantibuſque atque inconſultis, utriuſque ordinis Senioribus, projecta ac protrita diſciplina Eccleſiaſtica) convocata eſt Cracoviam Pſeudo Synodus; *b)* proceſſu mendaciis referto, evulgato: quem abuſi bonitate quorundam Procerum, negotiorum Eccleſiæ Dei plane ignarorum, curarunt ſubſcribi, manibus Magnificorum Caſtellani Cracovienſis Palatini Lublinenſis, Caſtellani Zawichoſtenſis, Capitanei Marieburgenſis Joachimi Lubomirski, Joſti Ludovici Decii & quatuor Civium Cracovienſium, inter quos connumerantur etiam illi, qui Papiſticam impietatem ſequuntur. Ad quam Pſeudo Synodum nos Miniſtri pro-

a) Literis hiſce permulti ſubſcripſerant, quos recenſet SALIG. l. c. p. 656

b) Conf. SALIG. l. c. p. 657.

propiores, non ſumus accerſiti: imò dabatur opera, ne ullo pacto innoteſceret nobis conſilium; ſtudebant enim damnare nos unà cum doctrina ſana & Miniſtrum Cracovienſem loco ſuo movere inque ejus locum ſufficere Diſcordiam illum celebrem factis ſuis. Quare ne quid detrimenti acciperet Eccleſia Dei ambitione horum fratrum, pravis conſiliis, atque actionibus: *Miniſtri viginti tres* accurimus *Cracoviam*: ubi id quod actum ſit, brevibus vobis pro fraterno in vos meo amore, perſcribo: ut vobis veritas conſtet, ne fortè, ut nunc ſunt mores, affingant boni iſti fratres, pro ſua conſuetudine. Triduum integrum inſumſimus, multa largiendo ipſorum pertinaciæ &c. Illi autem abrogata Synodo contra proceſſus per ipſos publicatos ſententiam: *** quem tàm accuratè (ut nunquam antea ullus ſit æque exquiſite ſcriptus) confectum ediderunt, ad proceres qui nondum coiverant omnem Synodicam actionem rejecerunt, colloquium noſtrum repudiando. Sed ut quæ acta hic ſint ſciant Fratres; En vobis mitto breviter conſignata omnia, ex proteſtatione per nos facta, tum ex reſponſo à nobis dato fratribus, nunc nobis immerito infeſtis. Dabant operam iſti Miniſtri, ambitione turgidi fratres, ut me ex ſua parte haberent, & uſi ſunt in eo vafritie indigna miniſterio ipſorum. Sed per Dei gratiam ipſorum voti non habuerunt optatum ſucceſſum, imò & iſta Pſeudo Synodus, ab illis tanta cura convocata, in ventum abiit, nihil in ea actum eſt. Timentes enim ſuæ cauſæ, & ne in apricum proferrentur per nos technæ eorum, Caſtellano Cracovienſi & Palatino Lublinenſi clam perſuaſerunt, ne Synodicas actiones inchoarent &c. Sed ut ad diem Stanislai, ſimilem generaliter convocarent, & *Diſcordiam* Cracovienſi eccleſiæ præficerent. Non licere enim abſente Capitaneo Mariæburgenſi, Caſtellano Sendomirienſi & aliis multis, nobiſcum agere. &c. Dijudicate Fratres, num deceant iſta Miniſtros. Nos d. 13. Cra-

coviam hujus mensis convenimus, illorum causa: perseveramus ipsis invitis, ne absentibus nobis in nos rejicerent culpam. Orate pro illis, & pro nobis. & ad Synodum futuram concurrite: ut incendium Ecclesiæ Dei periculosum unanimi consensu, ut opus est, Emmanuele præeunte, restinguamus, & fratres à nobis dissilientes colligamus: Ventos enim cerebri humani, non verbi æterni sequuntur præscriptum aliqui, quorum opera & persuasione *Calvinus* vir alioqui magnus adductus, certe iniquè *Gregorium* nostrum, (*Blandratam*) & ecclesiarum nostrarum Ministros accusavit. Simlerus Tigurinus modestius egit, qui in suo libello, quo maledico Stancari respondet libello, ita scribit. *Neque nobis de verbis, ut aliqui arbitrantur, certamen propositum est, sed de rebus ipsis, de quibus si inter nos conveniat, nomina Essentiæ aut Personæ, aut alia ejusdem generis, quibus veteres usi sunt, non patimur impedimento esse concordiæ.* Quare agite Fratres, ut Synodus futura sub finem mensis Septembris sit frequens, à quibuscunque tandem convocata fuerit. Nos curabimus, ne ultra mensem septembrem prorogetur ejus indictio. Miror nos non evocari unquam à vobis. Certe non gravaremur ullo labore, in tuenda & propaganda gloria Dei, & ejus unigeniti coæterni Filii, sint illi quicunque tandem sint &c. Dat: Cracoviæ Anno 1563. d. Mensis Maji 20.

C.

Ad cœtum Wilnensem *a*) 1565.

Gratiam & pacem æternam cum accremento lucis vobis Fratres dilecti sincero Christiano corde precamur.

Agant fideles debitas gratias Patri cœlesti, qui facit ut quotidie magis magisque perspiciamus fidelibus

a) Hæc Epistola nomine Synodi Wengroviensis, manu Stanislai Luthomirscii Ecclesiarum minoris Poloniæ tum Superintendentis est scripta d. 10 Junii 1565. referente Lubienicio in Hist. Reform. Polon. p. 177.

bus inter ſe unum cor & unam animam eſſe, licet longè ab ſe ſint diſſiti, prout id apparuerit magno cum omnium noſtrum ſolatio ex benevolentia veſtra erga nos fratres veſtros, miſſis ad nos per tot terrarum ſpatia, nulli parcendo ſumtui, duobus fratribus è medio veſtri, *Wendrogowio* & *Andrea Ciznera*, & quod majus eſt, declarata veſtra fiducia erga nos, quibus exorta inibi diſſidia componenda commiſeritis. Idem ille Pater cœleſtis vos & nos Spiritu ſuo Sancto roboret, ut in vera caritate creſcamus uſque ad vitam æternam. Nos viciſſim vobis, fratres perdilecti, corda noſtra ſincera & promtæ benevolentiæ plena offerimus, nulli dubitantes, vos ea eodem affectu, ut ſoletis, grato ſuſcepturos, qua ſpe freti libenter accedimus ad componenda diſſidia inter vos ſuborta, eccleſiæ Dei noxia, ad gloriam Dei, in nomine Domini noſtri J. C. non ut vobis hac occaſione diſſidii dominemur. At proinde vos reddimus certiores, factam eſſe inter fratrem *Wendrogovium* ac *Paulum* Superintendentem ab una, & *Martinum Czechowicium* alioſque fratres, qui ſe injuria à Fratre Wendrogowio affectos opinabantur parte ab altera conciliationem. Oſtendit enim Spiritus S. ab utrinque peccatum fuiſſe, non leviter læſam & contriſtatam Eccleſiam Dei per facta eorum inconſiderata & temeraria, quibus ante oculos eorum poſitis, operante Spiritu S. ad agnoſcendam culpam & agendam pœnitentiam, adeoque ad redintegrandam coram nobis concordiam perducti ſunt. Id ſolum reliquum eſt, ut offendiculum, quod fecerunt Fratres *Wendrogovius* & *Martinus* ibi ubi illud factum, ſcil. coram Eccleſia veſtra deponant, & miſſum faciant, citra invidioſam commemorationem injuriarum vel exacerbationem animorum, publice tantum confitentes delicta ut pacem & caritatem gloriæ divinæ ſtudio conſervent ſecundùm ſanctam Dei voluntatem, & apud fratres ſororeſque culpam vere contrito corde deprecentur. Cum autem

acceperimus & alios fratres cætus veſtri, inprimis *Caterlam* & *Carnicium* magnam iſti ſcandalo præbuiſſe occaſionem; ideo per Deum oramus, ut humiliatis cordibus & mutua conciliatione ac deprecatione, non tantum illos fratres ſororesque, ſed & nos conſolentur, quo Deus inde referat gloriam, Satanas verò hoſtis concordiæ & caritatis pudorem. Quod vos pro promta benevolentia veſtra facturos minime dubitamus, ut triſtitia ex diſcordia orta tanto majus fidelibus adferat gaudium. Ut autem deinceps in omnibus actionibus veſtris modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, nihilque fiat ad contumelia afficiendum nomen Dei, ſed omnia in ſpiritu lenitatis & vera caritate peragantur, per Deum rogamus. Pariter obſecramus ut illud incommodi, quod ex ſuborta de baptiſmo diſceptatione evenit, in ſolatium veſtrum & noſtrum mutuum vertat. Nam quod ad baptismum attinet, de quo nata inter vos eſt quæſtio, ne omnino ſpiritui divino repugnemus, propria eaque crebra edocti experientia ex conſilio S. S. tale temperamentum inventum eſt à nobis, quo diſſidentes ſe invicem æquari putent, ne ab utrinque quiſpiam ad aliquid reclamante conſcientia faciendum cogatur, ſed ut omnes pacem illibatam conſervent, abſtinentes titulis invidioſis Anabaptiſtarum vel antagoniſtarum, perſeverantes in precibus ad Deum ardentibus, expectantes tempus Synodo præfixum, quo Deus pro ſua miſericordia unam viam monſtrabit, in qua nullus fidelium impinget, cum ſit ovis obediens paſtori ſuo, quin potius tanto majori cum ſolatio geſtit ſolam Paſtoris ſui in negotio æternæ ſalutis audire vocem, prout id experti ſumus è triſti carcere & infinitorum Antichriſti errorum vinculis educti. Qua de re plenius vobis referent fratres Nam hac quoque fini convocari Synodum curabunt per iſtum Superintendentem, quem vos concorditer elegiſtis, & cui obedientiam in Domino ſecundum verbum Dei debetis, eique adjumento eſſe.

N O-

Num. VIII.

NOVA LITERARIA.

TIGURI Prodiit pars quinta documentorum *ad Historiam Reformationis Helveticæ spectantium* cura & industria Viri doctissimi J. C. FUESLINI Tiguri 1753. 8.

Complectitur verò hæc collectio I. Excerptum ex *Ge. Vögelini* Historia Mss. Reformationis Constantiensis. II. *Martini Buceri* Judicium de controversia sacramentaria inter *Carolostadium* & *Lutherum* 1524. III. *Huldrici Zwinglii* Apologiam adversus calumnias de ipso præter rei veritatem sparsas. 1524. IV. Syllogen documentorum ad *historiam* Helvetiæ *anabaptisticam* spectantium. V. Commercium Epistolicum *Catharinæ Zelliæ*, Matronæ Argentoratensis & *Ludovici Rabi*, Superintendentis Ulmensis. VI. *Indicem librorum* quorundam ac monumentorum *rariorum* in *Histor. Ecclesiasticam* & cumpr. *Reformationis* incurrentium. Tiguri apud Heidegg. & Soc. 1743. 8.

Accepimus verò etiam Viri præstantissimi J. J. ZIMMERMANNI Theologi Tigurini Opuscula in unum collecta, atque duobus in 4. voluminibus edita Tiguri 1751. 4. apud Gesnerum. Continentur vero in hisce

I. Meditationes XII. de caussis magis magisque invalescentis incredulitatis & Medela huic malo adhibenda. p. 1-547.

II. Meditatio de præstantia Religionis Christianæ collatæ cum philosophia Socratis p. 549 603.

III. Dialogus de natura Idearum, in quo Auctor probare vult, *nos nescire quid sint ideæ*. p. 604-628.

IV. Dissertatio epistolica de pretio artis rhetoricæ p. 629—645.

V. Disquisitiones Historicæ & theologicæ de Visionibus, quæ quatuor primis post excessum Christi & Apostolorum seculis, Christianis quibusdam contigisse dicuntur. p. 646—760.

VI. Exercitatio de Atheismo Platoni impacto p. 762—124.

VII. Vindiciæ Dissertationis de Atheismo Platonis contra

ea quæ monuit N. H. Gundlingius in Gundlingianis, part. 43. 44. pag. 827—960.

VIII. Meditationes Sacræ, complectentes salutaria quædam monita, ad verum & legitimum S. Cœnæ usum pertinentia p 961—1040.

IX. Oratio de præcellentia Eruditionis Theologicæ, qua instructæ erunt mentes cœlo receptæ, collatæ cum imperfecta & umbratili, quæ in terris locum habet, rerum divinarum cognitione p 1042—1092.

X. Oratio de disciplina arcani veteris Ecclesiæ nostra ætate non usurpanda. p. 1093.

Idem verò ille Vir. Celeb. *de Crimine hæretificationis, ejusque caussis & remediis* nuper quædam præcipere aggressus est, duas ejus Meditationis partes jam publicando A. 1752 & 1753.

Prouti non minus sex disputationes edidit, *de pia & circumspecta in tradendis sanctioribus disciplinis sectanda simplicitate*, quarum ultima superiori autumno anni 1753 prodiit.

Est vir eximius BODMERUS, Tigurinus, qui elegantissimum carmen Epicum, sub titulo *Noachi*, lingua Helvetica exaratum, cum præsenti tum futuro seculo, tradidit, opus ære perennius, quodque cum Miltoni Paradiso, atque summorum quorumvis Poetarum exquisitissimis carminibus merito conferas; Adeò sublimi ferit sidera vertice!

Ceterum & de *Christo Jesu* Ἱλαστηρίῳ, *Propitiatorio* ad Ep. ad Rom. III: 25. tres jam dissertationes theologicas publicavit Vir Cl. J. *Jac.* LAVATERUS. S. Th. Professor.

Pergunt verò etiam in instituto nobilissimo edendi *Musei Helvetici*, Duumviri præclari atque omni nostra laude majores, Cel. BREITINGERUS & ZIMMERMANNUS, uti partem XXVIII. ante aliquot menses accepimus, quæ nobis sequentia meletemata sistit.

I. Jo. JALLABERTI Orationem in Memoriam Viri Cl. *Gabrielis Crameri* Philos. Prof. in illustr. Acad. Genev. dignissimi A. 1753. d. 4 Januarii defuncti.

II. Catalogum Librorum à *Cælio Secundo* CURIONE, ejusque filiis Cælio Horatio & Cælio Augustino editorum ex Mss.

III. Epistolas ineditas C. S. Curionis ex Mss.

IV. Christoph. TRETII, Poloni, Epistolam ad Tigurinos de tumultu Cracoviensi A. 1574. ex autographo

V.

V. Sam. KOENIGII Orationem de optimis Wolfiana & Neutoniaua philosophandi methodis, earumque amico consensu.

VI. Anecdota de Gul. POSTELLO.

VII. Libros à G. Postello conscriptos ac editos.

VIII. Anecdota quædam de CLAUDIO Allobroge, homine fanatico & S. Triadis hoste.

BASILEÆ. Uti bonarum sacrarumque literarum studia cumprimis hic florent, ita non desunt *Specimina Academica* quam multa inde ab aliquo tempore publicata, quæ luculentum eruditionis Basiliensium referant testimonium;

Cæterum, & prodiit opera Viri pl. Rev. Jo Rodolphi OSTERWALDII V. D. M. Opus posthumum beati OSTERWALDII Theologi dum vivebat Neocomensis, sub tit. *Des Entretiens pieux* 1752. 8. in quo omnem illam de *piis colloquiis* ita pertractat materiam ut I. quid per *pia colloquia* intelligatur, indicet, simul verò etiam observet, quam ipsa hæc pia in speciem colloquia sæpenumero possint esse inutilia, quin imò etiam noxia. II. Usum & summam horum *colloquiorum* necessitatem exponat ac adstruat. III. Agat, de argumento horum *colloquiorum*, de personis, de tempore aliisque circumstantiis, ac cautelis circà hoc pietatis exercitium observandis.

Prodiit verò etiam ante triennium opera Cl. GRYNÆI ex Anglico idiomate, in Germanicum translatus libellus paradoxus, sub titulo: *Manuductio ad inferos*, Auctore BEELZEBUL. 8 In quo diabolus, mirum dictu, sub Monitoris persona introducitur ac mortales furoris sui, quo inscii & omnia alia cogitantes suis consiliis & exemplo viam ad Tartara muniunt atque expeditam reddunt, coarguit:

Sed & idem ille *Sam*. GRYNÆUS V. D. M in tractu Basileensi, fasciculum quendam Sermonum ecclesiasticorum *ad moralem Christianismi disciplinam* spectantium publicavit, atque publicum promeruit applausum, ad Hebr. XIII: 17. III: 12. Luc IX: 26 Rom II: 23. 24. 2 Cor. IV: 18. Jac. V: 13. & Luc. XXII: 19. Bas. 1751. 8.

Curavit vero etiam Vir. Clariss. J. Henr. BRUCKERUS Historiarum Prof. P. edi Syllogen quandam Scriptorum *de rebus Basileensibus* minorum 1752. 8. Quæ sequentes continet libellos. I Christ. URSTISII Epitomen Historiæ Basil. II. Nic. GERUNG dicti *Blawenstein*, Chronica Episcoporum Ba-

Basileensium è Codice Monasteriensi. III. Æn. SYLVII Epistolam de Basilea. IV. Æg. TSCHUDII Glaronensis Delineationem veteris Rauricæ è Msl. translatum. &c.

FRANCOFURTI AD VIADRUM. Edidit superiori anno 1753. d. XIV Junii novam disputationem periodicam, eamque Theologicam primám, *qua Argumentum pro divina Religionis Christianæ origine, à martyribus desumtum, examinatur*, Vir Cel E. H. D. STOSCHIUS. Ubi inter alia §. V, p. 17. Vir Cel. ita animi sui mentem exponit:

„ Quando igitur martyrium inter argumenta referimus,
„ quibus divina christianæ religionis origo, hominibus com-
„ mendanda est, *non ad eos*, pertinere censemus characteres,
„ quos ratio absolute postulat, *sed* quos à Deo datos, ap-
„ probat: *non ad eos*, qui plenam perfectamque dant certi-
„ tudinem, *sed* moralem tantum convictionem; *non* ad per
„ se probantes, *sed* pædagogicos, ad attentionem excitantes,
„ cor afficientes, affectus moventes, & qui ad examen do-
„ ctrinæ instituendum, homines, veritatis negligentes & in-
„ curios, ex alto quo tenentur sopore excitatos, fortiter
„ movere & impellere debent. " Atque §. VII. pag. 23.
„ Soli hi proprie, mihi hic in censum venire posse videntur,
„ qui ob Christianæ religionis professionem, ab hostibus ejus
„ in jus vocati, Christum libere & forti animo professi, igno-
„ miniam, carceris squalorem, bonorum omnium jacturam,
„ cruciatus sævos & immanes, ipsam denique mortem, sup-
„ pliciumque ultimum, ob nominis Christi professionem, cum
„ veræ pietatis & sanctitatis domonstratione perpessi fuere,
„ licet Christum abnegando, & á fide deficiendo, dura omnia
„ & ignominiosa evitare potuissent.

HALÆ SAXONUM. Uti Vir summè Venerandus Sig. Jac BAUMGARTEN innumeris modis sibi literatum orbem devincit, ita quod bibliophilis laudabilem inde ab aliquo tempore præstiterit operam, certum est, edendo per partes, excellentissimæ suæ Bibliothecæ, quam sub tit. *einer Hällischen Bibliothec* designat, notitiam quandam, & quidem primario librorum ejus præstantissimorum ac rarissimorum. Sunt vero ejus Notitiæ jam octo quoque publicata volumina, quando idem consilium sub innovato titulo: *Nachrichten von merkwurdigen büchern* prosequitur, atque hujus quoque collectionis jam tria publicavit volumina Edidit is quoque atque in formam disputationis Academicæ publicavit *Examen varian*-

antium Lectionum in Epistola Jacobi obviarum. Hal. 1751. 4.

Prodiit sub præsidio Viri pl. Ven. atque doctissimi *Jo. Georgii* MICHAELIS Theol. Prof. in Gymnasio Reformatorum Regio dissertatio Theol. Philologica, *de progressu & incremento doctrinæ salutaris, inde à Protevangelio usque ad Noachum.* A. 1752. d. 28 Sept.

Itemque de *Templi Hierosolymitani Juliani Imperatoris mandato per Judæos frustra tentata restauratione.* A. 1751. d. 13 Sept.

Porrò, *de Angelo Imperatore exercitus Israelitici Josuæ adparente* ad Josuæ V: 13 seqq. A. 1752. d. 20. Martii.

Edidit Vir cl. *Joh.* SIMONIS Histor S. & Antiq. Prof. *Introductionem* Grammatico criticam in linguam *Græcam*, qua de linguæ illius origine & antiquitate, natura fatis ac subsidiis, de præcipuis *Grammatices Græcæ* momentis, lingua & textu N. T. *Græco*, de versionibus denique V. T. *Græcis* differitur &c. Sumtibus orphantrophei 1752. 8.

Edita verò etiam atque sumtibus orphanotrophei publicata: Joh. SIMONIS Histor S. & Antiq. Prof. Introductio grammatrico-critica in linguam *Hebraicam*, qua de linguæ illius appellationibus, origine & antiquitate, natura, fatis ac subsidiis, de præcipuis it. *Gramm. Hebrææ* momentis, de textu denique *Hebraico* codicis V. T. differitur &c. cum appendice de *Lingua Chaldacia.* 1753 8.

Est verò superiori anno 1752. ad cathedram Theologicam in Regia Fridericiana vocatus Vir Cel. *Joh. Salomon* SEMLERUS Salfeldiensis, nuper Historiarum & Poeseos Professor in Altorfina, atque Professioni illi inauguratus est, posteaquam in Altorfina prius pro rite obtinendo Doctoratu theologico, publice defenderat *Observationes exegetico criticas & miscellas* præcipuè super 2 Timoth. III. & IV. quas d. V. Martii 1753. in Universitate Altorfina publice disputandas proposuit.

Edidit vero is Halæ, dum publicas suas indicebat Lectiones, *Sessionis VI Concilii Tridentini exemplum* ex Mst. Coburgensi, quod ab editis exemplaribus in permultis deviat, atque clarissimum mutabilitatis & anxietatis, membrorum illius Synodi in decidendis controversiis exhibet documentum,

Ceterum prodierunt quoque Cel. BAUMGARTENII Meletemata varia, inter quæ & est Institutionum Hermeneuticarum particula tertia *de Sensu Sacræ Scripturæ*, publice defensa; itemque sub ejus Præsidio Dissertatio theologica *de periculosa sacramentorum in ceremonias & harum in sacramenta permutatione* d. 26 Martii 1753. auctore Joh. Ge. *Buschio*. Porrò Dissertatio Theologica *de Miraculis in regno gratiæ* d. 2 Aprilis 1753. auctore J. C. *Thenn*, Augusta-vindelico. Itemque, Scriptio Theologica *de omnipræsentiæ* vera notione, auctore Chr. *Wendt*, Hasso Darmstadino d. 16 Aprilis 1753. Sed &, specimen Theologicum *de* Ανυποςασια & Ενυποςασια *humanæ Christi naturæ* d. 7 Junii 1753. auctore Jo Dieter. *Deimann*. Frisio orientali. Nec non, Meditationes *de limitibus libertati conscientiæ ponendis* ad d. 29 Jun. 1753. auctore Ern. Phil *Noltenio*, Palæo Marchico. Item, *Authentiam doxologiæ* Matth. VI: 13. *obviæ a recentissimis oppugnationibus vindicatam* d. 12 Julii 1753. auctore Car. Abr. *Weyland*, Sedino Pomerano. Denique Diss. Theol. *de vera operis operati indola*, *ejusque necessaria sed cauta debellatione* d. XVI Jun. 1753. auctore Ern. P. *Rosenow*. Wildeberga Pomerana.

HAMMONÆ: Cum ad Gymnasium hoc & quidem ad Historiarum Philosophiæ & Eloquentiæ ordinariam Professionem vocatus esset Vir Doctiss. atque expertissimus *Jo. Phil. Laurentius* WITHOFIUS J. H. Filius, Medicinæ Doctor, isque solenniter eam capesseret provinciam A. 1752. d. 4. Decembris, pulcherrimam, quæ & variis annotationibus referta, typis exscripta est, orationem dixit *de Religione Medica*.

HAMBURGI. Prodiit A. 1753. Tomus posterior *Historiæ baptismi infantum* per *Gulielmum* WALLUM descriptæ atque in Latinum idioma translatæ à V. D. Jo. Ludovico SCHLOSSERO V.D. M. Hamburgensi. Hamb. 1753. 4. Cujus en Tibi capitum Elenchum!

I. De locis pro parvulorum baptismo malè ac præter veritatem allegatis.

II. De recentiorum doctorum opinionibus, qui vel baptizatos olim fuisse infantes, vel non fuisse statuunt.

III. De iis qui christianis parentibus nati, tamen adulta demum ætate baptisati dicuntur.

IV. De Britonum veterum ecclesia & de sectis Novatianorum

rum

rum scil. ac Donatistarum, qui pædobaptismum rejecisse putantur: item de Arrianis.

V. De baptismo iterando controversia, ubi cumprimis de Paullianistis, quos denuo baptizari, si in ecclesiam recipi vellent, præceperunt Patres Nicæni.

VI. De statu infantum aliorumque non baptizatorum, opiniones veterum.

VII. De Waldensibus, horumque accusatoribus S. Bernardo, Petro Cluniacensi, Reinerio, Pilichdorfio &c.

VIII. De baptismo infantum controversiæ status, it. de Antipædobaptistis in Germania, Belgio, Anglia, Polonia & Transylvania.

IX. De antiquissimis baptismi ritibus.

X. Argumentorum Ἀνακεφαλαίωσις.

XI. Dehortatio à schismate, ob dissensum de ætate baptismi recipiendi.

Ceterum non contemnendas Cl. SCHLOSSERUS, doctissimo *Walli* libro per omnes fere paginas adjecit annotationes.

HANNOVERÆ: Habemus hic curâ pl. Rev. D. *Caroli Antonii* DOLLE Superintendentis Schaumburg. Lippiaci &c. *Biographiam Theologiæ Professorum qui in Universitate* Rintelensi, *inde ab ejus initiis, usque in hunc diem floruerunt.* Hanov. 1752. 8 Parte I. & II continentur Vitæ Joh. *Gisenii*, Josuæ *Stegmanni*. Eberh. *Mesomylii*, Balth. *Menzeri*, Joh. *Henichii*, Henr. Mart. *Eccardi*, Petri *Musæi* & Gerh. Wolteri *Molani*.

AMSTELODAMI. Prodiit ante hoc biennium illa dudum à Cl. Editore promissa, ac toties totiesque tentata, ab his prohibita, ab aliis expetita, Editio Novi Testamenti WETSTENIANA, duobus in folio voluminibus, sub hoc titulo: *Novum Testamentum Græcum editionis receptæ, cum Lectionibus variantibus codicum MSS. editionum aliarum, versionum & Patrum: nec non commentario pleniore, ex scriptoribus veteribus Hebræis, Græcis & Latinis historiam & vim verborum illustrante, opera & studio* JO. JAC. WETSTENII. Tomus I. *continens quatuor Evangelia.* Tomus II. *continens Epistolas Pauli, Acta Apostolorum. Epistolas Canonicas & Apocalypsin. Amstelod.* MDCCLI. MDCCLII.

Habes hic Lector *Prolegomena*, quæ arma facesque subministrant, quinimò etiam *Post. legomena*; incredibilem porro variantium Lectionum multitudinem, prodigiosam denique

omnis generis citationum, commentarii titulo insignitam farraginem,

Ὀσσα τε φυλλα και ἀνθεα. γιγνεται ὡρῃ
Ηυγε μυιαων ἀδιναων ἐθνεα πολλα.

Sed juvat hic referre Summi apud Lipsienses Theologi C. F. BOERNERI Judicium de priori volumine latum in *Dissertationibus sacris*, quæ prodierunt Lipsiæ 1752. 4. Diss. IX. p. 180 181. in nota (e) textui subjecta

„ Ergo igitur, secundis vero minime avibus, in lucem „ publicam prodire coepit Novum Testamentum Græcum, „ in quo toto fere vitæ suæ tempore desudavit WETSTE- „ NIUS, & cujus, viginti abhinc annis prelo paratæ, edi- „ tionis retardationem ipse quidem adversariorum suorum odio „ adscribit hostili. Titulus est: *Novum Testamentum Græcum* „ *editionis receptæ, cum Lectionibus variantibus Codicum MSS*, „ *Editionum aliarum, Versionum, & Patrum: nec non Com-* „ *mentario pleniore, ex scriptoribus veteribus Hebræis, Græ-* „ *cis & Latinis historiam & vim verborum illustrante. Ope-* „ *ra & studio* JOANNIS JACOBI WETSTENII *Tomus* „ *I. continens quatuor Euangelia. Amstelædami, MDCCLI.* „ Instituti sui rationem Vir Cl. jam olim, anno videlicet „ MDCCXXX, Amstelædami ἀνωνύμως edito exposuit scripto, „ hocce insignito titulo: *Prolegomena ad Novi Testamenti* „ *Græci editionem accuratissimam, e vetustissimis Codd. MSS.* „ *denuo procurandam.* Atque hæc ipsa prolegomena, quæ „ de Codicibus MSS. N. T., de scriptoribus Græcis, qui „ N. Testamento usi sunt, de versionibus veteribus, editio- „ nibus prioribus, & claris interpretibus, historico criticam „ in se continent tractationem, nonnihil autem immutata, & „ accessionibus quamplurimis locupletata, tomo huic præfi- „ genda curavit. Multa vero etiam iisdem inseruit, addidit- „ ve, quæ ad lites inter ipsum & Helveticos quosdam The- „ ologos spectant. Græcus N. T. textus, *editionis*, ut titu- „ lus habet, est *receptæ*. Eo enim, quo constitutum habuit, „ modo illum exhibere, ipsi haud licuisse, ferunt. Nihilo „ minus tamen, non solum receptam illam, *Elzeviriana* quæ „ est, editionem in *prolegomenis p.* 151. *sq* acri notavit „ censura, sed etiam in ipso textu Græco, quæ vel delenda, „ vel addenda, vel substituenda esse, arbitratur, certis ap- „ positis signis, indicavit. *Variantes lectiones* ex Codd. MSS. „ Patrum scriptis, versionibus, & cet. longe maximo numero „ tex-

,, textui subjunxit. *Commentarius*, historiam & vim verbo-
,, rum illustraturus, improbo confectus est labore. Congessit
,, in illum, nullo habito delectu, nullo servato ordine, &
,, sine ulla addita κρίσει, Rabbinorum dicta, Scriptorum Græ-
,, corum, inprimis τῶν ἔξω, innumeros fere locos, in quibus
,, vox phrasisve textus sacri occurrit, & interpretum alie-
,, nas sæpius ab analogia fidei expositiones. Singulari adeo
,, arte, non tam ad illustrandum, quam ad obscurandum
,, aliquoties, depravandumve verborum sacrorum scriptorum
,, sensum, commentarium hunc ab auctore compositum esse,
,, idonei facile animadvertent lectores.

Quod verò posterius adtinet Volumen, ii, qui quid æra di-
stent lupinis, discernere norunt, facilè vident, quam eodem quo cœpit tramite pergat, sitque posterius illud priori non magis simile, quam ovum ovo.

Cæterum & eruditi *Lipsienses* in Actis Eruditorum, & *Gottingenses* in Relationibus litterariis, & *Halenses* in Diariis suis, ita totum hoc institutum jam denudarunt, ut laudabilem suam, ne quid detrimenti caperet res christiana, sollicitudinem, nervosè satis ac graviter, nec minus tamen modestè, detexerint, atque scapham vocaverint scapham.

Sed &, Cel. VENEMA, Theologus Franequeranus, adversus eas, quas Cl. Wetstenius Operi subjunxerat *Clementis Epistolas duas*, calamum stringere, atque quod Epiphanio & Hieronymo notæ fuerint, in dubium vocare, nuperrime est aggressus, edito singulari schediasmate sub tit. H. Venema ad Virum Celeb. P. *Wesselingium* Epistola, qua, duas Clementis Epistolas à Cl. *Wetstenio* ad calcem N. T. *nuper publicatas, Epiphanio & Hieronymo notas fuisse, in dubium vocatur, & de scopo posterioris sic dictæ Epistolæ* Clementis *ad Corinthios disseritur.* Harling. 1754. 8.

De reliquo, quod felix faustumque esse jubeat supremum Numen, *Professionem ordinariam Linguarum & Antiquitatum Orientalium*, sibi demandatam in Illustri Amstelodamensium Lyceo solenniter d. 14 Januarii hujus anni 1754. suscepit Vir plur. Ven. & doctiss *Gulielmus* KOOLHAAS, Daventriensis, V. D. M. Langeracensis, dicta Oratione, *de Grammatica sacra omni vero Theologo summo studio & Ακριβειᾳ excolenda, eaque à variis sordibus & nævis, quibus adhucdum conspurcata est, repurganda & defæcanda.* quæ & typis excusa jam legitur.

Prodiit verò etiam indefesso studio Viri Rever. Gulielmi ab EENHOORN, Tractatus singularis de *Juventute Christiana*, multis observationibus cum philologicis tum vero cumprimis practicis refertus, prætereaque Explicatione singulari in loca Eccles. XI: 8. 9. 10. & c. XII. itemque commentario in Ps. CXLIV: 12. instructus. Amstelod. 1753. 8.

LINGÆ. Præter alia ingenii monumenta, quibus Vir pl. Vener. *Ferdinandus* STOSCHIUS in Gymnasio Lingensi linguarum & antiquitatum Professor, scholarumque Rector, sibi rempublicam obstrinxit literariam, est quoque cultissimus libellus, sive Tractatus Theologicus, *De Epistolis Apostolorum idiographis*, quo Apostolos, non per Amanuenses, sed sua manu Epistolas suas scripsisse, luculenter demonstratur. Guelpherbyti 1751. 8. Est paucorum equidem foliorum libellus, sed qui varia cum eruditionis tum pietatis prodit specimina, multisque simul Sacræ Scripturæ locis affundit lucem; uti præcipuè quod locum Rom. XVI: 22. concernit, tantum abest, ut inde colligendum arbitretur V. D. quasi per amanuensem conscribi curaverit Apostolus suam ad Romanos Epistolam, ut potius judicet, exinde confici debere, quod tria gesserit nomina, *Tertii*, *Paulli*, & *Sauli*. In quam sententiam, quam primus equidem protulit Vir Eximius *Maturinus Veyssiere*, DE LACROZE, ita totus quantus abit noster, ut eam fere etiam nobis persuaserit: dictumque fuisse censeamus Apostolum *Tertium*, *Paullum*, *Saulum*. Nimirum ii, qui in civitatem Romanam adoptabantur, nomen Romanum prisco nomini suo præponèbant. Sic Ciceronis liberti *Tyro* & *Trabea*, in libertatem asserti, nomina sumserunt *M. Tullii Tyronis* & *M. Tullii Trabea*. Apud Gruterum & in Antiquitatibus Nemausensibus est monumentum vetus cujusdam *Lucii Tertii Paulli*: ibi nomen *Tertii*, loco nominis, non prænominis usurpatur, Conf. *Thesaur. Epistol. lacroziani*. Tom. III. pag. 229. 234.

Eundem hunc Virum Clarissimum, Groningana nostra singulari condecoravit honore, eum licet absentem *Theologiæ Doctorem* benevolenter pariter ac liberaliter pronunciando, tum, quando & in Quatuorviros Academiæ Groninganæ exornandæ, eosdem illos conferebat Honores: Venerandus STOSCHIUS intereà ne in ingratum ea Dignitas collata videretur, novum edendo tractatum, *De Epistolis Apostolorum non deperditis*, quo, nullam ex Epistolis ab Apostolis Jesu Christi exaratis periisse luculenter demonstratur, effecit, eumque dedica-

ca-

cavit Amplissimo Senatui Academico Groningano, & inprimis Summè Venerandæ *Facultati Theologicæ* &c. &c. Est verò is tractatus editus Groningæ 1752. 8.

Postequam Cl. Auctor in antecessum eximia quædam circa librorum divinorum θεοπνευστίαν observasset, atque inter alia adstruxisset duplicem Virorum Sanctorum *Inspirationem*. Alteram *generalem* & habitualem, ac continuò immanentem, qua effuso in eos solenniter Spiritu S. novis, cœlestibusque & unicè veris ideis menti infusis, judicioque in divinis veritatibus ac viis penitus firmato, quicquid in opere ministerii sui docerent, licet proprio jam iis instinctu, non tamen, nisi singulari divini Spiritus luce collustrati, potentiaque corroborati, ita docerent, ut ab errore omni immunes, non possent, nisi bene sapienterque, quin optima, qua fieri poterat, ratione, docere.

Alteram *specialem*, & ad tempus, ceu transeuntem, qua (quod ex promissione Servatoris Math. X: 19. Luc. XII: 2. Joh XIV: 26. in sermonibus etiam Apostolorum subinde obtinuit, quales á Luca ad verbum in literas relatos habemus) in scribendis iis, quæ certæ & infallibilis regulæ loco forent, non proprio motu, sed à Spiritu S. jussi speciatim & impulsi, novo & immediato eoque specialissimo ejus concursu, ita & mens & stylus scribentium adficiebatur ac dirigebatur, ut non nisi hoc solum, quod scribebant, scribere possent, idque ita scriberent, ut Sp. Sanctus ipse & solus illius auctor esset habendus: &c.

Progreditur ad evincendum, *Primò*, quod Apostoli non plures, ac hodie adsunt, scripserint Epistolas specialiter θεοπνεύστας. *Secundò*, quod pauca, atque adeo probabiliter non plura, quam quæ hodie exstant, Apostoli scripserint. Hisce enim duobus primariis capitibus totum hoc veluti absolvitur opusculum.

Tandem vero etiam adversus objectiones multifarias suam hanc causam asserit ac defendit Vir Celeb ubi cumprimis expenduntur loca 1 Cor. V: 9. 2 Cor. X: 9. 10 11. 2 Cor. XIII: 1. porrò Ephes. III: 3 4. Phil. III: 1. Coloss IV: 16. Eph III: 3. 2 Thess. II: 1. III: 17 2 Petr. III: 15. 16. 1 Petr. V: 12. 3 Joh. vers 9. &sim. atque haud perfunctoriè illustrantur:

Cæterum & Vir pl. Vener. atque Doctiss. Jo. Dan. van HOVEN, præter alia eruditionis haud proletariæ specimina, edidit *Historiæ Ecclesiasticæ* pragmaticæ N. T. Specimen, exhi-

hibens caput primum, *de origine & constitutione Ecclesiæ Apostolicæ*, præmissa prolusione, *de Scriptorum qui litterariam supellectilem ad Historiam Ecclesiasticam composuerunt.* itemque Specimen alterum, exhibens Theses *de Apostolicæ Ecclesiæ religione;* Et porro, specimen III. *de Christianorum seculi I. vita & moribus*, ad ductum Iacob. III: 17. recensitis Lingæ 1752. 8.

Edidit verò etiam Vir plur. Vener. Joh. Casimirus MIEGIUS Dissertationum, ad ædificationem atque practicam rerum divinarum notitiam facientium bigam, *de Ministerio Verbi in Spiritu & Veritate*; itemque nuper admodum, Theses, *de diverso carnis & spiritus gustu in studio sapientiæ cælestis.*

HAFFNIÆ. Prodiit nuper *Christ.* PANTOPPIDANI, Aarhusensis Præpos. Gener. & Pastoris templi cathedralis *Dissertatio Irenica inauguralis de Vatis Jesaiæ calamitoso calamitatis camino*, c. XLVIII: 10. 4.

Vener. verò etiam *Ericus* PANTOPPIDANUS, cujus varia in Historiam Ecclesiasticam, Politicam & Litterariam Patriæ, extant merita, novo quodam dono litterario suos sibi devincire aggressus est, edendo, sed lingua Danica, *Introductionem in Historiam Naturalem*, cujus Tomus primus prodiit in 4.

GRONINGÆ. Cum die 3. Septembris more modoque solenni celebrarentur Encænia Universitatis nostræ, GERDESIUS h. t. Rector Magnificus, Oratione habita *de duobus in Theologia Elenctica evitandis scopulis, altero, τῃ της ἀνθολκης ἀμετρια altero, pia quam dicunt fraude*, à Rectoratu decessit, eumque resignavit in manus Viri Consultissimi, *Jac.* ECKII Jurium Professoris: Est ea Oratio typis impressa Gron. 1753. 4.

Sub ejusdem GERDESII Præsidio publice quoque ventilata est ad diem xx Junii 1753. Dissertatio critica in *Canticum Deboræ*, ad Judicum caput V. auctore Abr. Frid. *Ruckersfeldero* Moeno-Francofurtano, Sacri Ministerii candidato; Cujus dissertationis finis primarius est, internam illius Cantici dispositionem investigare, atque cum alius cujusdam vetustioris Poëtæ operibus comparare, quo nexus ejus cumprimis se nobis offerat, atque à difficultatibus suis liberetur. Eum in finem Doctiss. Auctor, *Pindaricum* quoddam *carmen* meditationi substernit, atque cum eo deinceps totum hoc canticum comparat, traditis primo quibusdam odarum Pindarica-

carum characteribus iisque applicatis ad præsens Deboræ Επινικιον; Hoc autem ut tantò ipsi cederet felicius, ante omnia quoque evincendum sibi sumit pag. 14 sq. quod *Deboræ* ætas, carmina charactere postea *Pindarico* dicto insignita non ignoraverit: Qua occasione simul ad illustrationem *Cantici Mosaici* Exod. xv. post ægyptiorum in mari rubro stragem decantati quædam afferuntur minime proletaria. Cæterum illud Pindari carmen est ex Olympicis depromtum & quidem Ειδος tertium, inscriptum Theroni in Theoxeniis, quod totum quantum à p. 5—10. in suas partes primarias resolutum illustratur. Cui deinde subjungitur hujus nostri Cantici à Debora compositi non tantum Schema, in strophas, antistrophas & Επωδυς resolutum à pag. 18—22. sed & commentarius p. 22——39. in ipsa Disputatione pluribus legendus.

Cæterum idem ille RUCKERSFELDERUS haud ita multò post, ad *Professionem Theologicam* illustris Gymnasii Daventriensis vocatus est in locum Viri Celeberrimi G. C. OFFERHAUSII, cui octogenario majori honorifica contigerat muneris relaxatio; Neque tamen Academia aut Facultas Theologica civem hunc suum atque auditorem, sine quodam Honoris titulo à se demittere volebat, quin potius admodum honorifice summum in Theologia gradum quem vocant Doctoris in eum conferre, eumque *Theologiæ Doctorem* declarare.

Quo facto is Daventriam se conferre ibique decretam sibi S. Theologiæ & Philologiæ Orientalis Professionem capessere ac die XX Decembris Inauguralem suam Orationem pronunciare: *De recentioribus circa rerum universitatem observatis, Religioni Christianæ haud contrariis*, quæ & typis exscripta prostat, Daventr. apud J. H. van Wyk 1754. 4.

Est quoque die VI. Februarii hujus anni 1754. publice edita à GERDESIO Disputatio Exegetica V. ad 1 Cor. XV: 20—23. atque sub ejus præsidio publice defensa ab Henr. Joh. *Folmero* Zutphaniensi S. Th. Studioso.

Itemque die XXVII. Martii Disputatio Exegetica VI. ad 1 Cor. XV. v. 24—28. *De Christo Regnum Deo & Patri tradituro*, Defendente C. P. *Schultzio* Benthemiensi S. Th. Stud.

Quum apud nos vacuefacta esset morte Cl. *Croeseri* Facultas Medica, ne quid inde detrimenti caperet res Academica,

vocati sunt in ejus locum, primo, Vir Celeberrimus, quique jam inde ab aliquot annis *Franequeranam* Academicam exornaverat, *Tiberius* LAMBERGEN, Professor Medicinæ, & cumprimis Chymiæ atque Botanices, qui jam inde ab aliquo tempore privatarum suarum lectionum exordia fecit, deinceps Vir Juvenis doctissimus Gualtherus DOEVEREN Flandrus, Medicinæ Doctor in civitate Leidensi, Medicinæ, Anatomiæ, Chirurgices atque artis obstetricandi; Quibus adjunctus insuper est Lector Anatomiæ & Chirurgiæ publicus, Vir Cl. STENHUIS Medicinæ Doctor Groninganus.

HELMÆSTADII Prodierunt *Jo Bened.* CARPZOVII Theol. & Græcarum Literarum in Acad. Helmstadiensi Professoris *Sacræ exercitationes in S. Pauli Epistolam ad Hebræos ex Philone Alexandrino*: Helmst. 1750. 8. Præfixa sunt *Philoniana*, Prolegomena, in quibus de non adeo contemnenda Philonis eruditione Hebraica, de convenientia styli Philonis cum illo Divi Pauli in Ep. ad Hebræos, & de aliis nonnullis varii argumenti exponitur.

Edidit quoque Vir Cl. Ern. Aug. BERTLINGIUS S. Th. Doctor & Prof. pub. *Observationes Historio-Theologicas* ad Litteras PAULLI III. Rom. Pontif. *de Modo concionandi* Anno 1542. datas & publicatas ab Ill. Ro. Eccl. Cardinale QUIRINO, in Litteris Vicennalibus Brixiensibus, quæ Georgia Augusta celebravit insertis Helmest. 1752. 4.

Est verò cumprimis memorabilis Viri Doctissimi *Francisci* ROTHFISCHERI ad Professionem philosophicam in Academia Julia vocatio, ante biennium fere facta, posteaquam is paulo ante à Pontificiorum sacris ad Sacra Evangelico-Lutherana transitum fecisset, sicque, quam Veritas etiam nunc triumphos agat de Præjudiciis, cum educationis tum informationis, suo exemplo notabili testatum fecisset; Cæterum de transitu ejus ad Protestantes extat Ejus Apologia & Relatio Historica, Germanicè edita Lipf. & Gulpherbyti 1752. 4.

HEIDELBERGÆ Qui in Cel. J. H. HOTTINGERI successit locum Vir pl. Ven & Cel. Jo. Jac. WUNDIUS Disputationem pro summis in Theologia Honoribus edidit Inauguralem, ad diem XII. Sept. MDCCLIII. qua copiam *Charismatum & virtutum in Ecclesia Apostolica* recenset, atque multis Sacræ Scripturæ cumprimis novi testamenti locis lucem affundit, ut has muneris Professorii primitias meritò cum Viro Clarissimo, tum Universitati Archi Palatinæ gratulemur.

Eid-

Edidit Vir Cel. *Christianus* BRUININGS Theologus Senior Observationes practicas generales ad Orationem Dominicam, circa ejus auctorem, scopum, materiam formam & usum Heidelb. 1752. 4.

Sunt quoque sub ejus præsidio à Carolo *Buttinghausen* S. Th. Cult. ventilatæ Theses Miscellaneæ *de Excommunicatione Judaica*, ad diem 4 Aprilis 1753.

JENÆ Extat J. Fr. FALCKII Oratio 1752. habita *de Reformatore Primo Luthero*, ad anniversariam Augustanæ Confessionis memoriam renovandam.

Edidit vero etiam Cel. *Jo. Ern. Imm* WALCHIUS Prof. publ & Societatis Latinæ Jenensis Director, diss. *de Christianorum sub Diocletiano in Hispania persecutione*, quam ex antiquis inscriptionibus illustravit Jen. 1751. 4. atque varia eruditione persudit.

Uti non minoris eruditionis opus est, Ejusdem *Persequutionis Christianorum Neronianæ in Hispania ex antiquis monimentis probandæ* uberior explanatio Jen. 1753. 4. qua multa tam sacræ quam profanæ antiquitatis capita explicantur atque illustrantur.

Cæterum ea quoque quæ hic floret, *Societas Latina Jenensis*, quæque Superiori anno 1753. admodum honorifice *Danielem* GERDESIUM, numero Sociorum honorariorum inscripsit, ut eruditionis latices ad plures deducat omnem navat operam: Et sunt ab ejus directore Viro Celeb. Jo. Ern. Imman. WALCHIO Phil. doctore & Professore publico edita ejusdam Acta, quorum Volumen secundum sequentia continet meletemata.

I. Frid. Ottonis MENCKENII diss. de hodierna litterarum per præcipuas Europæ cultioris partes facie & statu.

II. Jo. Math. GESNERI ad disputationem de nomenclatura latina παραλειπομενα.

III. Jo. Dit. WINCKLERI de genuina της Εγκρατειας significatione schediasma.

IV. Jo. Sal. SEMLERI Spicilegium variarum lectionum ad librum I. Epistolarum Plinii.

V. Jo. Christ. STRODTMANNI centuriam differentium apud Latinos vocum, ab Ausonio Popma vel omissarum, vel curatius explicandarum, una cum ejusdem ad hanc centuriam adpendice.

VI. Imman. Frid. GREGORII de scribendi genere Δια Σημειων, præcipue apud Veteres Romanos dissertationem.

VII. Io. Ern. Imm. WALCHII Pocillatorem Phrygium.

VIII. Io. Goth. MULLERI Syllogen lectionum variantium è codice Ienensi antiquo Terentii.

IX. Car. Frid. WALCHII Iovem serenum.

X. Lud. Gul. BALHORNII de Diis Σωτηρσι commentationem.

XI. Io. Frid. SCHOEPPERLINI diss. de veteribus Romanæ linguæ cultoribus κακοζηλοις.

Accedunt Elogia Virorum celeberr. Io. Gottl. HEINECCII, Iacobi BURCKHARDI, & Mathiæ BELII

LAUSANNÆ. Prodiit his diebus, tractatus, prodromus veluti Operis vastioris ac diffusioris, sub titulo: *De Malis ex Ecclesiæ Romanæ dogmatibus disciplina & praxi principibus, Reipublicæ humanæque societati obvenientibus*, diatribæ XII. Auctore *D. H.* QUIRINO PHILALETHE.

Erunt verò harum diatribarum argumenta, hæc I. Diatriba ostendet Oeconomiam illam a Deo definitam & a Redemtore nostro commendatam, procedendi nempe *per liberum Rationis exercitium* in salutarium Veritatum meditatione, ab Ecclesia Rom. everti ac eliminari II. Argumentum erit, *Religionis Rom. diversitas ab antiqua per Apostolos annunciata*, humanis placitis pro genio innixæ: & quod gravissimum est, superstitionibus multiplicibus humanæ Societati noxiis vitiatæ. III. Demonstrabit, *Religionis Rom. nervo Salutis viam populis difficiliorem* rudioremque omnino *reddi*; cum externa quædam devotionis exercitia promoveat, chimericis dotibus tantummodo affecta, vitiorum radices & semina non præcidat, non extinguat. IV. Ad Sanctuarii pondus librando *præcipua illius Dogmata*, ex eorum origine, cæterisque annexis, nonnisi ex pravo superbiæ avaritiæque spiritu, pietatis specie personato, illa processisse (unde prima cœpit mali labes) ut temporanea Papæ potestas, Ecclesiasticorumque regnum longe lateque protenderetur, cæteris præstaret, opibusque affluere, compertum reddet & exploratum. V. *Romanensium artes* indicabit, *quibus*, vel Traditionis beneficio aut fraudum vulgo piarum, quibus indulgent, ope, propria *Dogmata vallare ac propagare* satagunt. VI. *Larvam* præcipuis illius *Religionis Patronis detrahet*, eosque carnalis prudentiæ potius machinamentis & dolis, pestiferæque Politices canonibus, quam vero Dei justitiæque zelo instructos exhibebit. VII. Circa *Tyrannidem*, quam in bona, in conscientias & in personas

Re-

Religio. Rom sibi adjudicat, versabitur. VIII. Palam faciet, quam immaniter *Religio illa temporaneam Principum potestatem parvipendat*, impetat, convellatque. IX. *Persecutionis* cacodæmonem, *quo Relligio illa munitur*, indigitabit & execrabitur; quoque nullam non movet machinam, ut seditionibus vel proditionibus ipsi non obtemperantes opprimat. X. *Eam armis stipatam*, quæ citra vel minimum incommodum sibi comparare potest, & *bella ausam* perficere, & ipsos Principes morti tradere, in aperto ponet. XI. Præcipua recensebit detrimenta juribus Reip. Civili propriis, quibus promovetur, a Rom. Religione illata; quandoquidem illam membris subjectisque destituit, eosque paucos inertes omnino, ignavos, pauperesque reddit. XII. *Religionem* Rom. ejusque *Praxin*, tanquam *tranquillitati publicæ*, paci ac securitati *infensam* apodictice convincet.

Is, qui celeb. *Abrahamo* RUCHAT datus est successor (v. Tom. III. P. II. p. 380.) I P. SECRETANUS, uti novum munus adiit sermone auspicali, *de Controversiis circà religionem rite tractandis*, iia sub formam dissertationis Academicæ eum typis exscribi curavit Bernæ 1752. atque alteram mox disputationem eidem adjunxit, quæ *summam fidei Christianæ* exhibet. Bern. 1752. 4.

KILIÆ HOLSATORUM Edidit Vir maxime Rev. Ad. Henr. LACKMANNUS, 1752. d. 17 Jun. ad præscriptum constitutionis Fridericanæ in alma Christian-Alberta, Disputationem ad Novellam c. XLVI. *De Controversia, nata ex sacrarum literarum lectione in Synagogis Judaicis, compositaque per Justinianum Imperatorem.*

LIPSIÆ. Inter ea quæ hic quotidie circa rem litterariam, promovendam ac adaugendam aguntur, recenseri meretur illud quod inter Ro. Eccl. Cardinalem eminentissimum *Angelum Mariam* QUIRINUM & inter V. Cl. Jo. Rud. KIESLINGIUM intercedit commercium epistolicum, circa res communionem & ecclesiam Romanam cumprimis concernentes; Uti anno superiori 1753. prodiit Cl KIESLINGII Epistola ad Ill. Quirinum, Ecclesiæ Brixiensis Episcopum, & Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum, de *Religione Lutherana Romanensibus ad eandem accessuris, sua præstantia amabili* Lips. 1753. 4.

Est hæc Epistola ea occasione potissimum scripta, quod Eminentiss Cardinalis ægre ferret Viri Cel. *Francisci* ROTHFISCHERI, Professoris Helmstadiensis, transitum ad Eccle-

ſiam Lutheranam, eaque de re cum apud alios tum apud ipſum Kieslingium conqueſtus eſſet, atque etiam ad ipſum Rothſilcherum Epiſtolam ſcripſiſſet dehortatoriam; Illis enim querelis, ut ſatisfaceret, hanc ad eum dare Kieslingius ſcriptionem, atque in ea evincere aggreditur, quam *Religio Lutherana* Romanenſibus ad eam acceſſuris *ſua præſtantia ſit amabilis:*

Neque autem ſolum variis argumentis id evincere ſtudet Vir Celeb. ſed &, cumprimis *pro veritate doctrinæ Proteſtantium*, & quam unusquisque veritatis fulgore tactus ſemet vel nulla alia vi cogente, perſentiſcat obſtrictum, ad eam ſequendam, adducit Teſtimonium D. HYACINTHI *de Quiros*, ſive *Quirini Philalethi*, Hispani, Reformatæ nunc Eccleſiæ ſocii & Profeſſoris Theologiæ in Academia Lauſannenſi apud Helvetios, in ejus Diatribis, *de Romanæ Eccleſiæ dogmatibus, praxi & diſciplina*, editis Lauſann. 1753. 4. Et hunc enim *Quirinum Philalethum*, pag. ſuper. commemoratum, egregium veritatis Evangelicæ Confeſſorem, miſſis Pontificiorum ſacris, ad noſtra tranſiiſſe, merito lætamur nobisque gratulamur, Deumque ut his in propagandum veritatis regnum directis conſiliis largiter benedicere velit, exoramus.

FRANEKERÆ. Prodiit A. 1752. d. ix. Maji atque ſub præſidio Viri Cel. *Ægidii* GILLISSEN publice defenſa eſt diſputatio prior, *de SS. Evangeliis ad Apocryphos quosdam libros non accommodatis*. 4.

Edidit verò etiam Cl. VENEMA Epiſtolicam diſſertationem ad Cel. WESSELINGIUM directam, qua duas Clementis Epiſtolas à Cl. Wetſtenio ad calcem N. T. nuper publicatas, Epiphanio & Hieronymo notas fuiſſe in dubium vocatur, & de ſcopo poſterioris ſic dictæ Epiſtolæ Clementis ad Corinthios diſſeritur. Harlingæ 1754. 8.

Cæterum & Vir Celeb. *Joh.* ARNTZENIUS novam nobis curavit editionem Panegyrici à *Latino Pacato Drepanio* in laudem Theodoſii Auguſti conſcripti, cum notis integris Claudii *Puteani*, Franc. *Jureti*, Johannis *Livineji*, Valentis *Acidalii*, Conr. *Rittershuſii*, Jani *Gruteri*, Joh. *Scheſſeri*, Chriſt. Gottl. *Schwarzii* & aliorum ſelectis. Quibus accedunt Thomæ *Wopkenſii* Animadverſiones criticæ nunc primum editæ. Amſtelod. 1753. 4.

Cl. autem VRIEMOETIUS præter reliqua ad illuſtranda Scripturæ S. loca varia meletemata, ſub finem quoque ſuperioris anni 1753. Diſſertationem edidit ad ſelecta V. T. præci-

cipuè *ex Decalogo* loca, quæ varii generis continent Observationes philologicas ad præceptorum decalogi sensum rite percipiendum potissimum directas;

GOTTINGÆ. Est Vir Juvenis eximius *Petrus* PLESKEN, Viri Summè Venerandi *Meinhardi Plesken* filius, qui A. 1752. d. 16 Sept. summos in Philosophia honores Doctorales adeptus est editis binis elaborationibus *de Patrimonio Henrici Leonis.*

Idem ille, novum eruditionis historicæ specimen edidit publice ventilando disquisitionem Academicam, sub titulo: *Carolus V. Augustus Ferdinandum Fratrem Germanum, Regem Romanorum constituens auspicato atque absque omni lapsu politico.* Gott. 1753. 4.

Prodiit Epistola gratulatoria de *Poetis Biblicis Latinis* ad virum Summè Rev. ac Celeb. *Christ. Aug.* HEUMANNUM p. missa à *Fr. Chr.* LESSERO V. D. M. Nordhusano. 1752. 4.

BREMÆ. Obiit die XXX Junii 1753. supremum diem Vir Celeb. Conradus IKENIUS, atque morte sua vacuam fecit cathedram in illustri Gymnasio Theologicam, atque in cœtu Stephaniensi Ecclesiasticam, multisque præclaris ausis in incrementum rei litterariæ atque ecclesiasticæ susceptis est intermortuus, longiori vita, si Deo visum fuisset dignus, Intereà, benè est, quod variis scriptis iisque ad Cleanthis lucernam elaboratis sibi non morituram pepererit nominis famam, sicque etiam mortuus adhuc loquatur & celebretur.

Sub præsidio autem Celeberrimi NONNENII, qui per Dei gratiam adhuc floret, ac vegeta est ætate, nuper defensa est Disputatio II. Theologica *de Donis extraordinariis Spiritus Sancti:*

LUGDUNI BATAVORUM. Sub præsidio Viri Cl. J. J. SCHULTENSII edita est dissertatio ac publice defensa d. VII. Martii 1753. qua disquiritur. *Unde Moses res in libro Geneseos descriptos didicerit?* auctore Petro BROUWER Viri pl. Ven. & doctissimi Br. Brouweri Theologi Amstelodamensis filio.

HAGÆ COMITUM. Eximium prorsus ac varia eruditione refertum tractatum edidit Vir plur. Vener. atque doctissimus Carolus CHAIS V. D. M. Ecclesiæ Haganæ Gallo Belgicæ, sub titulo: *Lettres Historiques & dogmatiques sur les Jubiles & les Indulgences à l'occasion du Jubilé universel*

ver-

versel celebre à Rome par Benoit XIV. l' An MDCCL. *&* *etendu à tout le monde catholique*-Romain, en MDCCLI. par *Charles* CHAIS Tome I. II. III. Se vend à la Haye chez Jean Swart. MDCCLI. 8.

ERLANGÆ. Edidit A. 1752. d. 2 Maji Dissertationem Academicam Polemicam, qua articulus *de Redemtione* à cavillationibus Auctoris *Religionis Essentialis* vindicatur, Vir summe Rev. *Jo. Mart.* CHLADENIUS, Academiæ Fridericiano Erlangensis Prorector designatus.

Prodiit vero etiam hoc eodem anno 1752. liber sub titulo: Κειμηλια Bibliothecæ regiæ Berolinensis Æthiopica descripta; ex schedis hactenus anecdotis eruit, luci publicæ exposuit & præfatus est *Jo. Dietericus* WINCKLERUS S. Theol. Doctor & Ecclesiarum Hildesiensium Superintendens.

DUISBURGI. Vir plur. Ven. P. JANSSENIUS nobilem quandam, nec à quoquam digne satis pertractatam aggressus est materiam, *De æquilibrio peccati & vicariarum Jesu Christi passionum*, eamque *novem* identidem sibi subsequentibus *Disputationibus Academicis* absolvit, quarum prima d 3. Martii A. 1752. ultima d. 7. Aprilis 1753. in Academia Duisburgensi publicè proposita est ac defensa.

Cæterum & Cl. AMMENDORFIUS Disputationum Philologico-Theologicarum bigam edidit: *de convenientia novissimi Judicii cum Legislatione*, alteram 1752. d. 18. Jul. alteram 1753. d. 5. Januarii.

Sub ejus verò etiam præsidio edidit Dissertationem pulcherrimam *Frid. Theod.* WITHOF, Jo. Hild. Filius, natu minimus, *de Nomine novo* ad locum Apoc. II: 17. d. 24 Maji 1753.

Apud DANTISCANOS Vir Cl. WERNSDORFIUS bigam edidit Dissertationum, ad comprobandum, *Fabularum Historiam de Baccho ex Mosaica haud confictam esse, contra Huetium aliosque.* 1753. 4.

ULTRAJECTI. Quum A. 1752. d. 27 Aprilis, Vir eximius *Seb.* RAVIUS ordinariam linguarum Orientalium Professionem auspicaretur, eruditam dixit ac publicavit Orationem, *De Eloquentia & sublimitate dictionis Hebraicæ scriptorum antiqui fœderis*, Est ea typis excripta Traj. ad Rhen. 1752. 4.

Vir. Cel. *Christophorus* SAXIUS extraordinariam *Antiquitatum & Humaniorum literarum* Professionem suscepit A. 1753.

1753. d. 1 Febr. dicta Oratione Inaugurali doctissima *pro Antiquitatis scientia*, quæ quam late se in omnem antiquitatis eamque eruditam scientiam immiserit, Celeb. Auctor, ipso opere demonstrat;

Sub præsidio Cel. WESSELINGII variæ prodierunt Disputationes: v. g. *de Marco Aurelio Commodo Antonino*, cujus Auctor H. H. *Meyer* Bremensis, eam defendit 1753 d. 23 Maji; *de Asiarchis*, eorumque munere ac dignitate, cujus auctor *Ryn Rynen*, Haga-Batavus eandem defendit eod. anno d. 13 Junii; de *Caussis superstitionum inter Christianos*, cujus auctor est Gisbertus BONNET, Narda-Batavus d. 3 Octobris; qui ultimus, cum paulo post in S. Ministerii Candidatorum numerum receptus esset, intra paucos dies, ad Ecclesiam *Amersfortianam* verbi divini præco, exemplo memorabili vocatus est.

Edidit quoque sub præsidio Viri Cl. *Joh.* CASTILIONÆI d. 6 Junii disquisitionis philosophicæ specimen, *de Rationis in Philosophia usu & abusu* Abr. Iac. *Dryshout* Daventriensis A. 1753. 4. atque præclara futuri philosophi præludia dedit, quæ ut fausta jubeat esse atque fortunata supremum Numen, veneror.

Prodierunt nuper I. Ge. ALTMANNI Linguæ Græcæ ac Ethicæ in Academia Bernensi Professoris, *Meletemata Philologico Critica*, quibus difficilioribus N. T. locis ex Antiquitate lux affunditur & verus eorundem sensus indigitatur. Accedit *Oratio de illustri inscriptione crucis Christi*, ejusque mysteriis. Ultraj. apud. Nicol. Muntendam 1753. 4.

Hæc Meletemata tribus Tomis distincta, ac variam eruditionem præ se ferentia, videmus recenseri in Bibliotheca Germ. Nova mens. Septemb. anni 1753. à pag. 113—124.

* * *

* * *

Instructio Reverendi Dn. Doctoris LEONIS ALLATII *ad suscipiendum iter in Germaniam, Bibliothecæ Palatinæ causa. a)*

Postquam ad aures Serenissimi Bavariæ Electoris MAXIMILIANI singulare desiderium Rdæ Tuæ Dignitatis, de Pa-

a) Est hæc non ita pridem inserta, *novis relationibus* de *Libris Menorabilibus*, quas Cl. BAUMGARTEN publicat. Tom. III. p: 522—528. unde eam in fugam vacui depromsimus.

Palatina Vaticanæ Bibliothecæ jungenda perlatum eſt, Sanctiſſimo Pontifici ſpem fecit, ſe, ſimulac Urbs capta eſſet, copiam Bibliothecæ ipſi facturum. Cum igitur Urbs Heidelberga à Comite Tilli expugnata ſit, è re judicamus, integram Bibliothecam, pro eâ qua uſus eſt circumſpectione Sanctiſſimus Papa, ullo ſine damno, Romam transportandam: Quippe quæ Sancta Sedes & vera Catholica Eccleſia eſt, ubi ſtudia cum in finem excoluntur, ut maximas iis dignitates & florentem rerum noſtrarum nobis acquiramus ſtatum: Ut adeo & Sereniſſimo Electori & Illuſtriſſimo Bavarico Nomini propria hæc futura ſit gloria, quod tam ſplendidum ſpolium atque nobiliſſimum Trophæum in ejusmodi Orbis Theatro ad perpetuam memoriam condatur. Hanc ob cauſam Sanct. Pontif. in animum ſuum induxit, Rdam Tuam Dignitatem & ad Sereniſſimum Electorem, & ad Comitem Tilli ablegandi, ut Bibliotheca quam fieri poteſt citiſſime huc adducatur. Quanto majorem igitur Sanct. Pont. fiduciam in fide atque induſtria Rdæ. T. D quam Dominus Cardinalis de S. Suſanna R. E. Bibliothecarius commendavit, ponit; Tanto magis, utpote Vaticanæ Bibliothecæ miniſter, Sedi Pontificiæ obſtrictum ſe ſentiet, conceptam de ſe ſpem implendi, omnemque diligentiam adhibendi, ut voluntati Pontificis Summi hac in parte fiat ſatis; cum vel ipſe intelligat, quanti hocce negotium ſit momenti, quantumque incommodi & laboris perferendum ſit, ſi Sancto huic Patri placere velimus.

Commodiſſimam ergo viam propediem ingredietur Rda. T. D. nullamque non adhibebit curam, dictum Sereniſſimum Electorem, cujus ſedes *Monachium* Bavariæ Urbs atque Metropolis eſt, adeundi, atque tradito Brevi a S. P. fidei ipſius concredito, Germanico idiomate eum affandi: ex hoc Brevi abunde ipſum perſpecturum, quam ſe totum Seren. Electori mancipaverit S. Papa, hac cum aſſeveratione, ſibi verba defutura, tantum erga Sereniſſ. Electorem amorem atque Paternum affectum exprimendi. Poſt hæc, literas noſtras ut tradat neceſſe erit, hac lege, ut ne plura neque pauciora, quam iis continentur proponat; Hæ enim prolixè ſatis teſtabuntur, obſervantiam ac amorem noſtrum, quantique Sereniſſimus Elector apud nos fiat, & quod maximæ fortunæ adſcripturus ſim, ſi qua in re mea eidem teſtari queam officia.

Cum vero R T. D. circa abductionem dictæ Bibliothecæ occupabitur, mandato neceſſum erit ut ſit inſtructa a Sereniſſimo

mo ad Comitem Tilli, vel ad alium quendam Ministrorum illius præcipuum, quo tota advehatur Bibliotheca. Adhæc omne subsidium humillime expetendum ipsi erit, ut quanta fieri potest celeritate *Heidelbergâ Monachium*, vel si ita videbitur, ad alium quendam commodiorem locum, atque hinc successive in Italiam, deducatur. Inprimis vero salvum a Serenissimo Electore Conductum desiderabit, partim ob Hæreticos Palatinos, partim etiam suspectos confinium terminos, quippe qui limis adspicient oculis, cum Bibliothecam inde Romam transvehi intelligent. Insuper humillimè quoque Serenissimum Electorem exorabit, ut integro durante itinere, Ipsi currus, quibus Comitis Tilli Exercitus abundat, concedantur, quo tanto celerius ad locum exoptatum perveniat. Præter Salvum Conductum literas quoque Commendatitias a Serenissimo æque ac Ministris illius Principibus expetat, ad ea loca, ubi vel commorandum ipsi erit, vel aliena opera se indigere intelliget.

Neque minus R T. D. necessariam sibi in Aula comparabit notitiam, Viarum, Urbium & Regionum, per quas commodissime iter inire possit, ut prudenti circumspectione omnes qui evenire possunt casus, evitet, deque mediis solicita sit, quæ feliciter ac sine impedimentis hoc itinere ipsam defungi sinunt. Supervacaneum vero foret R. T. D. specialiori & plenaria instruere Geographia, cum Viarum ac Itinerum periti Urbis Monachii meliorem suppeditare poterunt notitiam, quam nos, qui tanto intervallo inde remoti sumus.

Quod ad MSS. dictæ Bibliothecæ attinet, id operam dabit R. T. D ut singula conquirat. Qua in re non parum adjuvabitur, diligenti evolutione Catalogi in Bibliotheca Vaticana latentis. Cæterum non multa de iis verba faciet; quin potius se illarum rerum prorsus ignaram simulabit, eamque adhibebit prudentiam, ne intelligant, illam venisse, in ea, quæ ad nos pertinent inquirendi, cum saltem dono nostra sint: Id quoque aget sedulo, ut Catalogum Bibliothecæ Palatinæ cum nostro conferat, ipsaque insuper Volumina & autores quam citissime, sine jactura temporis perlustret, adeoque, plura ne an pauciora in se contineat, intelligat.

Ad reliqua varia quod pertinet MSS. Sanctissimus Papa serio desiderat, si forte Bullæ, Brevia, literæ, aut id genus alia antiqua æque ac nova ad Pontificiam Sedem spectantia, verbo, cuncta. quae praeter Codices MSS. ibidem reperiuntnr, ut R. T. D. illa sollicite custodiat; Hac tamen lege, ut ad mandata Electoris, Scripta ad Serenissimam Domum Bavaricam pertinentia facilis

cilis rradat: Quanquam creditu facile sit, illa vix adhuc adfutura; sin vero adhuc supersint, magis facient ad ornandum Archivum quam Bibliothecam, quippe cujus desiderio Serenissimus Elector non adeo tenebitur: Quod si autem Scripta & Literas Apostolicas requireret, exorandus erit, ut vel ad describendum vel perpetuo retinendum R. T. Dignitati eorum copiam faciat quæ ipsi in animum vocare poterit, plus utilitatis ac fructus tam in Sedem Pontificiam illiusque ministros, quam universum Literatum Orbem è Prototypo ac Apographo redundaturum, Siquidem hoc ipso & Hæretici & omnes, quotquot perpetuam Romanæ Sedis auctoritatem minuendo frustra hactenus laborarint, in ruborem dari queant. Ad impressos quod attinet libros, Catalogum quoque evolvet, & si ignotos in eo inveniat libros, apud nos non obvios, dignos tamen, quibus Vaticana Bibliotheca augeatur, reliquis eosdem jungere; qui vero in illorum censum non veniunt, aut quorum copia Romæ haberi potest, suo relinquere loco poterit. Enim vero, cum neque de numero Librorum, neque de Summa pecuniæ, qua R. T. D ad transportandam Bibliothecam indiget, constet, certum quid de sumtibus statuere non possumus Quoniam autem ingenti laboramus desiderio, ut Bibliotheca quanta maxima fieri potest cura Monachium Heidelbergâ abducatur, Sanct. Pont. per literas Creditorias ad certos Monachii Mercatores datas mille imperialium summam ipsi destinavit, quorum partem Heidelbergam petens sibi numerari patietur, residuo relicto, ut exigente necessitate eorum, quorum in itinere utitur, operam compensare valeat; aut Heidelbergâ ad alia loca, ubi consultum videbitur, quibusque cum Heidelbergensibus literarum intercedit commercium, cambialibus, quas vocant, literis instructam esse oportebit; id quoque curabit, ut ejusmodi semper gaudeat monetâ, quæ iis in locis, ubi transeundem ipsi est, usu invaluit.

Quando igitur R. T. D. omnibus necessariis rebus instructa, aulæ valedixerit, castra Comitis Tilli colloquendi causa cum ipso, adibit, quem ex aula de cunctis certiorem jam factum fore confidimus: Hærebit is una cum copiis suis vel prope *Manheimium*, vel *Francodaliam*, vel alium haud procul ab *Heidelberga* dissitum locum. Traditis illustrissimo Comiti literis â Serenissimo Electore ad ipsum datis, breve quoque, a Sanct. Pontif. fidei ipsius commissum, una cum mea Epistola iisdem jungat: ex quibus satis superque intelliget benignum Sanctissimi Papæ affectum ut & meum eidem prorsus conformem.

Ad-

Adhæc prolixior erit R. T. D. in explicanda cum veneratione qua universus Orbis, cum benevolentia, qua Sanct. Pont. ipsum complectatur, tum denique debito, quo nomine Religionis Catholicæ nos eidem obstrictos profiteamur, & quanto ipsum prosequamur favore; ob singularem pietatem, humillimamque erga Sanctos Sedis Romanæ Apostolos venerationem. Benedictionem quoque R. T. D. ipsi impertiat & Divinæ commendet Majestati, ob favorem, quem nobis exhibuit. Posthæc in argumentum amoris nostri Sanctorum reliquias, nec non, quas ex dono Pontificis Summi secum habet, literas Indulgentiarum ipsi offerat simul & in animum revocet, quod dona quædam spiritualia à Sanct. Pont. desideraverit, quibus de ubi paulo apertius mentem suam exposuerit, spem ejus benevolo atque paterno, quem erga eum Sanctissimus Papa fovet, affectu alat, meum quoque animum ipsi inserviendi quam cupidissimum exponat. Cum ergo de Bibliotheca sermo instituetur, id R. T. D. curæ esse debet, ut cunctis adjuvetur, quo integra adducatur Bibliotheca, & si ad securitatem ejus facere intelliget, milites quoque qui eam comitentur expetet, ut adeo neque R. T. D. molestiam neque libri damnum patiantur. Quod vero præcipuum est, taciturnitati ut studeat necessum erit, & erga cunctos Bibliothecam tantummodo *Monachium*, minime vero omnium *Romam* abduci simulet. Adhæc Comitem Tilli iterum iterumque rogabit, ut ipsius favore adjuta cistæ & currus conficiantur, atque ita bibliotheca Salvo Conductu munita abducatur, ubi ad id quoque attendendum erit, ne capsæ præ nimia gravitate sibi invicem molestæ sint. Singulæ earum dimidiâ summa, quæ 150 libris absolvitur, impleri possunt, ne bibliotheca cum à mulis per alpes portanda est quicquam damni perpeti possit: Adhæc cistæ picato & cerato linteo obducendæ sunt, ne pluvia eas penetret: Extremitates quoque angulorum ferro firmandæ sunt, ne hinc inde quassando aut concutiendo dissolvantur.

Postquam igitur R. T. D. Heidelbergam pervenerit & justam librorum, cistarum, curruum, viæ, aliorumque ad deductionem necessariarum rerum & expensarum inierit rationem, minimum usque ad *Bononiam*, inde per mulos *Tridentum*, quæ ad Athesin fluvium sita est urbs, transportari & hinc per aquam minoribus sumptibus *Ferraram* aut *Bononiam* abduci curabit. Calculo subducto, de Summa expensarum R. T. D. literis Sanctiss Pont. certiorem faciet, ut, si forte mille thalerorum summa per Creditorias literas transmissa non sufficiat, novas Bono-

no-

noniæ expectare tantoque commodius libros transvehi curare queat. Bononia R. T. D. auctoritate Cardinalis Cajetani adjuta dictam Bibliothecam ope mulorum & comitatus ordinarii Romam deducere poterit, ut adeo sumptus pro transvectione non prius quam Romæ expendere necesse habeat, nisi iis qui Bibliothecam comitantur, aliquid pecuniæ velit prænumerare. Id vero e re R. T. Dignitatis erit, ut accuratam omnium sumptuum, quæ in itinere *Bononiam* usque requiruntur, possideat; hinc vero, quando Monachium progreditur, succesfive notitiam expensarum, quæ pro transportanda bibliotheca desiderantur, & quibus sumtibus *Athesis* fluvius trajiciatur, comparare sibi poterit. De vectigalibus quoque solicita erit, ne si vel maxime ab ea desiderentur, vi Diplomatum, quibus, ut ab omni periculo in itinere secura sit, à Comite Tilli, præcipuis Aulæ Bavaricæ ministris, & Archi-Duce Leopoldo munitam esse oportet, prætterquam quod Publicanis exiguum offerat donum, quicquam exsolvat: Cumque R. T D. *Venetiis* discedet, Nuntium Apostolicum conveniet, qua in re literis ad Nuntium datis adjuvabitur. Quod si consultum ducet R. T. D. à Republica quoque Literas patentes expetere, easque *Tridentum* vel *Oenipontum* transmittere potest. Ad expensas pro transportandis libris quod attinet, id operam dabit R. T. D. ne nimis multæ atque magnæ sint Qua in re non parum fiduciæ in studio ac singulari fide R. T. D. ponimus.


Ad sumtus vero, quæ propriam ejus respiciunt personam, cum modo hac modo illac proficiscendnm ipsi sit, quingentorum Imperalium legamus summam: Probe autem sui ipsius curam habebit, suspectis præsertim in locis: unde etiam è securitate ipsius judicamus, ut breviori incedat vestitu, ne persona ipsius prodatur. quin potius hoc habitu Mercatoris Veneti speciem præ se ferat.

Unum adhuc R, T. D. suppeditamus stratagema; ut scilicet magnam sibi sacrorum nummorum comparet copiam, quos a Sanctis canonizatos esse finget, DN. Comiti Tillio eosdem offerat, eique persuadeat, ut per Sacrorum Ordinum homines, qui curam animarum exercitus gerunt, inter milites distribui curet, adeoque & hos homines, quorum opera ad propositum suum uti potest, sibi devinciat.

Prolixiorem vero R. T. Dignitati suppeditare instructionem minus necessarium judicamus, cum integrum negotium singulari ipsius prudentiæ committamus: Unum idque præcipuum erit, ut cum præcipuis Ministris prudenter agere ac versari sciat, quippe qui cunctis in molestiis auxilio ipsi esse possunt: Adhæc literis nos certiores reddat, qualem institutum ipsius sortiatur eventum. Quod reliquum est, felix R T. Dignitati precamur iter, ut quanta fieri potest celeritate redux facta integram secum afferat Bibliothecam: deque cetero id habeat, Sedi Pontificiæ hoc ipsum fore gratissimum, fidem vero & indefessam ipsius industriam non sine præmiis futuram. Vale; Datum Romæ die 23. Oct. Ao. MDCXXII.

FINIS.

SCRINIUM ANTIQUARIUM.
SIVE
MISCELLANEA GRONINGANA
NOVA
AD *HISTORIAM REFORMATIONIS*
ECCLESIASTICAM PRÆCIPUE
SPECTANTIA
INSERUNTUR
TRACTATUS VARII GENERIS.
EPISTOLÆ. ORATIONES.
BIOGRAPHIÆ. ETSIM.
SIVE
NUNQUAM ANTEA EDITÆ,
SIVE
ITA FACTÆ RARIORES UT PRO
INEDITIS HABERI
POSSINT.
TOMI IV. PARS II.
cum Indicibus in Tomos quatuor.



GRONINGÆ & BREMÆ

Apud CORN. BARLINKHOF
& G. W. RUMP. } Bibliopolas.
A. 1755.

CONTINENTUR

HOC FASCICULO.

Num. I.

Num. I.

REGINALDI GONSALVI
RELATIO
De MARTYRIBUS
Protestantium in Hispania.

Quanta fuerit Evangelii temporibus Reformationis feliciſſimè renati vis & efficacia, non melius fere quam a piis Confeſſoribus atque iis, qui ingenti copia, confeſſionis conſtantiâ id meruerunt ut inter Martyres referrentur, addiſcitur. Quantus verò in *Belgio* noſtro fuerit Martyrum numerus, vel ex ſola illa *Balei* CARFENNÆ oratione, quam nuper admodum huic *Scrinio* noſtro inſeruimus, colligitur, ubi inter alia refert, pag. 235. „ intra Belgium ſpatio quinquaginta annorum trucidatos „ fuiſſe ob ſolam Evangelii profeſſionem, haud pau- „ ciores quam centum mille homines. conf. *Hiſtor. noſtr. Reform. Belg.* §. XLIX. pag. 160. ſeq. Quanta verò etiam in ipſa *Hiſpania* fuerit iisdem temporibus cumprimis ab A. 1550 ad A. 1560. multitudo eorum qui propenſi erant ad Religionem Proteſtantium amplectendam, colligi poteſt ex *Ludovici à* PARAMO, Boroxenſis, Archidiaconi & Canonici Legionenſis, regnique Siciliæ Inquiſitoris, in Libris *de Origine officio & progreſſu S. Inquiſitionis*, teſtimonio; quando, *Niſi enim*, inquit *Doctoribus illis hac religione imbutis magna cura Inquiſitores obſtitiſſent, religio iſta haud dubie vehementis inſtar flammæ totam pervagata fuiſſet Hiſpaniam; Etenim populus omnis loci, ſexus, ordinis & dignitatis mirifico in eam ferebatur amore ac ſtudio.*

Quibus ex verbis simul cognoscitur, quam non habuerit unquam Religio emendata, adversarium magis infestum quam Inquisitionem *a)* illam Hispanicam sacerrimam.

Enimverò, cum perpauca admodum huc spectantia monumenta ad nostram ætatem pervenerint, sintque ea, quæ quidem à Doctissimo Anglo, *Michaële* GEDDESIO in ejus Miscellaneis Tomo I. p. 445-474. brevi compendio relata leguntur, nimium levia, atque superficiariè saltim collecta, tametsi Cel. MOSHEMIUS ea quoque digna judicaverit ut in idioma Latinum transferrentur, atque subjicerentur ejus Volumini I. Dissertationum ad Hist. Eccles. pertinentium à pag. 678-697. operæ pretium judicavimus uberiorem harum rerum ad *Historiam Reformationis Hispanicæ* pertinentium nobis acquirere notitiam, eamque cum Lectoribus nostris Historiophilis communicare, atque huic *Scrinio* nostro *Antiquario* ad conservandam earum memoriam inserere:

Atque hic opportunè admodum nobis in manus venit *Reginaldi* GONSALVI, Hispani *b)* Liber, qui singularem raritatis notam habet, sub titulo *Sanctæ Inquisitionis Hispanicæ artes aliquod detectæ, ac palam traductæ* &c. Heidelb. 1567. 8. Ei enim Appendicis vice sunt subjuncta, Piorum quorundam Martyrum Christi, (apud Hi-

a) Conf. *Hist. Reform. Belg.* §. LXIV. p. 215. 216.

b) Hunc *Reginaldum Gonsalvum Montanum* Scriptorem Hispanum, Dominicani Ordinis Monachum primò, deinceps sacrorum Evangelicorum asseclam & confessorem, nobis describit Doctiss. LIMBURG in *Præf. ad Hist. Inquisitionis.* Fuit enim is Confessionis Reformatæ, atque ex illorum numero unus, qui circa obitum Caroli V. in Urbe Hispalensi, detectis in Ecclesia Romana erroribus gravissimis, ac superstitionibus, Ecclesiam Deum purius colentium instituerunt, sed quæ sævissima illa Inquisitione, cujus *Actus fidei* A. 1559. Hispali & Pinciæ habiti sunt, dissipata est. Conf. *Florileg. libr. rar.* p. 113.

Hispanos) Elogia, qui, cum mortis supplicium ob fidei confessionem Christiana constantia tulerint, Inquisitores eos suis artibus perfidiæ ac defectionis infamarunt.

Hæc piorum Martyrum Elogia, tanquam authenticam quandam Relationem de *Martyribus quibusdam Protestantium in Hispania a)*, inde decerpere, atque iis nostrum hoc exornare Scrinium volupe fuit, tanto lubentius, quod ita eandem illam quam GEDDESIUS l. c. egit causam, agamus, sed luculentius, quodque ita eum quem brevis collectio GEDDESIANA, habebat defectum, supplere queamus, addendo scilicet ipsi relationi auctoritatem, atque domesticum idque coævum ipsius hujus Gonsalvi nostri testimonium.

Notari autem meretur, eadem hæc Elogia, sed ex Gonsalvo depromta, *Joachimi* URSINI *b)* libro itidem rariori, cui tit. *Hispanicæ Inquisitionis & carnificinæ secretiora* Amberg. 1611. 8. esse inserta, ubi cap. XIV. &sq. p. 172 &sq.—— 270. ea leguntur.

De reliquo, ne quis *Gonsalvi* nostri in his recensendis vel fidem labefactet, vel refugiat auctoritatem, efficiet gravissimus Historicus J. A. THUANUS qui Historiar. Lib. XXIII. cap. XIV. ad Ann. 1559. pag m. 787 brevi compendio omnem hanc causam *Gonsalvi Montani* auctoritate nixus, nobis enarrat, pericopa notabili, & in quam *Gonsalvi* illa relatio, quam exhibemus, jam commentarii vicem præstabit :

Sic enim THUANUS l. c. de Philippo II. è Belgio in Hispaniam redeunte : ,, Statim enim, inquit, atque ,, in Hispaniam venit à Sectariorum castigatione ini-

a) Legitur ea in libr. cit. p. 173—297

b) Sub eo nomine quod delitescat, *Joach. Beringer*, Scholæ Ambergensis Conrector & Ecclesiæ Pastor, Reformatæ religioni addictus, atque circa Ann. 1610—1620. florens, nos edocuit Doctiss. FEURLINUS Theologus Gottinganus in Biblioth. Miscell. Hamburgensi Tom. III. part. I. pag. 1—16.

„ tium fecit; & cum anteà finguli, aut plures, ut cafus
„ tulerat, ob pravas de religione opiniones poft con-
„ demnationem mox carnifici traderentur, in ejus ad-
„ ventum fervati paffim tota Hifpania damnati, & *Hi-*
„ *fpalim* ac *Pinciam* deducti funt, quibus locis theatrali
„ pompa ad fupplicium producerentur. Primus actus
„ *Hifpali* celebratus fuit VIII. calend. Octobr. in eoque
„ ante alios quafi in triumphum ex Trianâ arce eductus
„ Joannes *Pontius* Legionenfis, Roderici Pontii Baile-
„ lenii Comitis filius, ifque pro hæretico Lutherano
„ pertinaci (fub hoc enim elogio ducebatur) combuftus
„ eft Huic ut vitæ, fic & mortis focius additus Joan-
„ nes *Gonfalvus* concionator, quem fecutæ funt Ifabella
„ *Vænia*, Maria *Viroëfia*, *Cornelia*, & *Boborquia*: ple-
„ num inde mifericordiæ, inde invidiæ fpectaculum,
„ ex eo auctæ, quod Bohorquia cæteris ætate minor
„ (vix enim vigefimum annum attigerat) fumma con-
„ ftantia mortem fubiit Quod autem Væniæ ædes cœ-
„ tibus ad facras faciendas preces patuiffent hæreticis,
„ eadem, qua illa damnata eft, fententia à fundamentis
„ dirui juffæ funt. Poft eas productus *Ferdinandus à*
„ *Fano Joannis*, & *Julianus Ferdinandus*, ob corporis
„ exiguitatem vulgo Parvus dictus, & *Joannes Legio-*
„ *nenfis*, qui primo fartoriam Mexici in nova Hifpania
„ exercuerat, dein in B. Ifidori collegium cooptatus, in
„ quo fodales puriori doctrinæ ut illi jactabant, in oc-
„ culto ftudebant. Auxit & eorum numerum *Francifca*
„ *Chauefia* ex B. Elifabethæ cœnobio virgo Deo dicata,
„ quæ à Joanne Ægidio concionatore Hifpalenfi, de
„ quo mox dicemus, inftructa, eandem pœnam magna
„ etiam conftantia pertulit. Ex eadem fchola prodiit
„ *Chriftophorus* etiam *Lofada* Medicus, & *Chriftopho-*
„ *rus Arellanus* ejufdem B. Ifidori cœnobii monachus,
„ ac tandem *Garfias Arias*, qui primus in illud Ifidori
„ fodalitium ejufdem religionis fcintillas intulit, affiduis
„ fuis


„ suis monitis ac concionibus, ex quibus ingens ille ro-
„ gus accensus est, & cœnobium ipsum ac bona pars
„ urbis opulentissimæ pœne conflagravit. Is raræ eru-
„ ditionis vir, sed parum constantis sibi ingenii, ple-
„ rumque nutabat, & quæ suis persuaserat ac præscri-
„ pserat, cum ex eo illis ab Inquisitoribus periculum
„ creabatur, ipse acutus in disputando disceptator re-
„ fellebat & evertebat: his artibus cum multos in erro-
„ rem inductos manifesto periculo objecisset, se vero
„ detestando fidei violatæ piaculo obligasset, à *Joanne*
„ *Ægidio*, *Constantino Pontio*, & *Varquio* aliquando
„ monitus, quod parum sincere in amicorum atque adeo
„ idem cum ipso sentientium causa versaretur; ille præ-
„ videre se respondit, brevi fore ut tauros in sublime
„ spectaculum productos cernere cogerentur: Inquisi-
„ torum theatrum hoc sermone significans. Ad quæ
„ verba retulit Constantinus; si ita Deo placeret, non
„ eum è sublimi ludos despecturum, sed ipsum in arena
„ futurum. Nec Constantini augurio eventus defuit:
„ nam *Arias* mox postulatus est, & sive senectute sua
„ audacior, sive repentina mutatione ex meticuloso,
„ qui hactenus fuerat, jam fortior effectus, inexspectata
„ constantia inquisitorii tribunalis Assessores acerbissimis
„ verbis objurgavit, aptiores esse asserens, qui vili aga-
„ sonum munere fungerentur, quam qui fidei, quam
„ turpiter ignorabant, censuram impudenter sibi sume-
„ rent: præterea vehementer dolere testabatur, quod
„ veritatem, quam tunc tueri se ajebat, sciens ac volens
„ adversus pios illius defensores sæpe coram ipsis oppu-
„ gnasset; quam pœnitentiam, quamdiu in vivis esset,
„ ex animo nunquam deponeret. Ita in triumphum du-
„ ctus, ac vivus flammis ustulatus, Constantini augurium
„ firmavit. Restabant ii, quos diximus, *Ægidius* &
„ *Constantinus*, scenæ choragi, qui ultimum pompæ
„ agmen clauderent: Verum utrumque mors anticipa-

„ ta vivum ſpectaculo invidit: ſiquidem ille ob eximi-
„ am pietatis & eruditionis opinionem, cum à Cæſare
„ Philippi parente Epiſcopus Droſſenſis eſſet deſignatus,
„ poſtea poſtulatus eſt, & recantato, ſeu aſtu ſeu hor-
„ tatu Dominici à Soto publice errore, concionandi
„ munere ac ſacris ad tempus interdictus eſt, & aliquanto
„ tempore ante actum illum obiit. Sed cum Inquiſi-
„ tores mitius cum illo actum putarent, cadaver in jus
„ vocant, & mortuum ad mortem damnant, eumque
„ tanquam ex machina excitatum ad ſpectaculum ſiſtunt
„ ſtraminea effigie. Conſtantinus vero, qui à ſacris
„ confeſſionibus diu Cæſari, eique in ſolitudine ſua
„ poſt imperii ac regnorum abdicationem, ac poſtremo
„ animam agenti, ſemper præſto fuerat, ad idem mox
„ tribunal raptus in tetro carcere paulo ante exſpira-
„ verat: ſed ne theatrum Conſtantino careret, ejus
„ quaſi concionantis effigies circumducta eſt: atque ita
„ terribile per ſe ſpectaculum, quod primo pleriſque
„ aſtantium lacrimas excuſſerat, larvis his in ſcenam
„ productis, riſum multis, ac poſtremo indignationem
„ movit. Eadem ſeveritate poſtea *Pinciæ* Octobri in-
„ ſequente cum aliis ejuſdem criminis damnatis actum
„ eſt, ubi, ſpectante ipſo Philippo rege, *viginti octo*
„ ex præcipua regionis nobilitate palis alllgati ac cre-
„ mati ſunt. Hucusque Thuanus.

Ceterum, cum quædam generaliora inſtar *Præfationis* cujuſdam huic ſuæ Relationi præmiſerit GONSALVUS, ea quoque, tanquam Præfationis formam haberent, hic præmittere voluimus.

Tu verò B. L. lege & judica, Deum verò Opt. Max. ſupplicibus venerare ſuſpiriis, ne unquam vel unquam Diabolicas ejusmodi artes veritatem eliminandi ac genus humanum excarnificandi, permittat reduci in orbem Reformatum, ac ſubmiſſas ei gratias age, quod ab hoc hominum, quos Inquiſitores vocant, carcinomate, tan-
dem

dem ante hæc duo fere ſecula liberum præſtiterit Belgium noſtrum fortunatum.



PRÆFATIO.

Apponere hoc in loco viſum eſt Inquiſitoriarum artium exempla quædam, in quibus, licet veluti in acervo quodam nulloque ordine tumultuarie conjectis, inſpicere licebit dilucidius Inquiſitorias artes, utpote in ipſo uſu atque exercitio, eorum etiam tum immanitas, tum avaritia inexplebilis, tum iniquitas, jurisque omnis perverſio veluti in tabulis, ſuis coloribus depictæ & in ſublimi defixæ apud eos, qui illas intuiti fuerint, commodius pro merito traducentur.

Adde etiam, quod vel in eorum gratiam, qui propter Evangelium Chriſti & exploſam ejuratamque impietatis doctrinam eisdem artibus circumventi, Patrum ſcilicet fidei ſævæ prædæ patuerunt, Eccleſiæ intereſſe puto, ejusmodi exempla ab oblivione interituque vindicare. Aperiat igitur jam demum oculos Chriſtianus orbis, & hoſce ſævos lupos, leones, dracones, viperarum proles, quos pro cæleſtibus quibusdam numinibus in ſævitiæ ac immanitatis ſuæ mercedem tanto cum Reipublicæ Chriſtianæ malo, hactenus adoravit, detracta pietatis ac ſanctimoniæ larva, qua tantopere commendabantur, & agnoſcat, & e ſuis finibus exterminet.

Ceterum, quæ hic exempla recenſentur, unius modo ex Inquiſitoriis tribunalibus, nempe *Hiſpalenſis*, ſunt, cujus ſolius myſteria cognoſcere, & majori ex parte in ſe ipſis experiri, traductoribus eſt datum. Jam ex hoc tantum ſpecimine conjectura haud infirma ducta, divi-

nare

nare quis poterit, quanta ac qualia illa fuerint, quæ in tot *Hispaniæ* totius inquisitoriis tribunalibus ejusmodi exempla perpetrantur. Neque ea, quæ cum hic, tum per superiora commentaria dispersa exempla reposuimus. ex longo recollecta tempore existimandum est.

Edita enim ea omnia sunt eodem planè tempore intra sex aut septem annos, cum primum in Lutheranos in Hispania, *Hispali* præsertim ac *Valleoleti* in magno numero repente atque ex improviso erumpentes animadverti cœptum est. Id vero fuit anno *Quinquagesimo septimo* aut *octavo* a parta per Christum salute *supra sesqui millesimum*, ad annum *sexagesimum quartum*.

In Inquisitione Hispalensi captus fuit ob Religionem eo tempore Anglus quidam *Nicolaus* BURTONUS, *) vir inprimis pius, quem postea in fidei Confessione & ejuratione impietatis immobiliter perseverantem combusserunt. Hujus, quum primum captus est, bonis omnibus ac mercibus, quarum causa in Hispaniam venerat, in Sequestri rationes, pro more Inquisitorio, redactis, inter ea quæ ipsius erant, multas quoque opes mercium involverant, quæ ipsi ab alio Anglo mercatore Londini agente, pro more mercatorum, Factoris nomine, ut dicunt, fuerant commendata. Is accepta Londini factoris sui ac mercium suarum captivitate, procuratorem cum tabulis in Hispaniam misit, repetitum res suas. Igitur procurator Hispalim appulsus, tabulis ac scriptis omnibus apud Sanctum tribunal repræsentatis, petit illarum mercium sibi fieri potestatem.

Respondent Domini, ut scripto agat, & Advocatum deligat, (haud dubie protrahendæ litis gratia) atque illi ipsi humanitati scilicet consulentes, ei quendam designarunt, qui supplices libellos ac scripta omnia, quæ in Sancto tribunali offerenda forent, illi conficiebat, pro singulis scriptis octo realibus avare exactis, licet tan-

* Conf. GEDDES Matyrol. ex edit. Moshemii. p. 678.

tantundem illi commodi, ac si nulla forent, scripta ea præstitissent. Aderat hic homo per totos tres aut quatuor menses singulis diebus bis, mane videlicet, & à prandio, ad fores Inquisitoriæ arcis petens ac obsecrans genibus ad terram flexis Dominos Inquisitores, ut expediretur, præsertim vero Dominum Episcopum Tarraconensem, qui primarii Inquisitoris loco Hispali tunc erat, ut is, pro primaria sua authoritate, juberet res suas sibi restitui. Præda vero erat ingens ac opima, recuperatuque proinde difficilis.

Post quatuor demum totos menses in precibus ac inanibus obsecrationibus insumptos responsum tandem accipit, scriptis quibusdam, eis, quæ antea attulisset, amplioribus, ex Anglia allatis, ut rerum sibi fieret potestas, esse opus. Proficiscitur continuo Anglus Londinum, & allatis secum, quas desideraverant, amplioris fidei tabulis, Hispalim redit, eisque in Sancto tribunali repræsentatis, Domini responsum differunt, graviores occupationes, quibus tum distinerentur, causantes. Eodem responso singulis diebus repetito hominem detinuerunt totos alios quatuor menses. Exhausto jam pecunia Anglo, & expediri adhuc instanter supplicanti, rem ipsam ad Episcopum rejiciebant: consultus Episcopus, se unum tantum esse, rem vero ad alios Inquisitores quoque, ut expediretur, pertinere ajebat: atque ea arte ab aliis in alios relata culpa, nullus apparebat liti finis. Tandem die quadam expedire hominem, ipsius victi importunitate, decreverunt. Expeditio verò fuit, Licentiatus Gascus, unus ex Inquisitoribus, homo Inquisitoriis fraudibus apprime strenuus, jubet eum à prandio adesse. Ejusmodi nuntio lætus Anglus, de restituendis sibi rebus suis, deque se ad vinctum putandarum rationum causa introducendo, quemadmodum ab ipsis Inquisitoribus, licet non benè intellectus, scilicet opus fore, ut vinctum ipsum conveniret, sæpe

audierat, eos jam ſerio cogitare credens, ad veſperam rediit. Reverſum mandant Cuſtodi carceris, ut in quodam carcere, quem illi nominarunt, recludat. Anglus ad conferendas rationes cum alio ſe introduci primum credens, haud multo poſt vinctum ſe atque in tenebroſo ergaſtulo, præter ſuam expectationem deprehendens, intellexit demum, aliter rem habere, quam ipſe cogitarat. Poſt tres aut quatuor dies educunt eum in audientiam & quando juxta ipſorum artes haud malè id quadraret, res ſuas ab Inquiſitoribus repetente Anglo, abſque ulla alia præfatione, *Ave Maria* recitare eum jubent. Recitat ille ſimpliciter in hunc modum, *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus Fructus ventris tui Jeſus, Amen.* Excipiuntur ſcripto omnia, & de repetundis rebus omni ſermone omiſſo, neque enim opus erat, jubent eum in carcerem ſuum reduci, & actionem adverſus eum, ut hæreticum, inſtituunt, qui juxta Romanæ Eccleſiæ morem Ave Maria non recitaret, quin potius in ſuſpecto loco eam finiret, deberet enim addere, *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus.* Qua præciſa cauda Divorum interceſſionem non probare, haud obſcure videretur: atque ita demum, juſta occaſione inventa, manſit captivus per complures dies. Eductus poſtea fuit in triumphum paludatus, fortunis omnibus, pro quibus, licet non ſuis, utique certabatur, exutus, & inſuper ad annuum carcerem damnatus. Nomen illi erat *Johanni Phrontomo, a)* civi Briſtolenſi.

Inter proſcriptorum bona, aliorum quoque opes confiſcare, Sancto tribunali neque novum eſt neque non frequenter uſitatum. Ut enim fieri poſſet, ut, ſi importunis allegationibus ullus concederetur locus, nonnullis fraudulentis adductis teſtimoniis, bona ſua, quæ ali-

a) GEDDESIUS l. c. pag. 456. & apud *Moshem.* p. 679. eum *Framptonum* appellat.

aliorum esse comprobarent, è Fisco eriperent, Sanctum tribunal ejusmodi contentiones vitare, neque ejusmodi fraudibus ullum locum relinqui cupiens, inferre illi injuriam, quam ferre, sibi tutius fore ducit. Paucis ab hinc annis venit *Hispalim* mercator quidam advena prædives, cujus bona ob religionem fuerunt postea Inquisitorio Fisco adjudicata. Inter ea bona proscripta quoque fuit navis spectatæ pulchritudinis, qua meliorem opinione omnium Bethis antea nunquam viderat. Probavit homo legitimis testimoniis, navem illam ad se non pertinere: neque id obstitit, quin rationes, quibus sibi illam adjudicaret, in suis artibus Sanctum tribunal adinvenerit. Mercatori erat nomen *Rebukino.*

In eadem Inquisitione *Hispalensi* animadversum est censura Inquisitoria, citra mortis supplicium, in pium quendam civem, Religionis ergô. Inter alias mulctæ partes, bonorum omnium ac proventuum, ex quibus honeste satis antea vivebat, proscriptionem tulit, utque in quodam privato carcere ad decennium, fortunis omnibus exutus, recluderetur. Exactis in eo carcere diebus aliquot, in quo in summa paupertate ex piis hominibus collecta stipe sustentabatur homo alias minime sordidus, Notarius quidam Inquisitorius eum adiit, mandatum ex scripto adferens Sancti tribunalis, quo centum & triginta ducatorum summam expensarum ac victus nomine, dum in arce Inquisitoria fuerat, numerare jubebatur. Respondit ad mandatum, id quod erat verum, nempe expilatis ab eisdem ipsis fidei patribus ac direptis ex integro bonis suis omnibus, unde eam pecuniam solveret, nihil sibi fuisse reliquum. Responsum hoc Dominis haud fecit satis, ac Notarium secundo mittunt jubentes, ut intra paucorum dierum spatium. quod assignarunt, pecuniam illam solveret, alioqui futurum, ut ex privato illo carcere eductus in publicum civitatis carcerem deduceretur, ibique deti-

neretur, quousque numeraret. Improvidi videlicet homines relaturi in Fiscum hominis bona omnia, sibi ipsis antea pro expensis satisfacere non adverterunt

Ceperunt eodem fere tempore in eadem *Hispalensi* Inquisitione nobilem quandam fœminam *Joannam* BOHORQUIAM, uxorem *Francisci Varquii* viri in primis clari ac Higueræ Domini, filiam verò *Petri Garsiæ Xeresii* Hispalensis civis opulentissimi. Captivitatis causa fuit, quod soror ipsius *Maria* BOHORQUIA spectatæ pietatis virgo, quam postea ob piam confessionem igni tradiderunt, in tormentis declarasset, se aliquoties cum sorore sua de ea doctrina contulisse.

Quum illam in carcerem conjecerunt, gerebat uterum semestrem ferme, qua de causa neque adeo arcte eam recluserunt, neque cum ipsa agebant ea sævitia, qua cum aliis vinctis solent, fœtui nimirum consulentes. Octavo à partu die fœtum illi auferunt, quinto decimo vero eam recludunt, eandemque cum aliis vinctis omnibus conditionem cogunt experiri, ac causa ipsius, quo rigore, quibusque solent artibus, agitari cœpta. In tanta calamitate id tantum solatii afflictæ contigit, quod virgo quædam valde pia, quam ob pietatem postea inquisitorius quoque ignis absumpsit, tetri illius carceris sorte data est comes.

Eam puellam ad torturam quadam die eductam, atque in carcerem à torturis reductam, adeo quassatam, omnibusque membrorum compagibus dissolutam, ut in junceo lectulo ad laborem potius, quam ad quietem utrique concesso, vix ac nisi magno cum cruciatu volveretur, summa animi pietate, quando externis officiis nullus aut certe perexiguus ibi erat locus, prosequuta est. Vix ista cæperat à torturæ quassatione convalescere, quum ad eundem ludum illa educitur, ibi tanta atrocitate in Burro torquetur, ut chordis ad ipsas brachiorum, femorum, ac crurum tibias usque penetrantibus,

car-

carceri moribunda restitueretur, sanguine per os affatim è vestigio erumpente, disruptis haud dubie visceribus, octavo demum à tortura die ex immanium illorum leonum unguibus ereptam Deus in æternam quietem ad se recepit. Laborarunt certe ipsi, ne hanc tenellam heroinam in tormentis, eos adeo crudeliter necavisse, ad vulgi aures perveniret, at qui conspexerunt eam crudelitatem, tacere non potuerunt. Si aut strix, aut venefica, aut mariti liberorumve parricida hæc fœmina fuisset ad flagitiorum confessionem ex ipsius ore exprimendam secularis, quem vocant, magistratus ejusmodi tortura expertus esset, cum functionis suæ ratio pro more illi reddenda foret, haud abiret illi impune, ejusmodi sævæ atque intemperatæ torturæ eum quoquam postulante. Ceterum à Sancto tribunali non exiguntur ejusmodi rationes, & licet ipsi in tormentis necare impune, vel eos ipsos, de quorum innocentia, testimonium fert post exactiorem causæ cognitionem: ut in hujus honestissimæ fœminæ facto accidit. Quùm enim ad eam condemnandam sufficientia eos testimonia, licet omnibus Inquisitoriis artibus conquisita ac procurata, defecissent, quando accusata eo nota foret loco, ut negotii ipsius apud plebem esset omninò aliqua reddenda ratio, neque res ullo modo dissimulari posset, in primo triumphi actu, qui ab ipsius morte fuit indictus, sententiam suam pronunciari jubent in hæc verba: „ Quoniam hæc Domina in carcere obierit, „ (suppressis haud dubiè causis) & ejus causa inspecta ac „ diligenter examinata, innocens fuerit deprehensa, id „ circò Sanctum tribunal eam ab omnibus gravaminibus „ per Fiscalem illi intentatis pronuntiare liberam, litem- „ que prorsus absolutam in sua tum innocentia tum exi- „ stimatione restituere, jubereque bona ipsius omnia, „ quæ in Sequestri rationes venerant, eis restitui, ad „ quos ex jure pertinerent.

Ac ita demum postquam eam in tormentis belluina truculentia necaverunt, liberam pronunciarunt. Ejusmodi barbararum immanitatum rationem Deus ipse aliquando exiget, quando ea authoritate in terra defenduntur, quam ad eas severè ulciscendas instituerat.

Anno Christi 1563. Sanctum tribunal rete suum in sinum quendam expandere meditatum est, unde, nisi meliore, aut deteriore postea consilio capturam remittere statuisset, eam imprudens cladem Romanis agris inferret, qua nulli hactenus Lutheri graviorem fortè vel imprudentes intulerunt. Res sic habet: Fuêre nonnulli, curiosiores fortasse, quam Romanis rebus expediret, qui de Monachorum ac clericorum turba acerbè querebantur, quod ad ciendos cum fœminis amores solicitandamque honestarum matronarum, virginumque pudicitiam, remedio, ut fertur, jam olim usitato, auriculari confessione abuterentur; Res sancto tribunali visa est consultatione ac remedio digna. Cæterum quod negotium esset cœcum (neque enim quiquam erant, veluti in communi ac vulgato malo, nominatim delati) publico edicto, quod per omnes Archiepiscopatus Hispalensis ecclesias solenniter fuit publicatum, decernunt, ut quicunque scivissent, audivissentve de quibuscunque monachis aut clericis, qui ad ejusmodi flagitia, confessionis sacramento abusi essent, aut aliâs ex confessoribus quempiam cum filia aut filiabus Confessionis ejusmodi mala negotia quoquo modo agitassent, eum intra triginta dierum spatium Sancto tribunali indicarent. Censuræ quoque in negligentes, contemptoresve quam gravissimæ adhibitæ

Publicato decreto, adeò ingens mulierum turba ex una Hispalensi civitate indicatum pessimos confessores in arcem Inquisitoriam accurrebat, ut vel viginti scribæ cum totidem Inquisitoribus excipiendis indicum depositionibus non sufficerent. Itaque negotiorum mul-

multitudine penè obruti Domini Inquisitores, triginta alios dies inducibus assignarunt, neque tantulo temporis spatio adhuc sufficiente, tandundem tertiò, quartoque induciarum constituere coacti sunt. Plerisque enim honestis matronis atque sublimioris conditionis aliis ex censurarum atque excommunicationis superstitione, hinc urgente conscientia, indè virorum, quos sinistra quapiam pudicitiæ suspicione offendere verebantur, respectu, eas domi continente, quodvis tempus ad conveniendos Inquisitores haud censebatur opportunum, quare & velatis Bethico more vultibus, & quoad poterant, occultissimè Dominos adibant.

Haud paucæ, quæ in illo Patefactionis tempore virorum in observando diligentiam prudentia sua astuve superare nequiverunt, amaræ Zelotypiæ aculeos ipsorum animis infixêre. Ex alia parte perjucundum erat spectaculum, monachorum & clericorum demissis vultibus cogitabundè ac melancholicè ex malè sana conscientia incedentium, atque horis omnibus expectantium tremebundi ac conterriti, quando quispiam ex Inquisitoriis familiaribus eis manus injiceret: neque latum unguem aberat, quin plerique ipsorum, neque abs re, existimarent, turbulentiorem in ipsos tempestatem ortum iri, quam quæ in Lutheranos per idem quoque tempus grassaretur. Verum Sanctum tribunal re ipsa edoctum, non modò sibi ipsi, verum etiam universæ Ecclesiæ Romanæ factioni periculosissima ea consilia esse, unumque illum conatum, si ultrà progrederetur, ut minimum, satis fore ad summam atque insanabilem invidiam ecclesiastico ordini conciliandam, inprimis verò auricularis Confessionis authoritatem, quæ alioqui ex plumbeis aciculis jam modò pendere videatur, ex hominium existimatione prorsus abolendam, etsi negotium, si quod alias, Inquisitoria tum Inquisitione, tum animadversione foret satis dignum: tem-

tempeſtive ac præter omnium expectationem retulit pedem, ſepultis etiam & æternæ oblivioni mandatis illis flagitiorum acervis, qui ex legitimis indiciis jam conſtabant. Fama fert, clericorum aut monachorum nomen communi opera ingenti pecuniæ vi Papæ nares emunxiſſe, ut bono eo odore demulſus univerſo Confeſſorum ordini diploma concederet, quo omnia illorum hac in parte errata ex paterna pietate remitterentur, præcipereturque Inquiſitoribus, ut ab incepto deſiſterent, & quæ acta erant, æterno ſilentio premerentur, neque in hominum conſpectum ultra prodirent. Cæterum, Inquiſitoriarum rerum peritis hoc non videtur veriſimile. Etſi enim illud Papa concederet, tamen Sanctum tribunal ejus eſſe poteſtatis ut, cum quicquam ſeriæ rei perficiendum ſuſcipiat, vel ipſius Papæ authoritate oppoſita, ab incœpto deſiſtere non ſoleat. Frequentiore in uſu eſſe, ut Papæ authoritati illud opponatur, atque adverſus eum obtineat, quod in ſequenti exemplo jam apparebit.

Læſerat biennio antea per eandem propemodum imprudentiam, Sancti tribunalis naſſam Romanus Pontifex, Jubilæi, quod Pleniſſimum ipſi vocant, diplomate in Chriſtiani orbis ſalutem, cui ſcilicet Chriſtus minus abundè proſpexiſſet, divulgato. Præter ingentes alios indulgentiarum ac expiationum acervos, tactis quoque Lutherana labe eo diplomate conſulebatur: adeò vel ex ipſo Evangelio, reti quæſtuoſam ſibi naſſam novit facere ingenioſus artifex, & telum, quod in ipſius perniciem Chriſtus vulgare orbi hac tempeſtate fecit, quum vitare vulnus nequeat, vel in ſuum lucrum convertere non deſperat. Diplomatis verba erant, „ Ut quicunque Lutheranis dogmatis ac opinio„ nibus quoquo modo adhæſiſſent, reſipiſcentes à furo„ re ſcilicet, per quemcunque Confeſſorem ab ea labe „ abſolvi poſſent.

Aſtu

Astutum certè & antiqui serpentis consilium, maxima rerum ea de causa perturbatione in *Hispania* ac inprimis *Hispali*, urbe omnium Hispaniæ longè celeberrima per illud tempus animadversa, & quòd peccante multitudine, & inprimis ad defectionem adjiciente animum, facilius minusque periculosè regnum in officio retinetur, simulatione quadam universalis clementiæ, quàm severa ac pertinaci vindicta. Desiderari hîc tantùm poterat Sancti tribunalis incolumitas, cujus haud magnam rationem Pontifex videretur habuisse. Verùm illud, hoc diplomatis articulo, quo universa illa ingens præda è manibus ipsi haud dubiè eripiebatur, vehementer offensum, damnata illa intempestiva Pontificis clementia, ei absque ullo pudore sese opposuit, ac summota omni rei controversia pro imperio præcipit, „ ne illud Jubileum reciperetur, nève „ publicaretur, quòd sancto tribunali præjudicaret: quare neque receptum neque publicarum fuit Videre hic licebat Satanam adversum se ipsum divisum. Haud obscuré hinc apparet, Pontificis Romani obedientiam, quam probi isti Domini igni & sanguine alioqui vindicant, ut fidei articulum, cereum nasum illis re vera esse, quem quaquaversum lubeat, contorquent: eisque pro laqueo & reti, quo homines capiant, haberi potius, quam pro fidei articulo, ex cujus observatione ipsi salutem sperent.

Cujusque tyrannidis proprium est clementiam inprimis justitiamque odisse, una verò crudelitate atque sævitia niti, vel cum summo odio timeri affectantis, quando alia æquiore ratione consistere se non posse videt. Ita ille dicere erat solitus, *Oderint, dum metuant*. Si quis animadvertat, nullam fuisse hactenus tyrannidem, deprehendet, quæ hanc legem Sancto tribunali pertinacius magisque tyrannicè observaverit, affectata quadam tum iniquitate, túm sævitia unum

terrorem incutiente, adeò ut ea ſententia nihil magis ſibi in votis videatur, Oderint, dum metuant, res adeò leviculas, ut vix ullam reprehenſionum mererentur, ſeveriſſimis atque modum omnem excedentibus caſtigando pœnis: id quod exemplis ſubſequentibus comprobatur.

Epiſcopus *Tarraconenſis Hiſpali* Inquiſitor primarius, Eccleſiæ tùm rebus ejusmodi lætis, deambulationes gentique indulgentias exigentibus, æſtate quadam ad amœnos Bethicæ ripæ hortos animi gratiâ cum univerſo Inquiſitorio ſatellitio atque epiſcopali ſcilicet apparatu pro conſueto ſibi more eſt egreſſus. Ad ſtagni crepidinem ejus horti, in quo Dominus Epiſcopus tum voluptati indulgebat, ſedebat fortè ludibundus hortulani filius bimus aut fortè trimus. Unus ex pueris Domini Inquiſitoris extorta é manu filioli hortulani arundine, qua ludebat, ploratus ei excitavit. Hortulanus audito plorante filio mox adeſt, & cauſa puerilium lachrymarum intellectâ, ſuccenſet Inquiſitorio famulo, petitque arundinem puero reſtitui: ſed eo minus obtemperante, ac inſolenter contemnente ruſticum, arundinem is è manu arripit, quam dum Inquiſitorius famulus preſſiusculè conatur retinere, arundinis ſtipulæ acie in manu nonnihil eſt læſus. Haud erat lethale vulnus, membrive cujuſpiam mutilatio, quæ mulcta ſeveriore foret vindicanda: ſed ſcalptura quædam cute tenus, qualem arundinis confractæ acies efficere poterat, puerile planè vulnus. Adit herum ſuum non procul deambulantem puer Inquiſitorius, queſtum ſanguinem, hortulanum capi jubet Inquiſitor, & in arcem Inquiſitoriam trahi, ubi eum in prægravibus conpedibus detineri fecit per totos novem menſes, jacturam in fortunis ſuis, alioqui ſatis tenuibus, pauperi homini non facilè reſarciendam, recipientem, liberis intereà & uxore fame fortaſſe pereuntibus,

bus, quod ſcilicet Inquiſitorio puero, veluti ſancti quoque tribunalis membro, non detulerit. Poſt novem demum menſes eum remittunt, perſuadentes, majore longè miſericordia, quam pro culpa ſua erga eum fuiſſe uſos.

Erat *Hiſpali* homo quidam pauper, ac ex ſudore ſuo quotidianum ſibi & familiæ victum parans, cui clericus quidam uxorem violenter abductam detinebat, nulla interea neque Inquiſitione, neque alterius tribunalis authoritate atrocem injuriam vindicante. Is pauper, dum inter alios ejusdem conditionis homines de Purgatorio forté exoriretur ſermo, excepit ipſe ruſticana potius ſimplicitate quam certo conſilio, „ ſe ſatis quidem habe- „ re purgatorii, cui peſſimus nebulo uxorem violenter „ averterit &c. Is ſermo ad aures boni clerici delatus, ingeminandi in pauperem injuriam occaſionem obtulit, illumque, ut malè de Purgatorio ſentientem, apud Inquiſitores accuſat. Erratum hoc pauperis ſancto tribunali dignius eſt habitum, in quod authoritate Inquiſitoria vindicarent, quam ſcelus clerici. Itaque ob illud tantulum verbum miſer capitur, detruditur in Inquiſitoriis ergaſtulis, biennio toto, ac demum in triumphum eductus damnatur ad geſtandum Sambenitum *a*) per triennium, quod in privato carcere exigat: eoque exacto, an dimittendus liber, retinenduſve adhuc ſit in carcere, Dominorum Inquiſitorum arbitrium eſto. Neque qualibuſcunque pauperis alioqui hominis fortunis eſt parcitum, ut uxor clerico, quod verò ſupererat tenuiſſimarum fortunarum poſt diuturnum illum carcerem, Inquiſitorio cederet Fiſco. Atque hæc eſt illa *Hiſpanica Inquiſitio*, quæ tam acriter fidem Chriſtianam aſſerit, ab hæreſibus religionem purgat, in hæreticos animadvertit.

a) *Sambenitum* q. d. *ſaccum benedictum*, appellant Hiſpani, palliamentum coloris crocei, cui impoſitæ ſunt cruces coloris rubei, quod hæreticis vel damnatis ſuperinduunt &c. v. LIMBURG Hiſtor. Inquiſit. pag. 340.

Erat apud urbem Gadditanam advena quidam, tamen in Hispania per viginti annos insertus, qui communi superstitione ductus hæremum in sacello quodam incolebat religionis ergò. Is audita in sacello suo ingentis multitudinis captivitate eorum, qui *ob hæreses*, quas dicebant *Lutheranas*, *Hispali* ab inquisitoribus quotidiè capiebantur: audito quoque Inquisitorum decreto, quo præcipiebatur, sub illis excommunicationum terriculamentis, ut quæ eis de rebus, vel de aliis, vel de se ipso quisquam nosset, Inquisitioni quamprimum indicaret: erga eos enim, qui se ipsos ita prodidissent, Dominos Inquisitores singulari clementia solere uti, stupidus magis, quam simplex hæremita Hispalim venit, Inquisitores adiit, se ipsum defert. Peccatum erat, quòd cum ante viginti annos Genuæ esset, audivissetque fratrem quendam suum eis de rebus, veluti de hominis justificatione per fidem in Christum, de Purgatorio, & id genus aliis disputantem, visa illa sibi fuerint non mala, etsi eorum postea nunquam vel meminerit (Pius scilicet heremita) Se proindè peccatum suum accusatum ac misericordiam petitum venisse.

Accepta ea confessione, Domini Inquisitores, (fortasse ut vinctorum numerus ea occasione augeretur, jubent suum heremitam in carcerem detrudi, ubi multis exactis diebus in triumphum eductus Sambeniti & trimestris carceris & heremiticarum opum proscriptionis sententiam tulit, neque dispudet Dominos Inquisitores, ejusmodi facetas nænias vel in publicum educere, vel tam severè punire etiam in suis.

In illo eodem triumpho eductus fuit quoque honestus quidam *civis Hispalensis*, sine pallio & pileo ceream candelam manu gestans, nummaria etiam crumena centum ducatis hausta in expensas scilicet sancti tribunalis, postquam annum in Inquisitorio carcere exegerat, tantum quod dixisse est deprehensus, „immoderatos illos sump-

„ sumptus, qui in exigendis, Christo scilicet in cælis jam „ agenti, die Magni Jovis operosissimis illis molibus pa- „ pyraceis ac carbasaceis (monumenta abusu vocabuli vul- „ gò vocant) illos item, qui in festo panis, quod Corpus „ Christi dicunt, profundi solent (sunt enim Hispali pro- „ digiosè immoderati) acceptiores fore Deo, si in ege- „ nos, aut in locandas bonis viris orphanas virgines pau- „ peres profunderentur. " Hoc dictum Inquisitoriam tùm censuram, tùm mulctam, quam diximus, subiit: & author veluti de Lutheranismo suspectus, de vehementi abjuratus.

Eductus est in eodem triumpho pauper alius, quòd inimicitias fortè gerens cum quodam clerico *Astigitæ* urbis Bethicæ, coram aliis de ipso dixerit, „ Deum inter „ manus nequissimi adulteri illius descendere, se credere „ non posse. Vicarius ordinarii ob illud dictum eum tum mulctaverat: sed Clericus ea vindicta non contentus, apud Inquisitorium tribunal *Hispali* eum postea blasphemiæ postulavit: neque Ordinarii mulcta prior obstitit, quin jussu Inquisitorum captus & in carcerem per annum reclusus, eductus demum in triumphum sine pallio & pileo, & ceream candelam manu gestans, ac lingua ligneo morsu capta in blasphemiæ scilicet vindictam de levi abjuratus secundo mulctaretur.

Auxere eductorum ordinem in illo eodem triumpho studiosi juvenes duo: alter, quod in albo suo reposuisset quædam carmina incerto authore confecta eo artificio, ut vel in summam *Lutheri* laudem, vel vituperium, eadem verba interpretari possent. Is hoc solùm nomine post integri anni carceres eductus fuit in triumpho absque pileo & pallio cum candela cerea, ubi exilii à toto Hispalensi tractu, ad triennium de levi abjuratus, mulctam tulit. Alter, quòd eosdem versus ob ingeniosum artificium transcripsisset, eamdem cen-

ſuram eſt expertus, exilio tantùm in centum ducatorum mulctam ad Sancti tribunalis ſumptus commutato.

Ejuſmodi exemplis haud obſcuræ tyrannidis totos libros implere non foret difficile, niſi quæ poſuimus, ſatis eſſe arbitraremur, ad hominum aures vellicandas, ut ad complura, eáque inſolentiora quæ Sanctum tribunal nova quotidiè de ſe edit, oculos animosque intendant: quibus perſpicuè docet, quo ſancto ſpiritu regatur, ac dirigatur in omnibus ſuis actionibus, quid demum in ipſis quærat, quóque jure ipſi quadret *Sancti tribunalis*, ipſis vero Inquiſitoribus *Patrum fidei* nomen, quo hominum mentes hactenus permulſerunt. Neque difficile cuivis jam erit divinare, augeatúrne ac propagetur iſtis rationibus Chriſtiana pietas, Dei veri agnitio ac cultus, Chriſtique Regnum piis omnibus exoptabile, an deſtruatur potius, diſſipetur, ac aboleatur? Satanæ regno, quod mendacio conſtat, fraudibus, doliſque augetur, ſævitia, latrociniis, parricidiis juſtorum retinetur, aucto atque in immenſum propagato.

Haud abundè ſibi ſatisfactum putant Inquiſitores acerba eorum morte, qui contempta ipſorum ſævitia coram ipſorum tribunali conſtanter Chriſtum faſſi ſunt, niſi etiam omnibus ſuis artibus adhibitis pro virili ſua conentur auferre illis animorum quoque vitam, qui Chriſtus eſt in illis per eandem fidem habitans, cui illuſtre teſtimonium & viventes & morientes reddiderunt. Verúm quùm conatus ſuos omnes, potenti ſua manu Chriſto retinente ſuos, ex qua, ut ipſe dicit, nemo eos unquam extorſerit, fruſtratos atque incaſſos vident, auferunt illis demùm quod poſſunt, bonum nempe glorioſæ conſtantiæ ſuæ nomen, falſis poſt eorum obitum rumoribus diſſeminatis (atque etiam antequam deſtinata de ipſis ſumantur ſupplicia in ipſo theatro, captis tamen prius illorum linguis, ne reſpondere quicquam poſſint) ſcilicet veritatis agnitæ pertæſos

ad

ad Romanæ Ecclesiæ mendacium & tenebras rediisse. Geminum istud est Satanæ opus, & spiritus sui assistentiæ in sancto officio residentis perspicuum testimonium, quo non solùm pios martyres constantiæ suæ debita privat laude, verùm etiam Ecclesiam Christi defraudat & exemplo & lætitia, qua de ea alioqui frueretur. Et, quando in nonnullis, quos vocant, *Fidei actibus*, cum quibusdam, de quorum fortitudine atque constantia nos Deus reddidit certiores, illud ipsum Patres fecisse, constat, expedit omninò id in lucem edere, ut qui piis Martyribus debetur in Ecclesia honos atque ex sua constantia existimatio restituatur ipsis, Ecclesiæ verò ipsi & sua constet lætitia, & ad Dei gloriam & sui exædificationem & ad sancti tribunalis æternum dedecus ejusmodi exempla vindicentur.

RELATIO ipsa continens PIORUM quorundam MARTYRUM *Hispaniæ* Elogia.



JOANNES PONTIUS, *Legionensis.*

In primo *Fidei actu*, qui *Hispali* in Lutheranos piæ doctrinæ assertores xxiv. Septembris anni 1559. est celebratus, eductus fuit in triumphum JOANNES PONTIUS *Legionensis*, Roderici Pontii Legionensis Bailenii comitis filius, vir claro genere natus, atque in Christi Evangelio inprimis eruditus, & in ipsius praxi à multis jam annis longè exercitatissimus, ut ex diuturna quæ nobis cum ipso intercessit, atque arctissima consuetudine, nobis constat: quo nostro testimonio, alioqui coram Deo veraci ac fideli, indigere utcunque videretur, nisi eorum omnium, qui hominem noverunt aut

aut quoquo modo ipſius pios mores uſpiam inſpexerunt, hoc ipſum publicus conſenſus teſtaretur.

Quùm enim virtutes omnes Chriſtiana vera ac nulla ex parte fucata profeſſione dignæ in eo conſpicerentur, ſingularis quædam erga miſeros atque egenos fratres Charitas, totum piiſſimi viri animum adeò occuparat, ut ex opulento patrimonio, quo natalium tueri ac retinere ſplendorem abundè potuiſſet, in extremam omninò, ſed haud ingratam dejiceretur paupertatem. Incurrit indè judicia hominum ut cæca ac præpoſtera, ita etiam iniqua, ejuſmodi rara exempla pietatis, aut inertiæ aut damnandæ profuſioni, plerumque tribuentium.

Atqui quando (ex fide haud dubiè,) ita vixit, ut de eo nemo unquam conquereretur, nemo ullam indigni exempli vel minimam ſuſpicionem conciperet, complures vero in ſuis neceſſitatibus ipſius bonitatem re ipſa experirentur, fit ut prædura illa atque omnium oculis conteſtata paupertas, quam omnium Judicio ea animi æquitate tulit, qua vel mediocres opes alii humilioris conditionis vix tuliſſent, pietatis cujusdam ſingularis ac minimè fucatæ argumentum eſſe debet.

Is igitur pro pietatis in mundo mercede ob Evangelium captus ab Inquiſitoribus, poſteaquam veritatem adverſus impia mendacia per menſes aliquot in carcere ſtrenuè vindicarat, aut torturarum gravitate aut incolumitatis blandis promiſſionibus permotus, inexpugnabilem antea fidem flexit & ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam turpiter deſcivit. Pertractus eſt in eam fœdam defectionem ſuaſu atque opera cujusdam peſtilentis muſcæ, quam vincti nomine cum eodem conjecerunt. Is utpote homo literatus & inſignis veterator, doloſis potius ſuaſionibus ac promiſſis, quam argumentorum robore piiſſimi alioqui hominis fidem labefactavit.

Verùm, etſi in tam turpi caſu ei Dominus fragilitatem humani ingenii manibus veluti contrectandam dedit,

dit, verbi ſui utique memor: *Nemo rapiet oves meas e manu mea*, oviculam ſuam haud diu dereliquit, quin adeò fœde jacentem ac proſtratam erexit, & ad conſtantiæ robur priore majus, potenter reſtituit. Ea nocte, quæ ſupplicii ſui diem anteceſſit, veritatem profeſſionis ſuæ adverſus ſacrificulum confeſſorem, complaribus ex aliis tum vinctis tum Inquiſitoriis miniſtris audientibus (ſiquidem ea hora res non agitur ſilentio) animoſe defendit.

Interrogatus à Sacrificulo, ecquid ſacra Confeſſione uti vellet (aſpernabatur enim illam, revulſo etiam atque objurgato ſacrificulo) quùm antequam caperetur, ea ſæpe uſus fuiſſet? Reſpondebat, id imbecillitati fratrum, quos nondum uſque adeo progreſſos noſſet, ut citra ſcandalum eam libertatem eſſent viſuri, fuiſſe datum. Interea tamen eo ſe fuiſſe uſum confeſſore, cujus confeſſio collatio quædam de vera pietate potius, quam confeſſio dici poſſet, ea vero confeſſione minime jam eſſe opus.

In ſua ſententia lecti ſunt publice articuli, inter illos quorum nomine inprimis ad incendium damnabatur, „ Horrori ſe habuiſſe idololatriam, quæ in adoratione „ panis committeretur: unde ſi quando ei ad ægrotorum „ domos in pompa geſtato daretur oviam, aut citato „ gradu per aliam viam divertere, aut eum antecedere „ conſueviſſe, ne ullo adorationis cultu eum proſequi „ cogeretur. Sæpe in ſummo templo fortè ingreſſus, nè „ Sacrificuli manibus elatum conſpiceret, tergum ei vertiſſe. Plerumque ad baſim, ubi pii ob veritatis con„ feſſionem comburi ſolent, deambulationis gratia con„ ceſſiſſe, ac locum iteratis deambulationibus frequen„ taſſe, ut aſſidua cum ſupplicii, tum inprimis fidelis „ ac glorioſæ confeſſionis meditatione, quam exprimen„ te per ſummam ſævitiam mundo, pii Chriſto ibi ex„ hiberent, horrorem ſupplicii veluti eò aliquando vo-

 can-

„ candus animo deponeret, atque ad illud constanter
„ ferendum ex humana mollicie obdurescceret. Item,
„ quum adesset status dies, quo pani Missatico ex more
„ esset participandum, ablegasse aliò à se famulos, qui-
„ bus reversis, se jam pani communicasse confinxisse,
„ ne ejus libertate offenderentur.

Confessionis suæ summa fuit, *Justificationem hominis peccatoris uno Christi merito constare unaque in ipsum fide. Purgatorium aliud esse nullum. Indulgentias ac Bullas Papæ meras esse bullas. Papam Romanum ipsissimum esse Antichristum &c.* a) Eousque flagrasse desiderio videlicet si quando ob hanc, quam fatebatur, veritatem aut comburi, aut quodvis aliud supplicium ferre contigisset; In nullum alium usum se desiderasse opes, nisi ut in ejusdem doctrinæ defensione ac propagatione eas expenderet, in cujus confessione ut & uxori & liberis quoque daretur mortem oppetere quotidie se atque instanter Deum precari.

Hujus illustris Confessionis laudem corrumpere conatum est sanctum tribunal, rumoribus ex interjecta illa pietatis illius continuato cursui claudicatione desumptis, atque artificiose maligneque in vulgus sparsis. Sed eo unico modo eodemque brevissimo argumento abunde refellemus, videlicet quod in illis narrationum exemplaribus, quæ de illo actu fidei conscribi ipsi fecerint, instituto suo minus provide attendentes in his verbis (quæ & extant) quibus viri hujus optimi & crimina & supplicium comprehendere voluerunt, rei ve-

a) Conf. de hoc *Joh. Pontio* GEDDES Miscell. l. c. ap. MOSHEM. p. 684. ubi dogmata propter quæ is combustus fuit hæc tria referuntur.

I. *Cultum* publicum, quem Romana præscribit Ecclesia, esse *idololatricum*.

II. *Pontificem* Romanum esse *Antichristum*.

III. Homines justitiam apud Deum *non operibus* suis, *sed fide* tantum consequi.

veritatem imprudentes indicarunt. Ea sunt: *Joannes Pontius Legionensis pro haeretico Luthérano* PERTINACI *combustus*. Inquisitoriam fraudem unicum illud verbulum de hominis constantia dubitantibus traducit satis, nobis per anteactam vitam spectatissima ipsius pietas, cujus permulti fuerunt inspectores, abunde sufficit.

JOANNES GONSALVUS *Concionator*.

Eductus fuit in eodem triumpho quoque concionator quidam ex clericorum ordine minime clericus, integerrimæ vitæ homo, & in sacris literis, ex quibus unis veram hauserat pietatem, relicto sophisticæ theologiæ cœno, in quo haud mediocrem operam antea luserat, inprimis eruditus. Videbatur in suis omnibus concionibus jam ab annis aliquot eam sibi provinciam consulto destinasse, veram justificationis rationem, quæ explosis in universum quibuscunque hominum meritis una in Christum fide constet, assidua neque incassa importunitate hominum animis infigendi, *Joanni* GONSALVO illi erat nomen, Ejusmodi studium, eo quem habuit, eventu carere non poterat.

Confessio porro ipsius, vel ipsis Inquisitoribus renunciantibus, eadem cum superiori *Johannis Pontii* fuit, ut qui mutuo sibi familiares antea fuerant, in fidei quoque confessione atque in ipso demum supplicio jungerentur *a*). Nocte parasceves sui transitus cum suis confessoribus acerrime quoque disputavit, quos & remisit post longos utrinque clamores pudore suffusos. Egressus ex arce Triana ad theatrum usque in triumphum duobus germanis sororibus ad eandem eductis fortunam comitatus, & matre cum duobus fratribus in carcere relictis, ex quibus mater & ex fratribus alter, insequenti postea actu fuere combusti, singularem animi fortitudinem atque constantiam præ se tulit.

a) Conf. GEDDES Tracts Miscell. Tom. I. p. 465. & apud MOSHEM, l, c. pag; 687.

Arcis limine egressus, & in totius populi, ad quem sæpe antea de pietate concionatus fuerat, conspectum datus, Psalmum 109. *Deus laudem meam ne tacueris*, alta voce recitare cœpit, hypocritarum pessimum genus utique diris illis devovens. Eandem omnino faciem in ipso theatro retinuit, vel accepto in os ligneo morsu, quod ex sororibus alteram, quam ingenio fortassis teneriore noverat, liberius atque apertis verbis consolaretur, atque ad constantiam hortaretur.

Sententia, qua ad rogum damnabatur, attente audita haud demissiore animo vultuve solennissimam illam degradationem tulit, accepitque vestes atque insignia confessionis suæ, probrosa illa quidem in oculis hominum, at decore ac gloria plena in oculis spectantis Dei & angelorum, videlicet impiis illis ac ipso incendio dignis Missaticis vestibus exutus, Paludamentum, restim, & papyraceam tiaram.

Appetente vespere, qui comburendi erant, in locum supplicii adductis, ut fidei symbolum recitent ab eis petunt, quod pro se quisque recitare non dubitavit: sed cum ad illud ventum est, *Credo sanctam Ecclesiam*, ut *Romanam* adderent, jubent. Hic omnes uno animo substiterunt. Clericis vero & monachis, qui Antichristi eo loco obibant munus, importunè exigentibus à sororibus Johannis Gonsalvi, & ab aliis piis fœminis, in quas jam erat incendio animadvertendum, ut particulam *Romanam* adderent, illæ responderunt, *facturas se, quod Joannes Gonsalvus faceret*: Non, quod quid sibi dicendum esset, quidve Johannes Gonsalvus, esset facturus, illæ ignorarent, sed ut ea occasione illi lingua acerrimo lupato solveretur, quo de illo articulo atque eo in primis tempore apertam fidei suæ confessionem edere liceret.

Solutus igitur morsu ligneo pius magister, ut forti animo essent, nihilque addendum superesse respondit. Hac

Hac postrema Confessione edita, omnibus ante accensam pyram festinatò gulam fregeruut, & è vestigio cœperunt clamare, particulam illos *Romanam*, prout ipsi postularant, addidisse, qua in Romanæ Ecclesiæ Confessione decessissent.

QUATUOR FOEMINÆ. HISPALENSES.

EMinebant singulari vitæ sanctimonia inter antiquiores pietatis Professores piissimæ illius *Ecclesia Hispalensis*; quam penè totam inquisitorius jam ignis absumpsit, quatuor fœminæ, *Isabella Vania*, *Maria Viræsia*, *Cornelia*, & his tribus ætate junior. *Boborquia*, (vix enim attigerat vigesimum primum annum) sed licet pietate pari, sacrarum tamen literarum eruditione, in virguncula planè prodigiosa, quam assidua lectione & meditatione & collatione cum piis ac doctis viris, quibus illis diebus abundabat Urbs Hispalensis, in primis verò exercitio ipso pietatis sibi comparaverat, non solùm sodalibus superior, verùm etiam compluribus ex doctissimis magistris nostris judicari poterat, quòs, dùm in carcere esset, pudore sæpè magno suffudisse illi ipsi sunt testati.

Prioris, hoc est, VÆNIÆ, ædes perpetuæ pietatis scholæ fuerunt, locusquè sacer, ubi sacri conventus habebantur, ac perpetuæ Dei & Christi ejus laudes diu noctuquè resonabant. Nihil ibi videretur prophani, nihil etiam ad sanctimoniæ ostentationem, solidæ pietatis plena omnia. Pertingit eò demum Inquisitorium rete, illasque quatuor cum quibusdam aliis ex vicinia jactu uno cepit, Deo utique ad illustrem nominis sui confessionem maturas arbitrante. Promoverat ad tantam sacrarum literarum eruditionem virginem, BOHORQUIAM, latinæ linguæ mediocris peritia, qua in illa serva conscientiarum tyrannide, quem sacris literis vulgati lin-

lingua populo interdicit, latinis porro vel ad ſatietatem uſque frui poterat.

Doctor *Ægidius* quo præceptore illa ob ſingularem viri tum eruditionem tum ſanctitatem frequentius utebatur, dicere de ea erat ſolitus, „Semper ſe doctiorem „ ab illius colloquio diſceſſiſſe." Habuerunt cum ea Monachi Dominicani dum in carcere eſſet, mirabiles disputationes, quibus prodigioſum plane erat in diſſolvendis ac mediis diſſecandis ancipiti gladio verbi Dei eorum ſophiſticis nodis puellæ acumen & ſacrarum literarum recens memoria uſusque promptiſſimus. Hi quoties è diſputatione egrediebantur, illius tum conſtantiæ tum ſapientiæ, licet pertinaciæ nomine, luculentum teſtimonium dabant.

Poſt diuturnam in Cyclopeo illo carcere captivitatem & torturas omnis generis, in quibus & ſororem veluti ejus doctrinæ conſciam per ſummam ſævitiam ab ea tortores expreſſerunt, quod ſorori captivitatem primum, deinde acerbam in ipſis torturis mortem confecit, educta eſt demum in triumphum cum aliis piis viris & fœminis à nobis ſupra commemoratis, ſed quæ de ſancto officio triumphantis ſpeciem potius hilaritate vultus præ ſe ferret. Eam inuſitatam virgunculæ triumphantis lætitiam aperta veritatis confeſſione & divinarum laudum cantu declaratam Inquiſitoria malignitas atque invidia intercipere conata eſt, injecto in illius os lupato in ipſa via, quod paulo poſt antequam ad theatrum veniretur, ei abſtulerunt.

Perlecta in theatro ejus ſententia & mortis ſupplicio illi publice denunciato, eam interrogarunt Inquiſitores, „ an reſipiſcere demum vellet, ac fateri errores, quos „ antea adeo pertinaciter defendiſſet, ad quæ illa alte & „ perſpicue reſpondit, ſe id fateri neque velle neque poſ„ ſe. Delata inde cum beato illo ſodalitio in baſim ſupplicii, exigentibus hypocritis haud minus impie quam im-

impudenter à toto illo Martyrum choro, Romanæ Ecclesiæ confessionem in Symbolo Apostolico, ut supra dictum est, præ cæteris animose restitit.

Eam tamen constantiæ gloriam adactis festinanter capistris ad pia Martyrum colla, tanquam qui in ipso vitæ limine videlicet Romanæ Ecclesiæ detulissent, ac proinde ex Inquisitoria misericordia mortui, non vivi cremarentur, impudentissimi nebulones suis nebulis obscurare decreverunt. Quin & in illos sanctos parietes, qui pios cœtus ad Dei laudes convenientes toties contegerunt, sævitum est. Jussa est enim *Vania* domus ab imis fundamentis excidi ac solo æquari, & in perpetuam aream conversam erecto in ipsius medio marmoreo titulo impiis ac cæcis idololatris patratorum ibi scelerum, piis vero verorum Dei cœtuum, quibus Christus ipse ibi utique inter suos intersuerit, æternum monumentum esse.

FERDINANDUS à *Sancto Johanne.*

ERAT & hic ex illustribus illius Ecclesiæ membris, si verum Dei metum, cygneum pectoris candorem, ardens ac indefessum studium de proximis bene merendi citra omnem proprii commodi respectum, non natalium splendorem, aut accuratiorem corporis aut sermonis cultum quis requirat.

Juvenis sed pietate vitæ conspicuus, instituendis pueris in collegio puerorum, (domum doctrinæ vulgo vocant) piorum virorum judicio, qui Sanctum illud institutum primum condiderant, fuerat præfectus. *a*) In eo munere, octennio fere multa cum laude omnium exacto, deprehensus est demum *Lutheranus*, id est, ad veræ pietatis normam exacte institutus, ad quam & commissum sibi puerorum gregem, quoad fieri poterat in tanta tyrannide, ex officio diligenter institueret. Mer-

a) Conf. GEDDES l. c. p. 471. & ap. MOSHEM. l. c. p. 693.

Mercedem tulit, si humanam rationem spectes, qualis pro benefactis ab ingrato populo referri solet, si fidem, qualem prædixit suis Christus.

Expertus est in torturis adeo immanem sævitiam, ut membris omnibus quassatis, ac officium facere non valentibus, ex trochlea aut Burro deponeretur, atque inde qua ipsius carcer à torturæ loco distat, à ministris iniquitatis veluti saccus quidam stercore plenus, aut putridum quodpiam bestiæ cadaver per pedes traheretur. Lacessebant ad eam sævitiam Dominos patres fidei rotunda semirustici hominis responsa, à quibus vel transversum unguem deflectere erat impossibile. Etiam in illo arctissimo carcere usus est Deus ipsius ministerio ad erigendum *Morzillium* quendam juvenem monachum, ex cœnobio Divi Isidori ob liberiorem Evangelii Confessionem eo pertractum: qui dimotus pollicitationibus ac blandis promissis Inquisitorum, à pia Confessione paulo ante desciverat. Dei consilio, qui Morzillium sane in Christo amabat, factum est, ut hunc Ferdinandum eo tempore inquisitores, carceris illi comitem darent, qui intellecta juvenis vecordia eum acerbe objurgat, accusat defectionis coram Christi tribunali, facit resipiscere, erigit, consolatur, confirmat.

Paucis postea diebus *Morzillius* audientiam petit, in qua coram Dominis solenniter ejurat retractationem paulo ante à se factam, atque eam sibi fidei confessionem constare postulat, quam ediderat primum, quamque pro Christiana haberet. Combustus hic fuit in hoc eodem actu mortuus, an sub Inquisitoria rursus, an sub Dei misericordia, nescitur. Igitur Ferdinandus perlecta in theatro sua sententia, interrogatus ab Inquisitoribus, an in illis erroribus adhuc permanere statuisset, audiente universo theatro respondet rotunde suo more, „ quæ à se fassa essent, ipsissimum esse Evangelium Christi, ac Christianorum fidem, tantum abest, ut pro erroribus

„ ribus habere conſtitueret. Ablata mox illi cruce lignea, quam ei inter ipſa vincula manibus inſeruerant, ac lupato in os injecto, quod & retinuit quousque ignis illud diſſolvit, combuſtus eſt vivus.

JULIANUS FERDINANDUS.

IN tantulo corpore atque eo ipſo adeo ſtrigoſo ut ex oſſibus & pelle tum videretur conſtare, tantos includi ſpiritus meritò miraremur, niſi & ſacro vaticinio & experientia ipſa compertum eſſet, quæ & ſpecie & re ipſa in mundo infirma ſunt, Deum deligere ut plurimum conſueviſſe, ut fortiſſima quæque ejusdem mundi pudefaciat.

Is JULIANUS, quem à corporis parvitate *parvum* appellabant, quum in Germania, ac extra omne ab Inquiſitione eſſet periculum, ubi in complurium doctorum virorum contubernio veram pietatem didicerat, ductionem ſpiritus ſequutus potius, quam cujusquam conſilium, rem eſt aggreſſus ut momenti haud mediocris, ita etiam præſenti plenam periculo. Duo ingentia dolia ſacrorum librorum Hiſpanica lingua in Hiſpaniam transvexit, propagandæ in patria Evangelicæ lucis cupidine accenſus, à qua re haud minus fuiſſet verendum, quam ſi ſcorpionum ac venenatorum omnis generis tota plauſtra invexiſſet, obſecrantibus ac obturantibus diligentiſſime ſuperſtitioſis atque hypocritis hominibus meatus omnes, ne lux ad eos uſpiam penetrare poſſit. Cæterum perduxit Deus incolume ſacrum illud onus, &, (quod magis mirandum adeo fuerit, ut facilius bovem oculatiſſimo Argo abduxiſſes,) vel vigilantibus undique inquiſitoriis miniſtris, intra ipſa urbis Hiſpalenſis mœnia fuit introductum.

Cepit tempeſtivam illam pluviam ac ſalubrem irrigationem ſumma cum lætitia Paradiſus Domini, qua haud du-

dubie ad maturitatem perducti fructus collectionem quoque maturarunt. Innotuit enim res Patribus, superstitiosioris hominis primum vano metu, perfidia deinde alterius, qui cum Evangelium apud pios videri profiteri vellet, in quo erat abunde instructus, perfidum Ecclesiæ hostem atque Inquisitorium satellitem speciosissima illa larva contegebat. Itaque, qua sunt diabolica sagacitate, Inquisitores eo fili capite deprehenso atque apprehenso insequutoque, in totum illius Ecclesiæ nidulum pervenerunt, ceperunt matrem cum pullis, ac nidum ipsum in sævi illius Draconis morem crudelissime dissiparunt

Hæc prima illa piorum captura fuit, quæ piissimam illam Ecclesiam dissipavit, conterruit sua multitudine vel ipsos venatores, implevit carceres, atque istis exundantibus privatas quoque occupavit domos, accendit ingentes pyras, quæ piorum sanguine propemodum extinguerentur. Visebantur eo tempore in una *Hispali octingenti* simul ob pietatem captivi, aut prope aut ultra viginti eodem rogo combusti, Captus fuit inter primos ipse JULIANUS, quo in carcere & ferro onusto & perpetuo solo ultra triennium detento, nova interea ex eadem captura subinde spectacula edebantur. Tortores ipsos cum suis torturis omnibus prodigiosa sua constantia fatigavit, neque in tantulo corpusculo ad tot ferendas quassationes vires unquam defuerunt. Neque minore tum constantia tum alacritate exibat è quæstione quam intrabat, adeo ut nullo ex quassationibus dolore, nullis minis ministrorum, nulla denique sævitia cohiberi posset, quin e quæstione rediens, aut tractus potius per medios sociorum carceres, eosdem & de victoria sua de hostium pudore ejusmodi cantione admoneret a), *Vencidos van los frayles, vencidos van.*

a) Conf. GEDDES l. c. p. 466. & apud MOSHEM. l. c. pag. 688.

van. Corridos van los lobos, corridos van. Latinè ſic: *Victi revertuntur monachi, victi revertuntur. Fugati revertuntur lupi, fugati revertuntur.* Habuit in audientiis primum cum monachis & cum cæteris impietatis aſſertoribus, qui indoctis utique & rei theologicæ omnino imperitis Inquiſitoribus ab hæreſium qualificatione ſunt, acerrimas mirabilesque diſputationes, à quibus quum reverteretur, cantione illa in primis inſultabundus hoſtibus ſeſe oblectabat.

Triumphi die eductus e ſuo ergaſtulo, quum primum in arcis aream accepturus inſignia reatus inter concaptivos venit, eos his verbis mira & animi & vultus conſtantia adhortatus eſſe fertur: „ Macte ergo virtute „ fratres, hæc eſt ea hora, in qua ut ſtrenuos milites „ Chriſti decet, ei, veritatique ipſius coram homini- „ bus fidele teſtimonium reddere debemus, poſt paucas „ deinde horas ipſius viciſſim probati teſtimonio cum „ eodem in cœlis perpetuo triumphaturi. Interceperunt illico piiſſimam atque tempeſtivam concionem impii miniſtri, acerrimo illi capiſtro in os injecto, quod ad ipſum usque ſupplicium tulit.

Conſcenſurus baſim, in qua damnati ab Inquiſitoribus comburi ſolent, conſtantiam atque fortitudinem animi in ferendo, ob pietatis confeſſionem, quam verbis explicare non poterat, geſtu expreſſit. Ad genua enim procumbens gradus baſis deoſculatus eſt: colligatus deinde ad palum & aggeſtis faſciculis capite tenus coopertus, caput inter eosdem faſciculos iteratis vicibus abdebat, veluti ſupplicium ipſum ultro provocans, atque laceſſens. Conſulebat his geſtis providus Chriſti miles & integritati confeſſionis ſuæ, & ſociorum tum confeſſionis tum ſupplicii imbecillitati, ſi qua eſſet, quos ſignis illis ad conſtantiam & ſupplicii contemptum hortabatur.

Aderat morituro inſignis quidam pſeudapoſtolus Do-

ctor *Fernandus Rodriguius*, qui inconcussam pii hominis fidem sua importuna oppugnatione redderet clariorem. Is quum contemplatione instantis supplicii conterritum athletam Christi existimaret, obtinuit à Præfecto, ut lingua ei lupato solveretur, ut conversionis suæ scilicet significationem aliquam edere sermone posset. At subsidium illud in diversum illi cessit.

JULIANUS enim adeptus loquendi libertatem, & fidei suæ perspicuam si quando alias confessionem edidit, & impium monitorem, quem sciret contra conscientiam suadere impia dogmata, adeo duris verbis objurgavit, ut blatero responsione destitutus pudorem ingente hujusmodi sublata exclamatione ulcisci constituerit: " O Hispaniam gentium domitricem, ac Do-,, minam, nunc vero homunculi unius opera pertur-,, batam! Occidatur, occidatur! Aderant præsto satellites, qui adhortationem impostoris exequuti, Juliano lethale vulnus inter ipsos ignes inflixere. Et de hoc dum esset in carcere rumores extitere, eum pietati renunciasse, quos tamen eventus abunde refellit.

JOANNES LEGIONENSIS a)
ex cœnobio D. Isidori Hispalen. monachus.

EXERCUERAT hic primum in Mexico Hispaniæ novæ urbe celeberrima novi orbis sartoriam artem: unde *Hispalim* reversus, cum cæcus quidam Dei metus eum (ut plerisque alioqui probis accidere solet) ad monachatum adegisset, Deo ita hominis præcipitium temperante, in D. *Isidori Hispalen.* cœnobium forte incidit, in quo bona tum monachorum pars ad solidiorem pietatem aspirabat. Post annos aliquot in ea disciplina exactos, cum ex illorum convictu nonnihil veræ institutionis delibasset, damnatæ angustiæ pertæsus, con-

a) conf. GEDDES p. 468. & apud MOSHEM. p. 690.

conquisito probabiliore prætextu ex valetudinis scilicet perpetuo incommodo, monachatu abrenunciavit.

At egressus, quum illorum pia colloquia, ex quibus initia illa pietatis hauserat, vehementer desiderasset, claustra, eis fruiturus, repetivit, sed frustra. Eo enim absente, illi ad unum omnes, quorum desiderium ad damnatum antea vitæ genus repetendum eum impulerat, desertis illis periculosis sedibus in Germaniam paulo ante commigrarant. Igitur non ventrem, sed pietatem, licet in tam periculosa recidiva quærenti post paucos dies, tantisper dum, quo illi abiissent certius nosset, institutum rursus fuit deserendum.

Vocabunt fortassis eum ob bis desertum monachatum malè feriati homines bis apostatam: at qui melius sapient, utique bis pium. Igitur piorum commilitonum vestigia insequutus *Francofortum* ad eos pervenit, haud absque magnis laboribus & periculis in itinere exantlatis. Francoforto cum eisdem commigravit *Genevam*, ut aliis, qui ex eodem sodalitio ibi sedes fixerant, adjungeretur.

Contigit per eosdem dies, ut sublata è medio *Maria* Angliæ Regina, *Ecclesia Anglicana*, quæ sævitia ipsius per Germaniam fuerat dissipata atque dispersa, *Elizabetha* in ejus locum suffecta, ad proprias sedes beneficio DEI plane singulari revocaretur. Hispanis ob pietatem Genevæ exulantibus colligendæ ex suis Ecclesiæ Anglia visa est commodior *a*), quo consilio factum est, ut nonnulli ex ipsis cum Anglis in patriam revertentibus proficiscerentur, sed, ut insidias vitarent, diversis comitatibus. Inquisitores enim adeo ægre tulerunt piorum illorum monachorum fugam & à vetere impietate de-

a) Certè, quod eo tempore etiam reliquiæ fidelium ex *Hispania* collectæ in Anglia sustentarentur & liberam haberent Fidei Professionem liberamque Ecclesiam, notum est & constat ex illorum temporum historia.

fectionem, ut, etsi, neque multi essent numero, neque alioqui humana æstimatione magni, muscis suis omnino decreverint infestandos, quæ eis ubique locorum perpetuo insidiarentur.

Erant illis *Coloniæ Agrippinæ*, *Francoforti*, *Antverpiæ* inprimis, constitutæ insidiæ, quæ itinera omnia *Genevam* usque magna diligentia percurrebant. Neque iter *Geneva Mediolanum* usque, ex altero scilicet latere minus erat observatum. Suppeditabantur insidiis sumptus ab ipsis Inquisitoribus ex Fisco regio abundanter satis pro regali munificentia & Inquisitorio Zelo: ac tantis tum conatibus tum expensis (præter ingentes pollicitationes, quibus singulorum capita, si darentur, licitabantur) quærebantur decem pulices aut totidem canes mortui. Adeo stupenda res est odium Inquisitorum quo in divinam Christi lucem ad furorem usque sæviunt.

Igitur noster JOANNES LEGIONENSIS, ascito sibi socio *Joanne Ferdinando* quodam, viro inprimis pio, *Valleoletano*, per Germaniam in Angliam iter instituens, incidit *Argentorati* in insidias, quarum indicio captus est cum socio in portu quodam a) *Zelandiæ* in ipso in Angliam trajectu. Excepit primum apparitores tanta animi & vultus constantia, ut eis dicentibus, *se eum quærere*, nihil aliud responderit, quam, *Eamus igitur, aderit enim haud dubie nobis Deus.*

Traducti in oppidum, torti primum sunt vehementissime ut socios indicarent: post paucos deinde dies navi impositi & in Hispaniam vecti. Habuit uterque dum in mari atque in Hispania in ipso itinere fuerunt, ferreum quoddam capistrum, in modum cassidis, quo & caput & vultus tegebatur: inserta est illi interne lamina quædam ferrea in modum linguæ, quæ accepta in ore usum omnem linguæ prohibet, atque hoc torturæ genere

a) GEDDES l. c. p. 468 disertè commemorat civitatem *Medioburgensem*, quæ tum Hispanis adhuc parebat.

nere perpetuo cruciati, præter ferrea vincula, quibus & manus & pedes constringebantur, in Inquisitorios carceres delati sunt. *Joannes Legionensis Hispalim*, socius *Valleoletum*, ubi postea in veræ pietatis confessione constantissime persistens, vivus est combustus. Fuerat hic Doctoris *Caçallæ*, qui Valleoleti ob Religionem ignis supplicium tulerat, paulo ante, contubernalis, cujus & neptem ex sorore aut ex fratre desponsaverat.

Exegit in Inquisitorio Carcere JOANNES LEGIONENSIS complures dies, ubi sævitiam Inquisitoriam tum in omni torturarum genere, tum in communi victu expertus est. Eductus est in triumphum paludatus, eisque omnibus ornatus insignibus, quibus educi solent constantissimi. Horrori erat aspicientibus ex diuturna illa maceratione vultus hirsutissimus, & ad ipsa usque ossa cerulea pelle contecta macer, augebat horrorem, acerrimum lupatum linguam adeo acriter mordens, ut ubera ac prælonga pituitæ fila ad terram usque stanti pendentia eliceret.

Cum audita jam mortis sententia ad supplicium ipsum duceretur, libertatem linguæ ad Christo abrenuntiandum adeptus, tanta cum animi & vultus tranquillitate fassus est verbis quam paucissimis, sed eisdem gravissimis, quanta vel extra omne periculum fassus esset. In postremis illis vitæ horis datus illi fuit antagonista monachus quidam ex cœnobio suo, cum quo malè auspicatum illud monachatus primo anno tyrocinium fecerat, qui initia illa veteris superstitionis in memoriam reduceret: at, quo plures illi artes ad fidem ipsius labefactandum adhibebant, eo illa reddebatur spectatior: nimirum protegente ob id præsentius Christo athletam suum. Oppetivit atrocem mortem eadem plane tranquillitate ac securitate animi, neque enim viro in primis pio alius vitæ exitus debebatur.

FRAN-

FRANCISCA CHAVESIA.

ADORNAVIT eundem triumphum ſpectatæ fidei virgo FRANCISCA CHAVESIA clauſtri D. Elizabethæ monacha, quo magis miremur abſolutam in Chriſto inſtitutionem ad illa quoque & ferreis vectibus, & inprimis pervicaci ſuperſtitioue obturatiſſima clauſtra fœminarum penetraſſe: adeo Dei gratuitam in Chriſto electionem, quin ſuo tempore exequatur, remoratur nihil. Nacta fuerat clariſſimum in Chriſti Evangelio inſtitutorem Doctorem *Ægidium*, de quo mox dicemus. Vel ſub illo modio occultata, divina lux abſcondi in perpetuum non potuit, quin præſtituto ſibi tempore educta aſpectu ſuo lætificaret Eccleſiam Dei, eandemque percelleret, redargueretque acriter impiorum tenebras.

Delata demum ad Inquiſitores & communi more tractata, in triumphum eſt educta ac demum combuſta. Pudore ſuffuderat Dominos Patres fidei maſculis ſuis reſponſis virgo alioqui hominum colloquiis per totam vitam non admodum aſſueta, quoties in audientiam fuerat vocata: aſſertionibus enim veræ pietatis addebat quoque acerrimas atque adeo tempeſtivas objurgationes ex verbo Dei, prodigioſa patribus fidei dexteritate petitas, canes mutos, viperarum proles ſubinde eos vocans. Spectabilis inprimis fuit omnibus eam contuentibus mortis ac ſupplicii contemptus, vultus alacritas, quam ad ipſum uſque ſupplicium præ ſe tulit.

CHRISTOPHORUS LOSADA a) *Medicus*.

ET hic quoque ex Doctoris *Ægidii* privata Inſtitutione prima rudimenta pietatis hauſit. Inter cæteras

a) v. GEDDES l. c. p. 469. & apud MOSHEM. p. 692.

ras enim Sancti illius viri divinas dotes illud erat sane mirabile, quod omnibus, quos in pietate instituendos susciperet, igneam quandam pietatis facem ad eorum animos cum ipsa institutione admovisse diceres, qua ad omnia pietatis ipsius exercitia cum interna tum externa, in primis vero ad imminentis crucis tolerantiam atque adeo amorem accendebantur: quo uno, divina luce collustratis testabatur adesse Christum ipsius Ministerio, qui, verba eo externe ministrante, eadem in ipsis visceribus suorum virtute Spiritus sui exararet.

Ad eam tanti præceptoris fœlicitatem venerat opera soceri sui viri adeo pii, ut LOSADAM, ipsius filiam in uxorem ambientem, licet honestissimis moribus, eruditione non vulgari, peritia rei medicæ ultra mediocritatem excultum juvenem, haud prius ad affinitatem admiserit, quam in pietate erudiendum Doctori Egidio se dedidisset. Homini erudito & abunde Christianum se esse existimanti haud erat satis honesta conditio, difficilis vero, Doctore Egidio, ad cujus pedes erudiendus in religione mittebatur, religionis non satis integræ apud vulgus suspecto. Admisit demum conditionem an melioris institutionis, an vero conjugii cupidine, incertum.

Ut ut fuerit, adeo serio prima illa in Christo rudimenta imbibit, ut vel post obitum institutoris præmature sublati sibi, insignes in pietate progressus fecerit. Itaque ob singularem pietatem atque in sacris literis eruditionem, qui Ecclesiam illam, numerosam quidem, sed in cavernis delitescentem, gubernaret, dignus habitus, Pastoris munus quoad licebat in tanta angustia, suscepit, obiitque. Captus ab Inquisitoribus occasione illa librorum *Parvi Juliani a)* (qui enim in illa gregis totius dissipatione abscondi posset fidus Christi servus?) atque pietatem ingenue fassus, carceris prius acerbitatem, ac torturas, triumphi deinde ignominiam, ac demum

 ignis

a) conf. quæ de eo jam in anteced. pag. 613. sunt dicta.

ignis supplicium tulit. Disputavit egregie de vera religione in ipsa basi supplicii adversus importunos hypocritas, qui vana spe eum à pia sententia dimovendi, respondendi ad eorum strophas ei copiam fecere. Illis vero, ne, quæ utrinque dicebantur, circumstans vulgus intelligeret, dictionem ex vulgati sermone in latinum callido consilio commutantibus, ipse, arte fortassis minus observata, latine quoque cœpit agere, tanta sermonis tum ubertate tum puritate, ut miraculum pene omnibus videretur, hominem jam jam moriturum tam esse sui compotem, ut ne tum quidem à sermonis elegantia quicquam remitteret.

CHRISTOPHORUS a) ARELLANIUS.

CHRISTOPHORUS Arellanius monachus cœnobii D. Isidori Hisp. omnium, qui ante ipsum intraverant Iuquisitoriam arcem, ipsorum Inquisitorum testimonio longe doctissimus, traductus à suis, quibus & utilitati & ornamento fuerat ob eruditionem, quale habuerant antea nunquam, in Inquisitoriam nassam est pertractus.

Eo inprimis nomine illam summæ eruditionis opinionem apud Inquisitores sibi conciliaverat, quod homo in Scholasticis (quos dicunt) Theologiæ Doctoribus, Aquinate, Scoto, Lombardo, & cæteris ejus classis versatissimus, quæ illi in quavis religionis controversia pro veritate imprudentes uspiam dixerunt, eximia ingenii dexteritate ac memoriæ præsentia post sacras tamen literas ac Doctorum incorruptioris judicii sententias ad institutum accommodaret: quo inprimis fiebat, ut adversarii, quotquot erant, quibus vel apertæ illorum authorum nugæ ipsis sacris literis sunt longe antiquiores, suis eisdem propugnatoribus expugnarentur. Dam-

a) Conf. GEDDES l. c. p. 470. & ap. MOSHEM. p. 693.

Damnatus est nihilominus ad rogum superantibus & erudititionem & veritatem ipsam apud immanes tyrannos fasciculis. Quum ad audiendam sententiam in solenni theatro sisteretur, audivit in ea impudentissime confictum scelus sibi objici. Illud erat, asseruisse ipsum: *Illibatam virginem Matrem Christi non magis extitisse virginem, quam ipse esset.* Digna scilicet verba, quæ, etsi à quoquam haud minus impiè quam impure essent prolata, in orbis theatro per sanctos fidei patres vulgarentur. Atqui hoc artificio creare solet Sanctum tribunal maximam invidiam iis, quos ob singularem & omnibus perspicuam virtutem apud vulgus ipsum gratiosiores norunt.

Auditâ impurâ illâ blasphemiâ ARELLANIUS, qui non sine DEI Providentia liberam tum habebat linguam, exclamat audiente universo populo, mendacium illud esse impudentissime confictum: se enim & contrarium credere firmissime, & credidisse semper, ut qui illud ex compluribus scripturæ locis didicisset, quibus & tum paratus esset illud ostendere, si esset opus. Ad ipsum supplicii limen stetit ex composito coram illo ridens, veluti calamitoso insultabundus, unus ex illis suis monachis, quem inimicum sibi ac inprimis adversarium senserat. Neque enim in eam calamitatem conjecisse hominem pium, singulari eruditione ornatum, adde etiam innocentem, satis fuerat, nisi etiam in ipso supplicii ingressu insultarent.

Commotus est nonnihil repentino ac improviso illo spectaculo ARELLANIUS, sed mox ad Christiani hominis officium eam animi tranquillitatem recuperavit, quæ & decora sibi & spectantibus exemplum esse posset. Consolatus est etiam in ipsa supplicii basi alium quendam monachum ejusdem sodalitii *Joannem Chrysostomum*, qui discipulus ipsius antea fuerat, tum autem supplicii comes. Hujus quia supplicii causas omnino ignoramus,

in hoc ordine illum reponere ausi hactenus non sumus. Fuit alioqui concionator inculpatæ vitæ ac sanctis omnino moribus præditus, neque aspernandæ eruditionis, ac proinde suis porcis uni tantum ventri deditis non admodum gratiosus.

GARSIAS a) ARIAS, MAGISTER BLANCUS *Vulgo dictus.*

ELUCEBAT mirabiliter in hujus viri exemplo, erga electos suos divina providentia, quem vel ex inveteratissimæ ac singulari studio affectatæ hypocrisis abysso quadam, atque adeo ex ipsa spontanea oppugnatione agnitæ veritatis Evangelicæ, (quod delictum in Spiritum Sanctum vocant Sacræ literæ, denuntiantque pro ejusmodi peccatoribus frustraneas omnino fore Ecclesiæ preces) eos nonnunquam præter communes leges potenter extrahat, eoque in sublimiore honoris gradu collocet, quo in desperatiore prius statu esse videbantur.

Fuit hic ARIAS (quem à cutis & pilorum omnium candore *Blancum* appellabant) acutissimo ingenio, quoad licebat in ea ætate, sacrarum literarum cognitione abunde exculto, vafro tamen, callido, maligno, versipelli. Contegebat vero ea exitialia animi vitia specie quadam sanctimoniæ adeo studiose compositæ, ut vel prudentissimorum quorumque oculos, nisi prope valde accessissent, sæpiusque contemplarentur, posset fallere, imo fefellit complures.

Erant *Hispali* illius tempore factiones duæ concionatorum, quos auditorum studiosa partium ingens turba sequebatur. Alia, si verba ipsa spectares, ad *Epicteti* Stoici placita, quam ad Scripturæ sacræ normam, accedebat propius, eo *Epicteto* inferior, quod iste factis sermoni consentaneis serio videretur agere, illa omni-

a) Conf. GEDDES. l. c. p. 470. & ap. MOSHEM. p. 693.

omnino secus. De crebris enim jejuniis, de mortificatione & abnegatione sui, de perpetuo precando, de præ se ferenda submissione ac dejectione animi, quam humilitatem ipsi vocant, in ipso vestitu, sermone, vultu, ac in universa demum vitæ ratione multus ac pene infinitus sermo: at sub ista adeo plausibili ac speciosa pietatis larva, si proprius inspexisses, vidisses, ne quid durius dicam, plane homines Summa, Sanctimoniæ totius proram & puppim, quod ajunt, in operibus adversus contrariæ factionis institutum collocantes actuosi in primis videri cupiebant, Eo studio, utpote ex ignoratione veræ justitiæ nato, ad Missas complures, ad sacrorum locorum frequentationes, ad Confessionis & communionis, quas vocant, usum frequentissimum, & ad multa alia nugamenta, quæ araneorum telas, quæ in operimentum nunquam futuræ sint, merito vocant sacræ literæ, à veræ justitiæ exercitiis, judicio scilicet & misericordia, atque adeo ab ipsa fide, unica acquirendæ justitiæ ratione, expiationis ergo divertebant. Urgebant paupertatem ac cœlibatum vel conjugibus, in primis vero obedientiæ votum, monachorum credo æmulatione, qua auditores sibi adstringebant. Hanc ajebant esse ipsam propriæ voluntatis abnegationem, eisdemque prorsus ornabant titulis, quibus obedientiam sui ornat Deus.

Ut vero in perpetuis tenebris liberius liceret in impostura progredi, à bonorum authorum lectione, maxime autem *Erasmi*, à quo nihil scilicet præterquam superbe sapere edocendi essent, veluti à peste deterrebant suos, ablegantes eos ad *Henricum Herpium*, *Bonaventuræ opuscula*, *Abecedarium*, *Montis Sionis ascensum* & id genus alios, ex quibus humilitatem, in primis vero, coryphæis obedire, didicissent. Prodierunt demum ex ista disciplina *Mansii*, *Cavallii*, *Guerra*, *Petri Cordubenses*, & alii quorum nomina exciderunt,

quos fortassis fuisset satius nunquam in orbem natos, prolemve dedisse.

Fuere in ea complures probi alioqui & animo pio viri, fateor, sed qui intellecta postea impostura magistrorum, eis desertis, ad saniorem redierint mentem, aut qui ex crebris atque intemperatis jejuniis, & ex acri, supra humanas vires, cœlestium rerum videlicet meditatione versi sint in furorem: aut, qui, si in instituto perseveraverint, in majus malum atque immedicabilius inciderint, nempe ex probis improbi, ex communi hominum sorte Pharisæi, osores justitiæ, ejusdem crucifixores, filii Gehennæ duplo quam ipsorum magistri fuerint, evadentes.

Altera factio concionatorum erat quorundam, qui ut sincerius tractabant sacras literas, ita etiam verum justitiæ ac sanctitatis fontem ex eisdem aperiebant hominibus, quorum & industria factum est, ut ea urbs hoc inprimis nomine, omnium totius HISPANIÆ fœlicissima, totos duodecim annos, quod ad veræ justitiæ argumentum attinet, purum Christi Evangelium audiverit, neque sine fructu. Illa enim messis, quæ per totos jam octo aut decem annos colligitur, ex illa laboriosa novatione provenire certum est. Hæc sanctitas utique pro ingenio lucis, fucatam ac phaleratam illam digito veluti commonstrans ac palam traducens haud illius primum subire odium, deinde insectationem sui omnem concitare non potuit. Erant istius primarii Assertores, Doctores, *Constantinus*, *Ægidius*, *Varquius*, viri doctrina ac morum probitate conspicui, quorum labores in promovenda Evangelii luce inter tantas ignorantiæ tenebras, atque vitæ exitus in ipso opere illustris, ut æterna sunt digni memoria, ita etiam neque æterna oblivione sepeliri patiemur.

Illius vero (prioris scil.) inter primos propugnatores noster hic ARIAS censebatur, utpote quæ hac receptior,

&

& speciosior, suis autem professoribus utilior & quæstuosior apud omnes ferme foret, omnibus suis commilitonibus eo nequior, quo illis fortasse ignorantibus, veritatem ipse, quam oppugnabat, exacte nosset. Neque tamen eam mendacio præstabat operam adeo aperte atque alii ejusdem factionis, ne apud complures alicujus æstimationis viros, quibus vera pietas cordi erat, eam amitteret gratiam, quam larva illa pietatis acquisiverat: sed adeo callide ac veluti ex insidiis, ut licet iis, qui ipsius sentiebant jacula, utcunque esset notus, ab aliis tamen pro amico ac fratre haberetur.

Ingenii calliditatem ac vafritiem tum maxime exeruit, quum *Gregorius* quidam *Ruizius*, vir (ut ferebatur) inprimis doctus, ob nonnulla, quæ inter interpretandum publice in Summo templo *Hispalensi* sacras literas asseruerat pietati consona, de Justificatione hominis, de merito Christi, & de meritis hominum ante & post justificationem, ab hypocritis ejusmodi doctrinam insectantibus accusatus, ad Inquisitorium tribunal vocaretur. Quum enim Inquisitores illi diem dixissent, biduo antequam ad dicendum causam ille compareret, Magistrum *Ariam*, cum quo nonnihil familiaritatis ob communia studia, præcipue vero ob singularis pietatis falsum nomen, antea contraxerat, forte convenit consilio suo usurus. Arias inter alios jussus erat ab Inquisitoribus, ut ad illum diem adesset instructus, adversus Ruizium disputaturus. Igitur ingenii sui memor, ab incauto & simplici homine & ejusmodi insidias à tali viro non magis verenti, quam ab eo, à quo captaret salubre consilium, astute expiscatur rationes atque argumenta omnia, quibus sua foret in illa disputatione defensurus: eisque acceptis comiter dimittit hominem absque ulla insidiarum suspicione. Quum vero ad disputationem ventum est, apparuit

tan-

tandem noſter *Arias* inter eos, qui pia dogmata erant oppugnaturi. Ad id primum veluti ad rem incredibilem expavit *Ruizius*, ac hominis perfidiam tum demum deprehendit, quum argumenta ſua, quæ illi biduo ante ſincere communicaverat, ab eo in medium proponi atque diſſolvi videret, adeo accurate, ut nihil ſibi dicendum relinqueretur. Itaque homo ea arte circumventus ac armis exutus, arena ceſſit, victoriam ſumma tum perfidia tum impietate partam apud unum Ariam relinquens. Neque in cauſa Doctoris Ægidii, de qua nonnihil mox dicemus, probatiore fide egit. Quum enim (ut conſtantior fama eſt) homo ſynceriſſimus, eum, quem noverat de doctrina judicium inter complures ferre poſſe, doctrinæ ſuæ arbitrum apud ipſos judices compellaſſet, judicium tulit, quale tuliſſe de mendacio honeſtum foret.

Cæterum is fuit, qui in D. Iſidori Hiſpalenſi cœnobio, omnibus uſque ad illud tempus profundum ignorantiæ ſomnum in inveterata illa ſuperſtitione dormientibus, nonnullas veritatis ſcintillas primus intulit, quibus præcipua ejus ſodalitii pars veluti in tetra caligine è profundo ſuo ſomno expergefacta detergere cœpit oculorum lippitudinem, ac demum meliorem in vera religione inſtitutionem deſiderare. Acerrimis enim ac crebris concionibus, quibus & interdiu & noctu ſæpe poſt matutinas preces ab hora noctis ſecunda ad quartam uſque dabatur locus, id agebat Arias, ut totum inſtitutum plane everteret, licet non aperte, ſed tecte nimis, & à remotiſſimis ſcaturiginibus aquam ducens. Docebat, " in choris totos dies noctesque nunc ſer-
,, mone nunc cantu recitare ſacras preces, non eſſe pre-
,, cari Deum. Exercitia veræ religionis eſſe alia, quam
,, exiſtimaret religioſum vulgus, Legendas ac præmedi-
,, tandas eſſe ſummo ſtudio ſacras literas, ex quibus unis
ve-

„ vera Dei & voluntatis ipsius cognitio, item ejus religionis notitia, quæ ipsi inprimis probaretur, haberi posset. Adhibendas esse ad id obtinendum alias preces, nempe quæ ex ipso necessitatis sensu & ex vera in Deum fide orirentur ".

His & similibus Christianæ Religionis axiomatis sæpe ac eximio ardore inculcatis, & quidem citra ullum periculum (neque enim ea nisi plane impius inficiaretur,) præsentis ac usitatæ illius religionis tædium, desiderium vero melioris, maxime autem sacrarum literarum acre quoddam studium fere in omnibus excitabat. Concionibus addebat quotidianas ex Proverbiis Salomonis prælectiones eruditione plenas, & ad institutum mira dexteritate accommodatas.

Accedebant privata ac familiaria colloquia, insuper & quotidiana vitæ consuetudo, omnia ad idem institutum ex professo comparata. Inciderat in mitia ingenia, & (quod prodigio simile merito videatur) superstitionibus monachatus haud impense addicta, unde arcanorum divinorum dispensatori alioqui fido totam illam superstitionis operosam molem, invecto puro Dei verbo, brevi evertere quam facillimum fuisset.

Sed homo nunquam sibi satis constantis ingenii, post pulcherrimas illas præparationes, quibus avocatos à præsenti superstitione animos, sibi autem mirum in modum conciliatos suspendebat, ad intolerabiles inedias, ad perpetuas vigilias coram ipso panis sacramento, unde novas quasdam, nescio quas, illuminationes expectarent, ad evacuandas omni supellectili, & libris & lecto ipso, cellulas, ad cubandum super nudam terram, aut porro standum, cum somno concedendum esset, ad gestandum loco interulæ, ex equinis setis contextum thoracem, & ferreum baltheum ad carnem ipsam, ac demum ad alia innumera ejusmodi perniciosa nugamenta revocabat, quasi vero pessima illa Zizania non satis com-

mode recepta forent, ni divini verbi*ſarculo, quo ſupra retulimus modo, terra ipſa prius innovaretur.

Namque revulſa vetere ſuperſtitione noſter ARIAS, nihil quam novam eandemque periculoſiorem ac nocentiorem invehebat. Reportarunt inde complures ex auditoribus eosdem fructus, qui ex ejuſmodi perniciosa diſciplina provenire ſolent, nempe, alii furorem, alii perpetuos quosdam æſtius atræ bilis, ut neque ipſi longe abſint à furore: alii immedicabilem prorſus capitis dolorem, quo bona parte vacuum cerebro caput gerant, nulli poſtea futuri uſui, qui vero eas tum animi tum corporis ægritudines ex robuſtiore habitu corporis ſuperaverint, contracta ex illa inani opinione ſanctitatis, immodica quadam ac plane Pharisaica æſtimatione ſui, aliis feliciores nemo ſanus indicaverit.

Excuſaret fortaſſis Ariam à graviſſimo alioqui piaculo, aut melioris inſtitutionis imperitia, aut denique fatalis quispiam eventus, quo ad eam provinciam primum capeſſendam, deinde ea ratione adminiſtrandam fuerit compulſus. niſi & ea omnia, quæ veritatis loco ſuppoſuerit, exacta veritatis ipſius cognitione animo habuiſſe condemnata, & apud aliquos per idem tempus ſuaviſſime riſiſſe illorum ſtultitiam, quos adeo facile reddidisſet ſibi obſequentes ad ea omnia, quæ ipſe præſcripſiſſet, compertum haberemus.

Atqui ex illis veritatis granulis, inter tot nugarum plenos pugillos tanta malignitate communicatis, uberes poſtea veræ pietatis fructus (quæ eſt vis divinæ electionis) provenerunt. Quorundam enim animi vetere jam ſuperſtitione omnino vacui, neque in nova illa ſatis acquieſcentes, dum ſolidiorem quampiam inſtitutionem requirunt, in alterius factionis magiſtros, qui purius docebant veritatem, imprudentes inciderunt. Iſtorum amicitia ac conſuetudine nacti ſunt purioris ac ſolidioris cognitionis principia, inprimis vero tetra illa ac horribilis

bilis

bilis opinio de *Lutheranis*, quos vocant, animis excuti cœpta: & quando absolutam habituros se veritatis cognitionem, nisi eorum libris aliquando liceret uti, arbitrarentur, ne in hoc quidem desiit Deus eorum piis votis respondere

Mirabili enim quadam ratione ipsis plane dormientibus, intulit eis non solum quicquid ejusmodi librorum paulo ante desiderare ausi fuerant, verum etiam quicquid optimum & pingue, vel *Genevæ* vel uspiam per *Germaniam* ad illud tempus erat editum. Ea copia ditati ac suis ipsis magistris facti opulentiores, ita suum cœnobium instituere cœperunt, ut ex duobus, qui periculoso illi negotio dederant initium, intra paucos menses in cœnobio alioqui populoso perpauci essent, qui aliquem pietatis gustum non delibarent, nulllus qui reclamaret.

Jam precariæ horæ quas vocant, in sacrarum literarum prælectiones erant versæ: consuetæ pro mortuis preces aut deletæ, aut majori ex parte accisæ: indulgentiæ & expiationes à Romanis Pontificibus olim concessæ, quibus unis magna sui parte innitebatur illa moles, in totum obsoletæ: imaginibus nullus aut certe perpaucus honos erat reliquus: superstitiosa jejunia in perpetuam sobrietatem commutata, ad monachatum nemo jam instituebatur, sed ad veram pietatem: de vetere instituto promovendo nullus propemodum jam sermo, de irridendo, abominando, denique abolendo, plurimus. Neque intra ipsa Cœnobii septa modo continebatur divina illa lux, ad ipsam urbem, & ad circumvicinia oppida extendebatur, tum libris tum sermone communicatis.

Cumque jam eo res deducta esset, ut præter robustissimum illud Missæ idolum, & ipsam Monachatus personam, quæ vestitu & capitis rasura constat, nihil propemodum convellendum superesset, neque id aut

 ultrà

ultra tolerari ſine manifeſto piaculo, aut convelli demum poſſet ſine certo periculo, neque ut videbatur, cum magno fructu, de deſerendo illo nido, & in Germaniam ad loca pietati liberiora commigrando cogitare cœptum. Auſus videbatur ingens, imo & quibusdam temerarius. Neque enim ratio ulla apparebat, qua non unus aut alter, ſed tot ſimul, atque ii non ſolum in toto illo ſodalitio authoritate præſtantes, verum etiam nonnulli ex ipſis ob ſingularem doctrinam in ipſa Urbe conſpicui deſerto ac propemodum depopulato, in tota *Bethica*, celeberrimo cœnobio ab ultima pene *Hiſpaniæ* ora tuto in *Germaniam* penetrarent.

Neque ſingulatim erepere, iis qui poſtremi forent, ſine magno erat periculo, Inquiſitoribus præſertim, qui altum antea dormire ſomnum videbantur, novitate ac celebritate rei à malignis quibusdám expergefactis: quare, aut omnibus, qui in eo erant conſilio, egediundum erat ſimul, aut demum periculum de proximo impendens ſimul expectandum. Itaque illis in ea perplexitate hærentibus, aperuit DEUS rationem, qua arreptis ex occaſione honeſtis prætextibus, intra menſem unum duodecim elaberentur, ac diverſis itineribus *Genevæ*, quem locum figendis ſedibus ante egreſſum ſibi deſtinarant, anno tamen revoluto, ſeſe mutuo conſpicerent. Qui vero ſacra doctrina initiati in cœnobio manſere, aut quod conſilium abeundi non probaſſent, aut quod ad diſceſſum non fuiſſent diſpoſiti, paucis poſtea diebus irruenti tempeſtati patuerunt.

Combuſti jam ſunt ex eodem cœnobio quinque, plerique alii diverſis aliis affecti multis, neque aliquis hactenus eſt habitus *Hiſpali* Inquiſitorius fidei actus, ſeu potius triumphus, ad quem cœnobium illud unum aut alterum, aut etiam plures non ſuppeditarit: eſtque vero conſentaneum, veræ doctrinæ ſemina, quæ per complures dies in eo affatim exundavit, uſque adeo vel inter ipſos

ædi-

ædificii lapides adhærere, ut nisi disjiciantur, & in calcem demum convertantur, suppeditare quotannis Inquisitorio rogo *Lutheranum* unum aut alterum non cessent.

Ad hanc pulchram Historiam consulto digressi sumus data occasione, studio gratificandi Ecclesiæ Christi, erga quam maligne nos acturos arbitraremur, si pios hosce viros ea privaremus memoria, qua ob adeo cominus oppugnatam superstitionem, idque non minus strenue quam periculose, contemptis propter pietatem tanta animi magnitudine, sponteque abdicatis certis illis tum honoribus, tum deliciis, atque in earum locum recepta paupertate, contemptu, exilio à patria, dedecore ingenti, ac vitæ ipsius, quam alioqui ærumnis plenam ægre admodum tuentur, quotidiano periculo, essent adornandi. Atque hos eventus memoria dignos secundum Deum idcirco ARIÆ, de quo nobis institutus est sermo, bona ex parte acceptos ferimus, quoniam ex illis primis scintillis, quas ipse in cœnobium illud, licet aliud agens, primus induxit, ingens ille rogus est accensus, quo & cœnobium ipsum & foris bona urbis pars, ut alia complura loca prætereamus, in Dei laudem conflagravit.

Igitur ARIAS, ut qui ex inconstantia & varietate ingenii adeo esset suspectus suis, atque aliis exitialis apud Inquisitores à suis sæpe delatus, causam dixerat. Evenit tandem, ut in illis calamitosis diebus, in quibus veluti in fatali quodam malo ad supplicium quisque ob religionem rapiebatur, ipse quoque postularetur, neque ut antea sæpe, sed serio. Prædixerat hoc ipsum illi ante annos aliquot ipse CONSTANTINUS, ac sub juramento quidem.

Nam cum ab ipso *Constantino*, quodam die ad prandium vocaretur, cui intererant *Ægidius* & *Varquius*, ut commodius atque acrius de deplorata illa sua perfidia

eum objurgarent, siquidem leniorem commonefactionem sæpe antea eluserat, ipse inter jurgia minitabundus jactavit, vereri se, ne tauros aliquando in publicum editos spectaculum videre cogeretur, Inquisitorium theatrum ænigmate illo, haud obscure tamen, illis ominans. Ad ea Constantinus. " Testatum (inquit) tibi per
„ Deum facio, nequaquam te, ut tu cogitas, é sublimi
„ tum spectaturum ludos, quin potius in ipsa arena fu-
„ turum Dei tamen occulto ac plane adorando consilio factum est, ut ea postrema captivitas perfido alioqui homini, non exitio. sed veræ, & à quoquam nunquam antea speratæ resipiscentiæ fuerit.

Adeo enim seria anteactæ vitæ pœnitentia ipsius animum subiit, ut homo alioqui quovis lepore aut simia meticulosior, inter ipsas quæstiones inexpectata animi constantia, & quæ miraculosam quandam in eo mutationem argueret, veritatem oppugnantibus restiterit, Inquisitores vero ipsos majestate illa semideos quam acerbissimis verbis objurgaret, aptiores esse asserens, qui post ternos aut quaternos asinos agasones agerent, atque id fore ipsis satius, quam fidei censuram sibi sumere, quam turpiter ignorarent: se vero vehementer pœnitere, neque eam pœnitentiam, quoad victurus esset, ex animo depositurum, quod eam veritatem, quam nunc defenderet, sciens & volens adversus pios illius defensores sæpe coram ipsis oppugnasset.

Ejusmodi acerbas objurgationes, quoties in audientiam eum vocabant Patres fidei, ab eo ferre cogebantur. Eductus est in triumphum omnibus illis teterrimis quidem hominum judicio, at clarissimis & supra quam dici possit, judicio DEI honestissimis notis insignitus, senectute gravis, sed in primis illustrissima tum anteactæ vitæ pœnitentia, tum veritatis confessione venerandus, scipione innixus, adiitque ex triumpho ignis-supplicium hilaris ac lætus, quæ sua illa perfidia ac hypocri-

sis

ſis Eccleſiæ prius dederat damna, clariſſimo illo & æterna memoria digno reſipiſcentiæ exemplo in ipſo vitæ exitu abunde compenſans.

O virum vere beatum, atque ob id inter Principes illos ab Eccleſia in mundo condita fidei ſtrenuiſſimos aſſertores, ſingulari honoris ſede collocandum, quod ex malitia omni alia, quæ excogitari poſſit, deploratiore, ad parem cum illis veritatis Confeſſionem repente emerſit! Paulus, ſelectiſſimum illud Dei vas, primum in ordine peccatorum ſe conſtituit, quod Eccleſiam Dei, ſed ignoranter, & bono quodammodo Zelo perſequutus fuerit: at vero noſtrum Ariam, qui ſciens volens, non aperte, ſed ex inſidiis, domeſticus ſane hoſtis eandem afflixit, quoto inter peccatores reponemus loco? Paulus *occulto Dei conſilio* factum eſſe dicit, *ut miſericordiam*, qua ſe tot modis reddiderat indignum, *conſequeretur*, *ut in me* (inquit) *oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem clementiam ad exprimendum exemplar iis, qui credituri ſunt illi:* Quantum ergo in hoc noſtro novo Paulo clementiam ſuam, bonitatis ſuæ divitias, ac miſericordiæ theſauros illuſtrat Chriſtus? Quale peccatoribus incomprehenſibilis clementiæ, gratiæ, ac dilectionis ſuæ in iſto edit ſpecimen? Itaque ex hoc mirabili ac plane novo divinæ bonitatis exemplo addiſcere erit operæ pretium, erga eos, quos vel in deploratiſſimo omnium ſtatu viderimus, & linguas & judicia inpræmatura cohibere, quod, quid Deus de ipſis conſtituerit, omnino ignoremus Quin potius juxta Pauli præceptum ſperemus uſque meliora.

DOCTOR JOANNES ÆGIDIUS
in ſummo Hiſpalenſi templo Canonicus Concionator.

CONTRIVERAT Doctor Ægidius meliorem ætatis partem in ſtudiis adeo infœlicibus, vir alioqui ad

ſtudia

ſtudia literarum neque ineptus, neque in eisdem perſequendis mediocriter pertinax, ut neque poſt abſolutam eorum ſtudiorum encyclopædiam, & adeptos in ſcholis eruditionis nomine ſummos honoris gradus, poſt denique diuturnam in Theologia profeſſionem (quæ erat illius ætatis erga ſtudia literarum conditio) vix commode Latine loqui poſſet. Neque integrum foret malum, niſi & turpi cum linguarum, tum bonarum diſcendi artium partim ignorantiæ, partim corruptioni, ſacrarum literarum blaſphemus ac plane impius quidam contemptus acceſſiſſet.

Audivimus ex ipſius pii viri ore, ſtudiorum ſuorum infœlicitatem, & ſeculi illius tenebras deplorantis, ea tum fuiſſe tempora, " ut qui in Complutenſi Academia, „ ubi ipſe didicit, quoquo modo attigiſſet ſacras literas, „ tantum abeſt, ut inter doctos ſcilicet cenſeretur, ut „ probri nomine bonus *Bibliſta* aliis vocaretur, Lombardo, Aquinate, Scoto, Gregorio Arithmetico & aliis ejus claſſis authoribus omne punctum ſapientiæ, atque adeo ſacræ Theologiæ præ ipſis ſacris literis ferentibus.

Quum *Siguenca* Theologiam publice profiteretur, aſcitus fuit *Hiſpalim*, ut in ſummo templo eſſet à ſacris concionibus, ab *Alexandro* quodam, qui in eo munere eum præceſſit, probitatis ac doctrinæ nomine adeo ſtudioſe commendatus, ut Eccleſiæ Capitulum, contra receptum morem & ſtudia ipſa, nulla prius inſtituta doctorum oppoſitione, quam vocant, eum nihil ejusmodi expectantem accerſiverint, & ſuggeſto præfecerint. Et ÆGIDIUS quidem in ea Theologia, quæ tum in toto Chriſtiano orbe obtinebat, eminentiſſimus habebatur, at neque publice concionatus fuerat, neque attigerat unquam ſacras literas. Itaque ſuggeſtum conſcendens cum ineptiſſimus ad id muneris præter omnium expectationem deprehenderetur,

tur, & ſibi ipſi gravis, & aliis, magno contemptui eſſe cœpit: quo indies magis magisque aucto, & eos, qui eum prius minus prudenter accerſiverant, & ipſum, qui provinciam, ad quam omnino eſſet ineptus, haud minus imprudenter adiiſſet, tanta facti pœnitudo inceſſit, ut & ipſe de ultro deſerenda ſtatione, & illi de eo loco ſubmovendo non ſemel cogitarint. Poſt annos aliquot in ea rerum difficultate exactos, Ægidius incidit in opportunum monitorem quendam, (divina utique Providentia & illius & totius urbis rebus benigne ita conſulente) qui intra paucas horas eum exacte edocuit Chriſtiani concionatoris officium, ad quod fœliciter obeundum, & aliis ſtudiis, & libris aliis, aliisque viæ commonſtratoribus, quam quibus ad illud usque tempus fuiſſet uſus, opus foret.

Obſtupeſcebat primo Ægidius ad inexpectatam illam concionem: inprimis vero hominis audaciam vehementer mirabatur, qui unus è media plebe, idiota, neque de mentis ſanitate omnino bene audiens, tantum doctorem, eundemque antea neque familiarem neque ſatis notum, tanta fiducia edocere auſus eſſet. Sed, ut erat natura mitis, & ſermo erat de officio concionatoris, in quo adeo inauſpicato ipſe verſaretur, facile ſibi imperavit, ut æquis auribus illum audiret.

At fuit divina monenti tanta ſpiritus Dei vis in dicendo, ut ab ea hora Ægidius in alium virum mutatus, totius anteactæ vitæ ſtudia ac labores omnes inanes ac prorſus incaſſos judicaret, ac novam aliam ſapientiæ viam ſibi fore ingrediendam, cujus neque Alphabetum ipſum didiciſſet. Et quando neque ipſe monitor ab officio Concionatoris abſolvebat, vocari ſe ſentiebat intus ad eam provinciam, ex qua nihil neque honoris neque commodi in mundo eſſet reportaturus.

Obſtupeſcent fortè multi ad monitoris nomen, qui tanto viro tam brevi temporis ſpatio & tantæ mutationis

author, & veræ ſapientiæ magiſter extiterit: Atqui evulgandum omninò nobis eſt, ut admiranda Dei conſilia per mundi fatuos mundanam ſapientiam infatuantis impenſius celebrentur, atque adorentur. Is fuit *Rodericus* VALERIUS, Pſeudoprophetæ ac Pſeudoapoſtoli & nequisſimi impoſtoris nomine ab Inquiſitoribus antè viginti ſex annos *Hiſpali* publico judicio damnatus, ac in exilio ob veræ pietatis confeſſionem mortuus.

Hujus admirandam ſanè vocationem ad veram cognitionem Chriſti hoc quoque loco paucis recenſere, neque ingratum piis, neque (quando in ejus memoriam incidimus) ab inſtituto alienum judicamus. Igitur hic VALERIUS *Nebriſſæ* civis, (oppidi Bethicæ ob antiquitatem ac præcipuè ob *Antonium Nebriſſenſem* virum doctiſſimum, & latinæ linguæ in Hiſpania, noſtra ætate, reſtitutorem in primis clari) ex honeſta familia natus, cum neque opes deeſſent ad tuendam familiæ honeſtatem, eam tuebatur communi hominum more, non in virtute, ſed in equis, in equorum apparatu, in ludis, in veſtium luxu, in venationibus, & id genus aliis ſtudiis nobilitatem reponentium. Erat enim in iis exercitiis *Valerius* juvenum urbis ſuæ facilè primus, adeò, ut non ſolùm æqualibus & ætate & opibus par eſſe vellet, verùm etiam eos omnes anteire.

In medio illorum vanorum ſtudiorum curſu repentè divinus quidam furor (qua verò occaſione, quo monitore, quo demum modo, ignotum) eum corripit, quo, abjectis in univerſum priſtinis ſtudiis, &, quod difficilius videri poterat, contemptis hominum judiciis, univerſas tum corporis tum animi vires adeò acriter ad ſtudia pietatis intendit, ut mundanum nihil in eo fuiſſe reliquum videretur. Admiranda hominis mutatio, quæ tum in verbis, tùm in ipſo cultu corporis anteà molliculo & ſplendido, tum verò horrido & ſordido apparebat, ab

aliis

aliis suspiciebatur, ab aliis, atque id quidem à pluribus, ut insania aut etiam ebrietas, irridebatur.

Sed quemadmodum ejusmodi corrupta judicia, cum hoc ipsum Apostolis Spiritus Sancti virtute afflatis contigit, ipsa Spiritus effecta refellebant, sic serius quidam Dei metus, prioris vanitatis deploratio, ardentissimum justitiæ desiderium, studiumque indefessum, inprimis verò de his rebus, ac de omnibus demum veræ pietatis capitibus jugis sermo, ad ipsam sacrarum scripturarum amussim accuratè collimatus, ejusdem Spiritus præsentiam sanioribus judiciis in Valerio quoque testabatur. Assequutus fuerat in adolescentia nonnullam Latinæ linguæ cognitionem, quâ adjutus, sacras literas diu noctuque versabat, quo pertinaci studio fiebat, ut bonam earum partem memoria retineret, ad usùmque miraculosa quadam dexteritate ac promptitudine applicaret.

Habebat quotidiè cum Ecclesiasticis, quos dicunt, viris, clericis ac monachis perpetuas concertationes, quorum causa factum esse asserebat, ut non solùm ipse ecclesiasticus ordo, verùm etiam omnes Christianæ reipublicæ status tanta corruptione laborarent, ut nulla aut certè parva spes appareret sanationis: atque hoc nomine acerrime eos perpetuoque objurgabat.

Petebant ab eo, nempe Pharisæorum proles, Unde sibi ea nova rerum sacrarum peritia? Unde illa audacia, qua in sanctos Patres, Ecclesiæ lumina atque columnas (siquidem universos Ecclesiæ ordines acerrimis suis objurgationibus percellebat) adeo insolenter inveheretur homo laicus, sine ullis prorsus literis, imo profanis studiis, ac majori ex parte perditis per totam vitam deditissimus? Qua id demum authoritate faceret? Quis misisset? Ecquod vocationis suæ signum? Belli homines cum neque infitiari flagitia, neque justis rationibus coarguenti eorum tenebras luci, resistere possint, ad ea subterfugia in omnibus ætatibus confugerunt.

Respondebat vero ad ea omnia *Valerius* candide ac constanter. Constare quidem sibi eam sapientiam non ex suis ipsorum lacunis, quæ corruptissimæ jam essent: sed Spiritus DEI beneficio, cujus tota flumina è corde vere credentium in Christum essent exundatura. Audaciam vero suppeditare sibi tum eum, qui mitteret, tum veritatem ipsam. Spiritus Dei, qui nulli ordini quantumvis ecclesiastico, præsertim corruptissimo, esset alligatus, ex laicis olim, eisdemque idiotis piscatoribus Apostolos constituisse, qui eruditam in lege synagogam totam cæcitatis redarguerent, universum orbem ad salutis scientiam vocarent. Ab eodem Christo se missum, ejus nomine atque authoritate agere, generationem vero notham, & quæ à vera filiorum DEI stirpe jam olim degenerarit, signum quærere, quum coruscante luce ac fulgore suo perstringente omnium oculos, tenebræ ipsæ jam sint manifestissimæ.

Vocatus demum istis de causis ad *Inquisitorum* tribunal, disputatum est acerrime de *vera Ecclesia* Christi, de ipsius *notis*, de *hominis justificatione*, & de iis similibus capitibus, quorum notitia nullo plane humano ministerio, sed pura eademque mirabili Dei revolutione *Valerio* contigerat. Excusavit illum ea vice apud Inquisitores insania, qua hominem laborare existimarunt, & sic demum exutus omnibus fortunis, ut scilicet ab insania resipisceret, dimiserunt.

Resipuit vero nunquam, adeo ut post aliquot annos iterum ob easdem causas accerseretur: atque ad palinodiam adactus, parcitum est vitæ ipsius, quod adhuc insanire æstimaretur. Damnatus tamen fuit ad Sambenitum perpetuo gestandum, & ad perpetuos carceres, ex quibus, singulis Dominicis diebus cum aliis concaptivis ad audienda sacra ducebatur in templum Sancti Salvatoris, quod dicuntur: ubi sæpe è sua sede surgens, spectante universo populo, concionatoribus falsa docen-

cen-

centibus vel captivus contradixit: ſed ea omnia Inquiſitores eo tempore haud omnino mali nomine inſaniæ excuſabant.

Translatus ex eo carcere Sanctum Lucarum in cœnobium quoddam, obiit quinquagenario major, vir, eo tempore in prodigium orbi datus, quo monitore ab illo impietatis lethargo excitaretur. Et quoniam inauditi erant *Hiſpali* eo tempore illi tituli, ob quos piiſſimus Vir iniquiſſimam illam cenſuram tulit, Sambenito omnium, qui ad eam ætatem quiſquam geſtavit maximo donatus fuit, qui & viſitur ob ſingulare quoddam hæreticiſſimi hominis monumentum in æde Sacrarii ſummi templi Hiſpalenſis in loco conſpicuo, hoc ſcripto prægrandibus literis inſignitus: RODERICUS VALERIUS, civis Nebriſſenſis atque Hiſpalenſis apoſtata & pſeudapoſtolus, qui à Deo ſe miſſum dixit.

Hoc monitore expergefactus primo eſt Doctor ÆGIDIUS, ut ſupra dictum eſt, eoque doctore primo didicit verum Chriſti Evangelium, quod per multos antea annos neque diſcipulus neque magiſter ne audiverat quidem. Favit ei, quoad licuit, dum cauſa ipſius coram Inquiſitoribus agitabatur, cujus opera factum eſſe creditur, ut Inquiſitores ad clementiam flexi, judicium erga relapſum præcipue, ut ipſi vocant, temperarent. Nec parvo conſtitit Ægidio illa pietas erga magiſtrum, contraxit enim inde ingentem tum invidiam, tum ſuſpicionem, apud illud Phariſæorum genus, quibus vera pietas uſque exoſa fuit.

Secundum illam ſalutarem commonefactionem, acceſſit Ægidio *Conſtantini* FONTII viri ad prodigium uſque eruditi familiaris conſuetudo atque arcta amicitia, qua, communicatis utrinque ſtudiis, Ægidius in melioribus literis inſtitui, & bonos authores legere, ac demum in vera Theologia vehementer proficere cœpit.

 In

Inprimis vero, ut quibus de rebus jam cum fructu ad populum concionaretur, & melius sapientium communicatione, & præcipue sua ipsius experientia erat edoctus, tam docte, tam pie, tanto denique in dicendo ardore cœpit concionari, quam frigide, indocte, atque inepte antea.

Sentiebant auditores doctrinæ virtutem, quæ à tribus jam eximiæ authoritatis viris ÆGIDIO, CONSTANTINO, & VARQUIO, magno consensu tradebatur, quo fiebat, ut quo magis ex inveteratis illis ignorantiæ tenebris emergebant, eo isti in majori haberentur precio, vilesceret vero indies assidua congressione lucis hypocritarum turba, qui tanto cum dispendio animarum aliter docuissent. Oriebantur hinc apud Inquisitores de tribus illis veritatis assertoribus perpetuæ querelæ, in primis verò de Doctore ÆGIDIO, qui ut sociis & simplicitate ingenii & authoritate præstabat, ita quoque & apertius & frequentius lucis hostes lacessebat.

Atqui tum maxime eorum invidiam in se concitavit summam. cum post aliquot annos in ea functione exactos, ob singularem & doctrinam & morum sanctitatem electus est à Cæsare in *Episcopum Dortessensem*: tum enim hypocritæ insignem quampiam regno suo calamitatem ominantes, si Ægidius Episcopalem sedem conscenderet, junctis undique viribus, non levioribus ut antea pugnis, eum opprimendum censuerunt. Itaque vocatur serio ad Inquisitorum tribunal, agitatur causa per artifices iniquitatis subtiliores, conjicitur in Inquisitorium carcerem.

Primarium quæstionis caput erat *de hominis justificatione*, quod & connexa quoque alia sequebantur, videlicet, de hominum *meritis*, de *purgatorio*, de adinventis humana industria *peccatorum expiationibus*, de *unico mediatore Christo*, de *certitudine fidei* in justificatis &c. Iis accedebant quoque alia, videlicet, occasione

ſione cujusdam nefandi idoli divæ Virginis à Sancto rege Ferdinando (ut fertur) miro artificio fabricati; quod in nonnullis feriis divæ Virginis ſacris magna cum pompa oſtentatur, de *Idololatria*, ſive de *cultu imaginum*. Item occaſione cujusdam lignei fragmenti, quod in ſummo templo pro *ligno crucis*, in qua pependit Chriſtus, prodigioſa quadam ſuperſtitione colitur, quam, in cineres redacto ligno, Ægidius aboleri concupiverat, de eo quoque actum eſt. Item, de *invocatione ſanctorum* mortuorum, de abolendis é Chriſtianorum ſuggeſtibus *humanis doctrinis*, & puro Dei verbo in eis tradendo: & de aliis argumentis inprimis neceſſariis. Illud quoque appendicis vice fuit additum, ſtudioſe eum faviſſe *Valerio Nebriſſenſi*. &c.

Reſpondit ad ea omnia ÆGIDIUS, in primis vero circa primarium illum articulum accuratiſſimam edidit doctrinæ ſuæ defenſionem, qua nullam neque doctiorem, neque magis piam, neque pleniorem hactenus vidimus. Ea ipſa reſponſione latiſſimam feneſtram aperuit adverſariis, ſcilicet novos alios atque complures errores hæreſesque colligendi. Nondum eo audaciæ pervenerant Inquiſitores, ut de eo tanto viro ob illas cauſas comburendo cogitarent, licet ab adverſariis ad eam ſævitiam vehementer urgerentur. Iniebantur itaque rationes, quibus vitæ ipſius, qui alioqui nullo modo a ſententia dimoveri poſſet, eſſet conſultum, ipſo Eccleſiæ Hiſpalenſis capitulo, ac ipſo Cæſare, qui paulo ante ampliſſimo Epiſcopatu dignum judicaret, pro illo intercedente.

Sublevabat quoque multum illius cauſam CORRANUS, venerandus ſenex, alter ex Inquiſitoribus, cui & ipſius pietas, & hypocritarum, à quibus accuſabatur, perverſitas perſpecta erat, licet adverſante impio collega *Petro Diazio*, qui abjecta veritate, quam & ipſe à Vale-

rio

rio Nebrissensi, ex D. Pauli Epistolæ ad Romanos familiari interpretatione ante didicerat, & cum gratiarum actione acceperat, hypocrita nimirum ambitiosissimus ad adversariorum partes apostataverat.

Mortuo jam *Varquio*, & *Constantino* cum Cæsare, cui erat à concionibus & confessionibus, apud Belgas agente, doctrinæ nimirum inter *Hispanos* novæ, arbitri utriusque partis nomine quærebantur. Nominaverat pro se *Ægidius* inter alios *Bartholomæum Zamorensem* Dominicanæ factionis monachum, virum in primis doctum, & in veritatis cognitione instructum, qui ad archiepiscopatum Toletanum beneficio Cæsaris postea emersit, atque eo ob religionem, sive (quod verius existimatur,) ob invidiam Archiepiscopi Hispalensis Inquisitoris Primarii, amisso, inter acerrimas cum Inquisitoribus concertationes nuper obiit diem. Atqui & hic quoque cum Cæsare agens, causæ examinationi interesse non potuit.

Tulit per idem tempus de ea doctrina judicium ARIAS, Magister *Blancus* vulgo dictus, sed quale in ipsius historia retulimus, quod & aliquando fortè cum ipsa Ægidii responsione edetur, atqui, an ab ipso Ægidio, an verò ab ipsis Inquisitoribus ad id vocatus, nondum satis compertum. Itaque aliis absentibus, aliis periculosum judicium detrectantibus, ad *Dominicum Asotum* Dominicanæ factionis in Academia Salmanticensi sophistam magni nominis, judicium est devolutum.

Is posteaquam diu expectatus magno molimine *Salmantica Hispalim* venit, callidiore consilio, quàm alii anteà egissent, cum homine alioqui nimis sincero,, ne dicam improvido, cœpit agere. Præ se enim ferens omnem benevolentiam atque animi candorem, postquam hominem inexpugnabilis sententiæ, si cum eo aperte foret agendum, esse intellexit, simulato consensu in doctrina, persuasit tandem, ut ea doctrinæ capita, quæ in

„ in controverſiam erant vocata, ad tollendam publi-
„ cam illam infamiam, quâ jam eſſet apud omnes diffa-
„ matus, publice quoque commoda quadam declaratione
„ exponeret: ſe vero commodam illam interpretatio-
„ nem præſcripturum, qua, ſi placeret, uteretur: ſin
„ minus, collatis inter ambos rationibus, ea demum
„ ederetur, qua & conſcientiæ utriusque & veritati in
„ primis melius foret conſultum."

Præſcribit *Aſotus* eam declarationis formulam, conferunt de ea inter ſe, conveniunt demum citra ullam omnino controverſiam. Conſtituitur ab Inquiſitoribus publicæ illi declarationi dies ſolenniſſimus: adornantur ſuggeſtus duo in ſummo templo, *Ægidio* alter, *Aſoto* alter. Convenitur magno totius populi concurſu. Concionatur *Aſotus*, atque mox à concione educit è ſinu declarationis formulam, illi omnino contrariam, in qua convenerant; Namque in illa nihil fuerat, quod & Confeſſioni Ægidii, & veritati ipſi non eſſet conſentaneum: in iſta nihil, quo ea omnia, de quibus fuerat accuſatus, & quæ tanta animi conſtantia toto biennio, atque in ipſis porro vinculis defenderat, non aperte revocaret.

Diſtabant longiuſcule inter ſe ſuggeſtus, murmur populi de rebus illis diverſas ſententias ferentis adeo perſtrepebat, ut quæ *Aſotus* diceret, *Ægidius* non poſſet intelligere. Itaque homo nimis credulus, Aſoto ad ſingula fraudulentæ illius revocationis capita aſſenſum nutibus, & ſublata altius voce, quo exaudiri ab incauto poſſet, petente, nutu quoque teſtabatur ex ipſius eſſe ſententia, quæ *Aſotus* ex ſcripta formula legiſſet.

Condemnatus ibi fuit ad triennalem carcerem (eam ſibi gratiam conciliaverat perditiſſimus ille Monachus) concionibus, lectionibus, & ſcriptione per decennium interdictus, quo etiam jubebatur, *ne Hiſpaniæ finibus excederet*: ac ne ſic quidem intellexit actioni illi fraudem

ſubfuiſſe, licet mulctas illas miraretur, quouſque demum in priſtinum carcerem reductus, ex expoſtulantibus ſecum amicis propter abnegatam veritatem, fraudem deprehendit. Ea omnia haud aliunde, quàm ex ipſius ore, atque etiam in ipſo carcere didicimus. Vidit, dum in eo carcere eſſet, trium præcipuorum hoſtium ſuorum obitum, *Sbarroyæ* Dominicani ſophiſtæ, *Petri Mexiæ*, hominis Philoſophi nomen abſque ullis bonis literis ridiculè ſibi arrogantis, & *Petri Diazii* Inquiſitoris, quem à veritate impiè apoſtataſſe, ſuprà diximus: neque enim citra ſpeciale quoddam judicium Dei accidiſſe videbatur, tres acerrimos veritatis hoſtes, innocentis ac pii viri oppugnatores, intra alterum annum, quo ipſe eſſet in carcere, & de cauſa ipſius ageretur, è medio tolli, & alium poſt alium rapi, neque ſine rumore deceſſus parum tranquilli.

Vixit ÆGIDIUS poſt illam fraudulentam revocationem quatuor aut quinque annos, piæ illi Eccleſiæ venerabilis, neque minus utilis, quam cum integra illi erat libertas Concionandi. Inviſit per illud tempus occaſione legationis fratres, qui *Valleoleti* ſub Doctoris *Cacallæ* diſciplina, Evangelio Chriſti, abnegatâ impietate, nomen dederant: atque eis conſolatis & confirmatis *Hiſpalim* rediens ex itineris longiuſculi agitatione, qua à multo tempore non erat aſſuetus, incidit in adverſam valetudinem, ex qua intra paucos dies è laborioſa vita migravit ad æternam quietem.

Reliquit in *Geneſin*, in Epiſtolam Pauli ad *Coloſſenſes*, in *Pſalmos* aliquot, in *Cantica Canticorum* commentaria Hiſpanicè longè doctiſſima, atque Chriſtianam pietatem & pectus quoddam ſpiritu Dei plenum undique ſpirantia, quæ ut ſingulares quædam Eccleſiæ delitiæ in ipſius uſum à fidis viris aſſervantur. Ea omnia, etſi piiſſima atque doctiſſima ſint, tamen quæ in ipſo carcere, atque adeò inter ipſa vincula conſcripſit, adeò ſin-

ſingulari pietate & affectibus ab ipſo Dei Spiritu excitatis alia præcellunt, ut videre quivis poſſit, ad eximiè de divinis rebus ſentiendum ipſam Crucis præſentiam piis ac renatis animis maximo adjumento eſſe.

Poſt duos aut tres annos à piiſſimi viri obitu, viſum fortè eſt novis Inquiſitoribus, eos, qui de illius cauſa judicârunt, mitius cum eo egiſſe, quàm pro Inquiſitoria truculentia: & quando ſanctos illius manes ab interpellabili illa requie ad ſuum tribunal revocare non poſſent, in inane cadaver & ſicca oſſa eſſe ſæviendum. Ergò eductum è ſepulchro, & in theatrum allatum, ſuffecto in illius & locum & nomen ſimulachro ſtramineo, ſupplicio afficiunt, quo à dextris Dei cum Chriſto conſedentem in terris captum affeciſſent. *Sed, qui habitat in cœlis, irridet eos.*

DOCTOR CONSTANTINUS FONTIUS *a)*
in ſummo templo Hiſpalenſi Canonicus Concionator.

FOELICISSIMIS illius Eccleſiæ auſpiciis, ni ad majorem ſui condemnationem contigiſſet, piiſſimo Concionatori Ægidio CONSTANTINUS ſucceſſit, per quem ille & in pietate & in doctrina ſolidiore permagnos brevi progreſſus fecerat. Sed, quando viri dignitas eò

Mmmm 2 nos

a) Solet equidem Conſtantinus hic FONTIUS à quibusdam appellari *Pontius*, atque confundi cum *Johanne Pontio* Legionenſi, de quo jam in ſuperioribus actum eſt: Sed minus rectè, Fuit enim hic FONTIUS ſive *de la* FUENTE planè ab illo diſtinctus, atque Carolo V. Imperatori à ſacris confeſſionibus, cum is in Germania verſaretur: Quanquam id tamen nec THUANO, nec SARPIO, concedi queat, quaſi etiam Imperator in ulnis ejus expiraverit; quippe cum Fontius noſter jam prius quoque in carcere fuerit detentus, quod nec annotare, qui *Sarpium* er-

nos jure vocat, nonnihil altius erit nobis ipsius historia repetenda, in qua nihil profectò magis veremur, quàm quòd infantia nostra viro de pietate adeò benè merito de ipsius laude multum decedat.

Namque quibus laudibus te ornavero Virum omnium sacris studiis addictorum, quos nostra vidit ætas, ornatissimum, quem rarissimis, & vix in uno homine antea visis, tot dotibus divina munificentia adeo accurate adornavit, ut suspici quidem possint, æstimari pro dignitate nunquam. Mendacio potius, quam prodigio simile, quod dicturi jam sumus, merito quis judicaret, nisi compluribus hominum millibus testari possemus, neminem fere viri istius perspexisse dotes, quem non ad mediocrem aut invidiam, aut benevolentiam excitarint.

Itaque vir ad summum odium & ad summam pariter dilectionem, ut videbatur, natus, inimicos acres complures, idemque haud pauciores amicos habuit. Amicos sane non intelligo, quos ipse modo amaret, sicut neque inimicos eos, quibus ipse male vellet: sed à quibus, sibi forte ne cognitis quidem, ipse ex animo amaretur, suspiceretur, coleretur. Quos enim ipse pro veris amicis coleret, humani ingenii instabilitatem apprime noscens, unum aut alterum vix habuit in tota vita, neque id obstabat, quo minus, quos ob virtutem benevolentia sua dignos judicaret, quibus poterat humanitatis officiis sincere prosequeretur. Juventutem quidem transegit pro studiosorum juvenum libera educatione

erroris convincere studet, neglexit PALLAVICINUS Hist. Conc. Trid. lib. XIV. c. 11. fin.

Cæterum FONTIUS noster in Germania cumprimis Evangelicæ doctrinæ gustum acceperat, quod quomodo sit factum, à *Jacobo* SCHOPPERO enarratur in Orat. de vita & obitu parentis p. 26-28. conf. Andr. CAROLI in Memorabil. Sec. XVI. lib. II. p. 341 sq. & SALIG. in Hist. Aug. Confess. Tom. II. p. 11, 12.

catione non admodum laudatam, sed quæ, quo minus, quod ætatis subsequutum est, quam laudatissimum extiterit, haud impedimento fuerit. Probatos enim satis mores, ut erat ingenio mire festivo, & in jocis peracuto, una subinde jocandi licentia vel in provectiore ætate corrumpebat: at id apud unos adversarios, quos, ni jocaretur, nihilo secius communi gravitate, tanquam Curiana, aut Catoniana austeritate offendisset.

Circumferuntur lepidissima complura ipsius dicta, quæ si extra jocum pensentur, prudentissima apophthegmata, quam jocosa dicteria rectius dixeris. Ea in aliam transfundi linguam integro lepore omnino non possunt. Neque salsius neque frequentius unquam est jocatus, quam in hypocritas Monachos, aut clericos sanctitatis opinione turgidos, quam tamen in rebus flocci collocarent. Inprimis vero ridebat ineptos concionatores, quorum nulla ætas fuit unquam sterilis, vilissimum hominum genus, ex sacrarum literarum æstimatione, utpote qui infatuato sali, nullis profuturo usibus, cæno ipso viliores, comparentur. Nemo satis unquam admiretur ingenii illius acumen, quod vel inde apparet, quod in barbaro natus seculo, bonis tum literis, tum disciplinis pene è memoria hominum jam olim sublatis, in communi errore aut unus, aut certe inter paucissimos, saperet, tribus linguis, Latina, Græca, & Hebraica, nullo magistro, adeo exacte perdoctus, ut vel solus eas posset restituere. Atqui omnes alias disciplinas, quæ ad absolutum oratorem constituendum requiri solent, non tam didicisse, quam perdidicisse videbatur.

His adminiculis aggressus est sacrarum literarum studia, in quibus vel in ipsa juventute usque adeo eruditus evasit, ut eo de sacris aut rebus aut verbis serio ferente censuram, nihil, nisi forte inscitiæ fœcundæ morbo la-

borantibus, relinqui videretur, quod in illius dicto desiderare quis posset. Accesserat ea Hispanicæ linguæ peritia & facundia, quæ quibuscunque illius studiosissimis miraculo esset.

His inprimis præclaris dotibus suggestum adiit, atque in ea functione & prioris & nostræ ætatis clarissimos quosque citra ullam controversiam antecelluit. Eminebat in illo inter cæteras dotes mira quædam prudentia ad judicandum, ex multa illa eruditione, & ex longa rerum experientia, (videbatur enim veluti à specula quadam humana omnia negotia contemplari) inprimis vero ex exacta illa sacrarum literarum cognitione parta, in quibus, ceu in speculo quodam, res omnes tum divinas tum humanas certissime contemplabatur. Cum concionandum illi erat, (concionabatur vero ut plurimum, octavâ horâ) tantus erat populi concursus, ut quartâ, sæpe etiam tertia noctis hora vix in templo inveniretur commodus ad audiendum locus.

Atqui ex summa illa gratia, quam apud omnes (unis malignis hypocritis demptis) sibi comparabat, præter frugalem victum & bibliothecam mediocriter instructam, nullas omnino opes retulit, homo nimirum ab illis pestibus, quæ Ecclesiam Dei semper devastarunt, avaritia & ambitione prorsus alienus. Quum ad pinguem Canonicatum in Ecclesia *Toletana* vocaretur, ad conditionem, quam complures sui ordinis ipsam felicitatem existimarent, adeo non accurrit, ut eam potius contemnendo, ne suis quidem jocis abstinuerit.

Mortuo enim Episcopo *Uticensi*, qui in summo templo fuerat à concionibus, Capitulum Constantino eum honorem citra ullam controversiam, (*oppositionem* vulgo vocant,) decernens, *Hispali* eum honorifica legatione accersebat. Respondit ille haud multa deliberatione, se quidem ingentem ipsis habere gratiam, quod tanto se honore dignum æstimaverint, daturumque operam,

ne

ne in ingratum collocasse videantur. Cæterum parentum avorumque suorum ossa ante multos annos sepulta conquiescere, se vero nolle quicquam admittere, occasione cujus à sancta illa quiete interturbarentur. Ea fuit responsionis sententia, neque pluribus (credo) verbis.

Inciderant eo tempore acerrimæ controversiæ inter ipsum archiepiscopum *Siliceum*, piæ scilicet memoriæ, & Capitulum. Namque archiepiscopus, publicis etiam inustis notis, primoribus ex Capitulo, quod è Judæis originem alicunde ducerent, erat infensissimus: illi contra acerbæ injuriæ impatientes (ut erant alioqui viri honesti atque opibus clari) stolido episcopo, qui ex aratro & glebis, neque virtute, neque eruditione, sed (si ita dici licet) fortunæ potius temeritate ad summam totius Hispaniæ, secundum regem ipsum, dignitatem convolarat, publicæ pacis turbatori dirissima quæque moliebantur. Ea occasione neque à centum annis sepultis parcebatur, inquirente malo archiepiscopo, & quidem sub prætextu religionis, in parentes, avos, atavos canonicorum, eosque ad originum rationes pessimè è suis sepulchris revocante. Eas non minus impias quam stultas contentiones, ex sua ipsius vocatione occasione arrepta, *Constantinus* tempestive admodum illo conciso Laconismo perstringebat.

Eadem propemodum ratione & Canonicatum *Guenguensis* Ecclesiæ, opulentum, honorificum, in propria patria paulo ante contempserat. Quum primus omnium veræ pietatis notitiam invexisset *Hispalim*, tanta dexteritate veritatem proponebat, hypocritas religionis caupones subindicabat, urgebat, premebat, ut cum exitialem eum & sibi & regno suo adversarium persentiscerent, tamen, qua citra suum eximium pudorem illum accusarent, nulla videbatur ipsis justa relicta occasio. Oderant sane hominem odio ingenti atque acerbo, sed illo telas eorum omnes

mnes, qua pollebat, mira dexteritate præcidente, nulla apparebat opportunitas, qua virus suum omne in illum evomerent: neque tamen ob perpetuas illas insidias studium propagandæ lucis, quoad licebat, unquam remisit.

Contigit, haud dubie Dei providentia felicitati illius urbis benigne consulente, ut eodem tempore tribus viris doctissimis, *Constantino*, *Ægidio*, *Varquio*, qui & *Compluti* antea simul didicerant, magno consensu, imo vero, conatu uno pietatem propagantibus, Ecclesia illa frueretur. *Varquius* in Ecclesiæ cathedra prælegebat Evangelium Matthæi, quo absoluto, occepit Psalmos Davidicos. *Ægidius* assidue concionabatur, *Constantinus* minus quidem frequenter, sed haud minore cum fructu; atque in eo cursu perseverarunt, quousque tandem Deus duriora tempora ad ædificii cujusquam explorationem adducere constituit, ut *Varquius* quidem inter ipsas jam cum Inquisitione concertationes obiret supremum diem: *Constantinus* à Cæsare & filio Philippo ascitus Hispali discedere cogeretur: *Ægidius* vero solus in luporum dentibus relictus tragœdiæ à nobis suprà recitatæ argumentum dederit.

Reversus à Cæsare & ex aula Hispalim *Constantinus* post Doctoris *Ægidii* obitum ad interpellatum propagandæ lucis cursum, & prudentia & doctrina auctus, ex illa professione rediit, quem sane tanto animi ardore arripuit, quanto nunquam antea: neque populi universi studium erga illum & illius conciones merito suo erat minus. Contigerunt ei ex Capituli decreto conciones in summo templo secunda quaque feria alterius à reditu suo quadragesimæ, quas quum nondum ex adversa quadam valetudine confirmatus, imo adhuc ægrotus, admisisset, munus illud implere coactus est, delatus in templum viribusque adeo exhaustus, ut in medio concionis filo, uno atque altero limphati vini haustu vires ad pergendum in concione reficeret, novam neque

que unquam antea visam licentiam summa viri tum gratia, tum authoritate, qua pollebat excusante.

Prosperiorem nactus valetudinem, rationem iniit pii instituti promovendi omnium commodissimam, neque à quoquam unquam anteà tentatam. Namque Magister *Schobarius*, vir & doctrina & sanctitate in ea urbe conspicuus, cui ex Senatus decreto collegii puerorum (*domum doctrinæ* vulgo vocant) cura erat commendata, communicatis cum *Constantino* consiliis, publicam sacrarum literarum Prælectionem in eodem collegio instituit, translatis in victum prælectoris ad annos singulos eis proventibus, quos, se mortuo, impius quispiam Sacellanus fuisset devoraturus. Ad id munus delectus est CONSTANTINUS, qui rei inprimis salutari eximia sua illa eruditione auspicatum initium daret.

Accepit primo Salomonis libros, *Proverbia*, *Ecclesiasten*, & *Cantica canticorum*, atque his mirabili eruditione explicatis, librum *Jobi* est aggressus, quem ultra medium interpretando perduxit. Extant ipsius in hos libros *Prælectiones* omnes *manu scriptæ* opera Bab. diligentissimi cujusdam ex auditoribus exceptæ, quas cum vulgaverimus *a*), deprehenso quanto intervallo post se relinquat eos omnes, qui hactenus in eos libros quippiam ediderunt, de summa viri eruditione certius judicari poterit. Invidit demum urbi illi tantam felicitatem pessimus quispiam genius, qui speciosa amplioris pietatis larva contectus, ab illo salutari cursu hominem alioqui mire circunspectum primum avocavit, deinde eis difficultatibus implicuit, ex quibus nunquam postea, nisi una morte, emersit.

Vacabat per eos dies Canonicatus Concionalis, seu (ut vocant) Magistralis summi templi Hispalensis, post obitum Doctoris *Ægidii*, ad quem Capitulum libenter CONSTANTINUM admisisset, cui uni ob spectatis-

a) Quod tamen unquam factum fuisse non constat.

ſimas dotes, & ab ipſo Capitulo, imo & ab univerſa urbe, in ſuo vetere concionandi curriculo à longo tempore ſatis exploratas, deberi videbatur: at neque id licebat citra *oppoſitionem a*) (Capitulum enim poſt errorem electionis Doctoris Ægidii, ut in ipſo diximus, decreto caverat; ne citra conſueram & in omnibus Eccleſiis uſitatam oppoſitionem, cuiquam in poſterum illud munus deferretur) & Conſtantinus ejuſmodi oppoſitiones concionatorum, ut quæ circulatorum aut citharædorum concertationibus non admodum eſſent abſimiles, ſemper irriſerat.

Intercedebat præterea Archiepiſcopus Hiſpalenſis VALDESIUS, homo curialis, & ob ſecretiores quasdam cauſas *Conſtantino*, ab eo in primis tempore, quo in aula regia fuerat concionatus, & Cæſari familiaris, vehementer infenſus, qui, Capitulo de decreto illo ob Conſtantinum reſcindendo cogitante, decretum acriter urgebat. Igitur indicta eſt *Oppoſitio*, qua per celebriores Hiſpaniæ urbes divulgata, mox veluti vultures ad pingue cadaver nonnulli concionatores accurrerunt: ſed ſanioribus gratia atque authoritate Conſtantini ab illius congreſſu abſterritis, unus *Majuelus Complutenſis* Canonicus, & alter quidam *Malaccenſis*, pinguioris prædæ avidi, in congreſſu perſeverarunt.

Sed & ille, ſaniore recepta mente, *Complutum* paulo poſt eſt reverſus, *Malaccenſi*, Archiepiſcopi favore in odium *Conſtantini* pro virili ſublevato, pertinaciter in congreſſu perſeverante. Victus tandem authoritate Capituli CONSTANTINUS, nullum adhortationis genus erga eum omittentis, inprimis vero importunis tum ſua-

a) *Oppoſitionem* uti videtur tum vocabant Exercitia illa ſcholaſtica, quæ ſub *diſputationum* nomine venire conſueverunt, quæ pro loco, pro gradu, pro cathedra & ſim. fieri conſueverunt, quod ex ſequentibus quodammodo colligitur.

ſuaſionibus, tum precibus amici cujusdam, cui utinam nunquam tantum detuliſſet (quod ni feciſſet, fortaſſis adhuc in vivis extitiſſet) in animum induxit, ut conſueta Oppoſitionis forma Canonicatum peteret, qua una ceremonia, decreto integro, *Maluccenſis* excutebatur, & eo promoto Capitulum adverſus Archiepiſcopum fiebat voti compos.

Decepit *Conſtantinum*, tum zelus, ne doctrinæ ſedem loquutuleius quiſpiam occuparet, qui doctrinæ ſalutari perpetuo ex alto obganniret, tum ſpecies quædam amplioris ſpei inſtituti doctrinæ curſus commodius ex eo loco promovendi, potius, quam repræſentatæ in eo honore opes, quas generoſo animo ſæpe ante contempſerat. Igitur competitor & eruditione & authoritate, & ipſa demum gratia Capituli Conſtantino nullo modo comparandus, ad exceptiones perſonales conatus omnes convertens, ſuſcitavit ei ineptias omnes juventutis ſuæ, contracta videlicet, antequam ſacris initiaretur, matrimonia, neque rite ſacris initiatum, neque recte atque ordine Magiſterii & Doctoratus inſignia accepiſſe.

Premebat ex alio latere hypocritarum cohors, veteres hoſtes, quorum ut ex illa inauſpicata promotione invidiæ ulcus recrudeſcebat, ita etiam, renovatis omnibus veteribus de doctrina quæſtionibus, in jus ſerius, quam unquam antea, vocabant, idque apud Inquiſitorium tribunal, in quo Archiepiſcopus *Waldeſius* novus jam hoſtis ſumma authoritate præſidebat. Inter eas acres controverſias conſcendit demum cathedram CONSTANTINUS, Capituli favore innixus, atque eisdem maxime gliſcentibus, exorta eſt ſæva illa tempeſtas in illam Eccleſiam, occaſione librorum *Parvi Juliani a)*, de qua ſupra ſæpe mentionem fecimus.

In ea tempeſtate, qui abſcondi poterat CONSTANTINUS? Itaque raptus ad Inquiſitoriam arcem, etſi ex

a) vid. pag. 613.

ex controversiis præcedentibus omnium adversariorum animos habebat vehementer exulceratos, tamen acutissimis suis responsis omnes eorum cavillos facile, more suo, eludens, ad apertam fidei confessionem, ex qua periculum, ut ipsi exoptabant, crearetur, trahi non poterat: atque evasisset tandem, ut sæpe antea, ipsorum manus, ni mirabili quodam Providentiæ suæ artificio rotundam confessionem veritatis suæ, Deus ab invito & modis omnibus tergiversante extorsisset.

Capta fuit per eosdem sane dies vidua quædam pia atque honesta, & inprimis opulenta *Isabella* MARTINIA, apud quam Constantinus selectiorem librorum suorum suppellectilem, eos videlicet, qui citra præsentissimum periculum haberi in *Hispania* non possunt, propter Inquisitorum insidias, absconderat. Quum opes illius viduæ sequestrabantur, pro more Inquisitorio, filius ipsius *Franciscus Bertramus*, ex universa matris supellectile opulenta valde, subduxerat nescio quot arcas rebus pretiosioribus plenas, ne universæ opes in illo Inquisitionis gurgite inexplebili absumerentur.

Indicavit illud Inquisitoribus perfidus quidam servus post aliquot dies, itaque Inquisitores per alguazilium a) suum *Ludovicum Sotellium* res illas petitum miserunt. Is quum primum ad Bertramum venit, ut cœpit legationem suam modestis verbis exprimere, Bertramus arcarum forte oblitus, propter *Constantini libros* eum venisse ratus, illius sermonem antevertens, Scio, inquit, Domine Ludovice, quid velis: quod si bona fide pollicearis, iis acceptis, ob quæ venisti, me missum facturum, mox ea tibi ostendam.

Alguazilius de arcis intelligens, (libros enim Constantini neque quærebat, neque de eis quicquam audiverat) pollicetur se id facturum: atque illico Betramus in-

a) Est *Alguazil* vocabulum Hispanicum, quo apparitores judiciorum publicorum denotari solent, majoris tamen auctoritatis, quam apud nos ejusmodi solent esse apparitores.

introducto eo in secretissima amplissimarum ædium parte, ac diruto tenui quodam latericio muro, ostendit illi *Constantini thesauros papyraceos* quidem, sed qui cuivis auro præstarent. Alguazilius eo inexpectato eventu stupefactus, dicit, se quidem ea quæsitum non venisse, sed arcas aliquot, quas è Sequestro maternarum opum subduxisset: neque se data teneri fide, quominus & ipsum Bertramum & libros ad Inquisitores trahat, atque ita demum scripta omnia CONSTANTINI, quæ alicujus erant momenti, præter suam & adversariorum expectationem, qui prædam illam multo auro alioqui redemissent, è latebris illis in mediam lucem ad manus Inquisitorum pervenerunt.

Repertus est inter alia multa, ingens liber, propria Constantini ipsius manu totus conscriptus, in quo aperte, & veluti sibi ipsi modo scribens, de istis præcipue capitibus (ut ipsi Inquisitores in sua sententia in theatro postea pronuntiatâ retulerunt) agebat, nempe, *De statu Ecclesiæ. De vera Ecclesia*, & *de Ecclesia Papæ*, quem appellabat Antichristum. *De Eucharistiæ sacramento*, & de *Missæ invento:* qua de re asserebat, orbem fascinatum propter sacrarum literarum ignorantiam. *De Justificatione hominis.* De *igne Purgatorio*, quem appellabat lupinum caput, & monachorum inventum ob ventrem. *De Bullis*, & *Indulgentiis Papanis*, De *meritis hominum*, De *Confessione*, & de omnibus aliis demum Christianæ religionis capitibus.

Viso hoc libro, CONSTANTINUS interrogatus ab Inquisitoribus, an propriam manum agnosceret, quum per multos dies, conquisitis undique subterfugiis, conatus illorum elusisset, agnoscens porro Dei voluntatem quæ omnem tergiversandi amplius occasionem sibi præcidisset, „ agnosco (inquit) manum meam, ac proinde „ fateor, me ista omnia scripsisse, quæ & vera esse „ ingenue profiteor. Neque est, quod in conquirendis

 „ con-

„ contra me aliis testimoniis ultra laboretis: habetis hic
„ jam apertam atque copiosam sententiæ meæ confessi-
„ onem, agite ergo, & de me jam, prout magis libet,
„ constituite.

Egit postea in carcere biennium integrum, ubi ex pessima illa totius victus ratione homo alioqui ea in parte sui negligentissimus, inprimis vero ingenti ac plane inconsolabili mœrore confectus, tot tamque diuturnos suos & piorum sociorum labores, piissima illa Ecclesia adeo truculenter devastata, perire videns, ægrotare primum leviter cœpit, deinde, cum vehementem in illis fornacibus solis ardorem ferre non posset, ad interulam usque nudus diu noctuque esset, dysenteria correptus, intra quindecim dierum spatium in mediis illis sordibus felicem animam, & tali omnino dignam vitæ exitu, quam in strenue promovenda Christi gloria erogaverat, Christo reddidit.

Adfuit & ægrotanti & morienti pius quidam juvenis, monasterii D. *Isidori Hispalensis* Monachus, ob religionem captivus, qui ei fuerat datus carceris comes, *Ferdinandus* nomine. Insipientium quidem oculis visus est mori, at ille degit in pace. Atrocia illa tormenta, quibus alii ibi excarnificari solent, nunquam vidit: non quod truculentos illos cyclopes ullus subiret tanti viri respectus, quorum inprimis iram duris suis objurgationibus vel captivus sæpe in se concitaverat: sed, aut, quod in illorum perpetuum metum ac solicitudinem, qui ipsius doctrina quoquo modo profecerant, eum diutius captivum asservare constituentes, tormenta distulerant: aut certe, quod tam cito è manibus sibi eripiendum non cogitarunt.

Ad eum, quem diximus, metum discipulis incutiendum, quo perciti se ipsos proderent Inquisitoribus, antequam ab ipsis accerserentur, Inquisitoria scilicet misericordia freti, sparserant rumores, dum viveret, eum

eum vehementer tortum complures ex discipulis inter quæstiones indicasse: atque in hoc ipsum, qui dicerent, clamores & ejulatus torti se audivisse, nonnulli ex arcis vicinia subornati. Eo autem mortuo, & ex ipsorum manibus Dei providentia erepto, quum vivum, in quem sævirent, non haberent, in optimam sancti viri existimationem sævire decreverunt, frequentibus sparsis rumoribus, vitreis fragmentis scissa vena, ut dolorem atque ignominiam supplicii effugeret, *mortem sibi conscivisse a)*.

Decantata quoque fuere passim à pueris turpia atque ignominiosa carmina, post ejus obitum, in ipsius vituperationem, an ab ipsis Inquisitoribus, sive eorum assectis studiose procurata, an ab stolido & vario populo malitiose edita, nescitur. Illud sane verisimilius. Triumphi die exhumatum cadaver est eductum, & in demortui locum suffectum simulacrum stramineum suggesto impositum, altera manu erecta, altera suggestum tenens, tanto artificio fabrefactum, ut CONSTANTINUM eo habitu, quo concionari erat solitus, ad vivum repræsentaret. Neque dubium, quin inanis illa statua multorum animis æque efficaciter eo die concionata sit, atque is olim vivus, quem ad ludibrium referebat.

Quum publicanda fuit illius sententia, ad quam unam audiendam complures ex diversis ac remotis Hispaniæ locis *Hispalim* venerant, jusserunt Inquisitores, ne ea e suggesto, ubi aliorum sententiæ legebantur, vulgaretur: Sed allato ad ipsorum tribunal simulacro, ibi quoque sententia legeretur. Locus erat sublimis, neque populus, quæ legebantur, audire poterat. Id fraudulentum, aut certe iniquum visum est *Calderonio* Prætori curiali: quare sublata voce admonuit Inquisitores, ut sententia illa alto ac consueto loco legeretur, ut constaret populo, quibus de causis eum Virum damnarent.

Quum eo contempto, Inquisitores in instituto nihilomi-

a) vid. Nic. ANTONII Biblioth. Hispan. Tom. I. fol. 196.

lominus pergerent, exortum est ingens populi murmur, eam injuriam non admodum æquo animo patientis, neque omnino tulisset, ut videbatur, ni *Calderonio* rursus severiore voce commonefaciente officii Inquisitores, simulachrum illi in priorem locum restituissent, & sententiam jussissent legi alte ac consueto loco, quo universo populo id petenti fieret satis. Duravit sententiæ lectio amplius sesquihora, in qua illud erat præcipuum, quod ex libro Constantini supra retulimus. Addiderunt tamen Inquisitores, multa se consulto & bono scilicet consilio prætermisisse adeo horribilia, impia & stupenda, ut neque vulgari, neque audiri quidem possent citra piaculum. Consuluerunt (credo) bonæ existimationi illius.

Extant illius Scripta typis edita multoties, *Parva doctrinæ Christianæ summa a*). Item, *Magna*, sed dimidia sui parte imperfecta: duobus enim tomis constituerat tradere universum doctrinæ Christianæ corpus, In priore agebat *de Fide:* In altero acturus erat *de Symbolis*, *de Operibus*, ac demum de *universo Christiani hominis officio.* Primam partem jam ante annos aliquot ediderat, qua quod in materia *de Fide* Lutheranas hæreses non aperte fuisset insectatus, insuper Romano Pontifici nihil attribuisset, derogasset præterea potius Indulgentiis, Purgatorio, Meritis hominum, & aliis ejusmodi nugamentis, quam detulisset, multum sibi & invidiæ & suspicionis hæreseos apud doctorum & sanctorum vulgus sibi conciliavit.

Ipse vero ea quærentibus solebat respondere, ad alterum promissum tomum ea omnia pertinere, ibi se de eis rebus copiose tractaturum. Hic tomus nunquam exiit, nisi is fortassis fuerit, quem Inquisitores repererunt, cujus præcipua capita ab ipsis vulgata supra memi-

a) Dolendum est horum librorum nihil amplius superesse, aut in nostris oris esse cognitum.

minimus. Edidit præterea *Catechismum* haud magni momenti in locis liberioribus: at sub illa plusquam Babylonica tyrannide, & in illis tenebris Ægyptiis multum attulit lucis. Extant & *sex* illius *conciones* in totidem versus *Psalmi primi Davidis*, ex quibus & raram viri doctrinam cum summo dicendi artificio conjunctam eruditiores deprehendunt.

Sed in his omnibus, licet omnium, quæ hactenus *Hispania* legit, eruditissimis ac piis lucubrationibus, nihil est, quod cum una hominis peccatoris *Confessione* duorum aut trium foliorum, sive pietatem, sive sacrarum rerum peritiam, sive flumen illud Christianæ eloquentiæ, Christianis affectibus pro argumenti natura æstimans quis consideret.

„ Sistit enim hominem ad Dei tribunal, ministerio „ Legis apertis oculis fœditatem ac turpitudinem suam „ meditantem, ac vivis affectibus deplorantem: rejicientem deinde, quicquid humanis aut etiam creatis „ viribus aut industria, ad tam turpem nuditatem contegendam adducere solent hypocritæ, sibi in sua justitia „ blandientes. Dumque illud agit per universa legis capita, sigillatim dicta accusatione sui, tam dilucidam, „ luculentam atque copiosam legis totius brevissimo illo „ compendio explanationem edit, ut tam parvo editam „ volumine (quod citra cujusdam invidiam dictum volumus) dilucidiorem hactenus non viderimus. Vestit „ eum tandem nuptiali illa veste justitiæ Christi per „ fidem, qua una illum coram Deo eo reddit animosiorem, quo dejectiorem eundem antea depinxerat ex „ vera illa atque penitissima cognitione sui.

Denique nullus est Christianæ doctrinæ locus, quem in illa perbrevi tabula non attigerit, ad usumque reduxerit: nullus Christiani hominis affectus ab ipso primo legis officio ad postremos usque cœlestis doni gustus, quem ad vivum non expresserit: neque ingenium, quan-

tumvis mirabile cum exquisito artificio ad id effingendum unquam fuisset satis, nisi ipsa quoque earum rerum frequens experientia accessisset.

Eos libros omnes æterna sane memoria dignos à se, incautis licet, antea probatos, damnarunt tum Inquisitores, non quod quicquam in eis deprehenderint, ut in sua sententia testati sunt, damnatione dignum, sed ne quicquam extet, quod execratam per eos scilicet hominis memoriam honestiore quopiam monumento à se relicto in posterum cohonestet. Sævitum deinde in sicca & exhumata sancti viri ossa, & in inane illud simulachrum, Inquisitorio more.

Ipse vero è catenis & iniquissimo illo judicio ad Deum sublatus, præter insignia atque immortalia illa, quæ jam diximus, monumenta, iis, qui eum propius agnoverunt, inconsolabile quoddam reliquit desiderium sui. O millies detestanda Barbaries, quum restituere unquam non possis, ecquid tandem orbi pendes pro tot clarissimis luminibus à te extinctis!

Num. II.

Petri MARTYRIS a) Epistolarum ΟΓΔΟΑΣ ex MSS.

A.

Ad Joh. UTENHOVIUM *Cantuarii* in ædibus Reverendissimi.

Gratias agit pro suppeditato argento, idque remittit. Ad Ponetum *se scripsisse refert.* Julium *suum de brachio luxato dolet.*

S. D. Quando certi nuntii oblata est occasio, & quo modo res nostræ habeant, significare, & pe-

a] Has Epistolas P. MARTYRIS ad Virum Nobilem ac pium

pecuniolam à Te mutuo acceptam reddere, judicavi opportunum. Accipies itaque ab hoc bono Viro tres Gallicos coronatos, cum probati auri, tum justi ponderis; sed una curare debueram, ut gratias Tibi cumulatissimas agerem: sed quia sum in scribendis literis, nec minus in ceteris rebus (ut loquitur Horatius) rusticus, anormis, & crassæ, ut ajunt, Minervæ, supersedeo, ne gratias, quas animo Tibi ago, jucundas, candidas & ingentes, cum tentavero sermone declarare, illas à me habeas insuaves, obscuras, & parvas; quam ob rem eris contentus, non quidem his literis eas cognoscere, sed in animi mei tabulis, quoties visum fuerit, legere, ubi illas videbis, quales Tibi à me deberi nunquam obliviscar.

Hoc nostrum oppidum adhuc immune est a peste, quare Deo favente, cum tota familia belle habeo; vobis quoque paria concedi & cuperem, & libentissime cognoscerem. Ideo si nos amas rescribere non intermittes, & de vestra omnium valetudine significabis, & de pecunia recepta certiores facies.

Ad Dominum Doctorem *Ponetum* *), uti à me petieras, literas dedi, nec sane frigidas, quare velim, ut cum eum interdum videris, meo nomine salutes.

*Ju-*nium Joh. UTENHOVIUM Ecclesiæ peregrinor. Londin. Presbyterum, cujus in Historia Reformationis (v. *Hist. nost. Ref. Belg.* p. 224 &seq.) satis notum est nomen, debemus Archivo Eccles. Belg. apud Londinenses, ubi in Fasciculo literarum sub lit. L. reperiuntur fol. 25. 27. 29. 31. 33. 35. 39 Sed, quæ hic loco quarto D. extat, ad Henr. *Bullingerum*, nobis benevole communicata est, ex Archivis Tigurinis à Viro Summe Rev. Jo. Jac. BREITINGERO, ex cujus apographo eadem hic legitur.

*) Johannes PONETUS erat Theologiæ doctor ac Episcopus Roffensis, deinceps Wintoniensis, ac singularis Reformationis Ecclesiasticæ Fautor ac Promotor, de quo GODWINUS in Opere de Præsulibus Angliæ. conf. BAYLE diction, Tom. III, v. *Poinet*.

Julius a) ad te ſcribendi ſatis eſt cupidus, ſed brachio invito ei non licuit. Satis veremur, oſſa non fuiſſe illi bene ad cubitum aptata: non enim convaluit, & forſan opus fuerit, denuo illum torqueri. Nimirum quoad ſuo loco reponantur luxata. Non tamen adeo propterea frangitur animo, ut perturbetur mente, ut amicorum obliviſcatur; ſed plurimam ſalutem voluit ut ſuo nomine Tibi impartirem. Quod idem ut facerem uxor juſſit. In ſumma te omneſque ſanctos, quos Tecum habes, optamus in Domino bene valere. Nil vero gratius aut jucundius facere nobis omnibus poteris, quam ut ſubinde ſcribas, quo pacto res veſtræ habeant. Oxonii 21. Septembris 1548. Tuus ex animo

PETRUS MARTYR.

B.

Ad EUNDEM, ibid.

Valerandi *cauſam ſe ſuſcepturum promittit. Apud* Oxonienſes *de religione nondum quicquam erat definitum.* Londinenſes *conciones privatas laudat, atque de* Eccleſia *rite conſtituenda monet.* Franciſcum *& Dominum de* Valwich *ſalutat ſuo &* Julii *nomine.*

S. D. Literas Tuas, Vir optime, ſero admodum accepi, nimirum 14. Januarii, quare ne *quæſo* expoſtules, quod ad Te reſcribere tamdiu diſtulerim. Citius id ſane feciſſem, ſi prius literæ fuiſſent redditæ. Neque debes mirari, me Tibi, ut debui, gratias egiſſe pro pecunia mutuo accepta, quia id mei fuit officii, ut non eſſem beneficii accepti immemor. Deteſtatur ubi-

a) Is eſt *Julius Terentianus* natione Italus, quique cum *Petro Martyre* patria relicta in Angliam venerat. Ejus extat epiſtola ad *Johannem* quendam, forte *Utenhovium* noſtrum, A. 1553. ſcripta, & inſerta *Centuriæ Epp. à Reform. ſcriptar.* quam edidit J. C. FUESSLINUS n. LXXVI. p. 304. ſqq.

ubique Scriptura ingratos, & quod in aliis, quoque piorum hominum non libenter videt, ne ipse idem faciat, summopere cavere debet.

De *Valerando*, quem mihi commendas, operam dabo, ne frustra id fecisse videaris; verum nil certi polliceri possum. Nam in præsentia Oxonii nullas conditiones video. Cum tamen propediem futurus sit apud nos hujus Academiæ Cancellarius, negotium cum illo, quanta cum diligentia potero, conferam, & quid effecerim, significabo; quod ferme idem scripsi ad eundem *Valerandum a*); rogo autem, ut literas ad eum perferri cures, nisi forte sit apud Te.

Quod oras, ut de rebus, quantum ego arbitror, pertinentibus ad Religionem, scribam, quomodo habeant, cum aliquid certi audivero, libentissime faciam. Adhuc nil scio esse definitum, sed omnes, qui rem propius valent agnoscere, jubent ut bono simus animo, spemque faciunt, rem quam optime successuram. Det Dominus, ut id & cito & pacate contingat. Reverendissimus noster & strenue, & maxima cum laude bonorum pugnat. Quod autem vos & conciones intra parietes habeatis, & conventus piorum quandoque sint, non possum non vehementer gaudere. Faxit Deus, ut istorum bonorum videamus quandoque justas accessiones. Neque dubito, diabolum invidere istis initiis, verum cum tu in hac militia sis jam veteranus, impetrabis tua fide & sollicita cura, ne de ovibus lupus victor triumphet. Nil difficilius in mundo esse video, quam Ecclesiam fundare. Lapides frequenter sunt rudes & admodum impoliti: unde nisi Spiritu, verbo & sanctæ vitæ exemplis red-

a) *Valerandum* intelligit *Pollanum*, cujus in Historia Eccles. Civit. Francofurtanæ notum est nomen, fuit enim V. D. M. ac cœtus Reformati apud Francofurtanos Pastor, sed qui tum in Anglia versabatur: Estque is qui edidit *Acta disputationis Londinensis* 1553. quæ inserta leguntur huic Scrinio nostro T. III. P. I. pag. 163. sq.

dantur plani & læves, non possunt facile simul coalescere. Det Dominus, ut inter nos recte plantetur vinea, quæ fructum demum producat & hominibus & Deo suavem.

Fratres meo nomine salutes, potissimum *Franciscum a)*, quem ut dolui ægrotasse; ita jam mihi persuadeo convaluisse. Deinde etiam Dominum *Valwich* & nomine meo & nomine uxoris meæ salvere jubeas, nec minus uxorem ejus. Oratque mea, ut suas literas meis conjunctas reddendas cures *Valerando*, & plurimum Te salutat, atque *Franciscum*, quod idem facit & noster *Julius*. Oxonii 15. Januarii 1549.

C.

Ad EUNDEM.

Se minus valere refert. Dryandri *causam suscipit. Secundas nuptias à se amolitur.* Julio *uxorem destinat.* Lascum *&* Micronium *salvere jubet.*

S. D. Ad suavissimas literas Tuas, mi dulcissime in Christo frater, pauca rescribere cogor per valetudinem: nam ab aliquot diebus dolor lateris, difficultas spirandi, tussis & quotidiana febricula me perpetuo vexant. Proinde brevitatem hanc boni consules. De adolescente illo *b)* nihil muto, conditiones manent, veniat cum voluerit, experiri poterit; si fortuna placebit, utetur; sin minus, semper redire poterit, quocunque voluerit. Nec eum (ut arbitror) pœnitebit, hanc urbem & universitatem semel vidisse. Quodvero ad eruditionem & doctrinam ejus, quam commendas, gaudeo plu-

a) Is procul omni dubio est *Franciscus* DRYANDER, de quo in *Historia Reform. Belgicæ* à nobis est actum § LI. pag. 165—172.

b) Adolescens ille p. d. est idem ille *Franciscus Dyrander* à Melanchthone inprimis commendatus.

plurimum; ut enim doctior fuerit & eruditior, magis ejus conversatione recreabor.

At de novis nuptiis propter vitæ varias necessitates ineundis, plurimum Tibi, optime frater, & debeo, & gratias ago, videsque niveum candorem Tui christiani pectoris nihil aliud quam charitatem Evangelicam spirare: velles enim omnibus bene prospectum. Quis talem animum in Christo non amplectatur (ut dicitur) ambabus? Quam ob rem ne quæso suspiceris me offendi, quod de re hujus generis mecum egeris. Homo enim sum atque Christianus, unde nullum humanum consilium atque Christianum non possum non boni consulere. Nunc vero mei propositi rationem accipito. Si proles mihi esset, & quidem tenera & numerosa, ut Domino *à Lasco* Viro Dei est, absque uxore nullo modo esse velim: quare quod ille fecit & commendo & probo vehementer. Ast, ego cum sim orbus, ætate jam grandiori, & ut hoc anno experior, corpore affecto, melius esse judico, ut quemadmodum sum, permaneam.

Julio autem, quem ut filium habeo, dare uxorem cogito, quo ab illis mea hæc senectus foveatur. Dabo autem illi ancillam dulcissimæ conjugis defunctæ; cui etiam, dum vivebat, placuit, ut hoc anno jungerentur matrimonio. Quod igitur illa statuit de his duobus, ego sequar, & curabo, ut ad proximum Johannis festum, si concedetur, hæ nuptiæ fiant. Habes itaque meorum consiliorum summam. Dominum *à Lasco* meo nomine salutabis amantissime: nec non Dominum *Martinum a*), Ecclesiæ nostræ concionatorem. *Julius* & *Henricus* Te quoque plurimum salutant. Oxonii 9 Maji. Vale, in Domino feliciter vivas, & me, ut facis, ama.

D.

a) Martinum MICRONIUM; intelligit, de quo in *Hist. Ref. Belg.* pag. 134 conf. BERTRAM. in Parergis Oostfrisius. pag. 133. sq.

D.
Ad Henr. BULLINGERUM
Tiguri.

De Joh. à Lafco *ex Anglia* in Daniam *peregrinatione, ejusque poſt varios caſus in* Friſiam *appulſu. De duplici apud* Emdanos *eccleſia peregrinorum, altera* Anglica, *altera* Gallica. *De* Angliæ *ſtatu ſub initium Regni* Mariæ. *Quid Evangelici armata manu petant à Regina? Exules quidam Angli* Argentoratum *petierunt.*

S. D. Binis tuis jam ad me ſcripſiſti, Vir Clariſſime, ut ſi quid haberem de optimo Viro atque chariſſimo in Chriſto fratre Dn. à LASCO tibi ſtatim ſignificarem, neque te paterer ignorare quæ ad nos *de rebus Anglicis* afferrentur: Quare cum habeam, quæ de his nuntiem, ut ea jam nunc ad te ſcriberem differendum non cenſui. Iverat noſter *à Laſco*, quemadmodum ſignificaveram, cum ſuis peregrinis in *Daniam*, ſed ibi ſatis male, ne barbare dixerim, fuit acceptus: non quidem, ut exiſtimo, culpa Regis, at Doctorum & Miniſtrorum Eccleſiæ, quorum denique concionibus & impulſu ex illo Regno cum ſuis ejectus eſt. Nec dubites illos homines rei Sacramentariæ cauſa nos habere deteriori loco quam Papiſtas. Cæterum Deus, qui nunquam ſuos deſerit, curavit, ut ille Vir Dei cum ſuis omnibus in *Phryſia* ſummo exciperetur honore: Ubi Princeps illa proceſſit eis obviam, largiſſimis eleemoſynis recreavit, curavitque ut *Hemdæ* duas liceret haberi *peregrinorum Eccleſias*, unam ſane *Anglicam*, alteram vero *Gallicam*: Sed ibi ferme per omnia loca error *Schwenkfeldii* crudeliſſime graſſatur. Hæc de fratre noſtro Dn. *à Laſco.*

Nunc de *Anglia.* Infenſus adeo eſt populus Reginæ, præſertim ob Hiſpanicum matrimonium ut in validam con-

conſpirationem eruperit: Exercitus jam eſt collectus viginti millium citra equites: occuparunt univerſum *Cantium*, una cum illius regionis *Cantianæ* portubus, ac naves tormentis bellicis expoliarunt, quibus nunc in caſtris utuntur: Præterea Ducem ſibi delegerunt non ſolum ſtrenuum, ſed rei militaris peritiſſimum: Progreſſi jam ſunt usque *Londinum*, Vintonienſis domum obtinent, neque multum diſtant ab ædibus Domini Cantuarienſis quæ ſunt ad Lambeth. *Londini* portas, cum veniſſent ad pontem, invenerunt clauſas. Non ſane quod Londinenſes a ſenſu iſtorum armorum abhorreant; ſed timuerunt ne diriperentur, vel a Regina vel ab exercitu conjuratorum. Qui ſunt in caſtris, tria petunt a Regina. I. Ut Rex deligatur Anglici ſanguinis. II. Ut Religio, quæ vigebat ſub Eduardo, nunc quoque valeat. III. Ut Paſcua communia, quæ a potentioribus jam fuerunt uſurpata, reſtituantur. Et obſides petunt, ut iſta ſerventur, Epiſcopum Vinthonienſem & Dominum Paggettum. Atque in hac ſua expeditione bene magnum numerum Sacrificorum ſuſpenderunt. Civitas Londinenſis eſt in magno periculo, quæ ſi diriperetur, quod avertat Deus, non poſſent illi mercatores naufragium facere, quin ſecum infinitorum quodammodo calamitatem traherent. Scribitur præterea Imperator Antuerpiæ omnia bona mercatorum Angliæ prohibuiſſe ne diſtraherentur, vel alio transferrentur. Ad nos huc ſuperioribus diebus permulti Juvenes Angli venerunt, partim *Oxonienſes* partim *Cantabrigienſes*, quos hic alent in literis multi pii mercatores, ut ſi quando illi regno Deus Religionis priſtinum ſtatum reſtituere dignatus fuerit, Eccleſiæ Anglicanæ uſui eſſe poſſint. Hæc habui quæ ſcriberem: Deus te incolumem diutiſſime ſervet. Salutat te D. *Zancus*. Ego vero meo nomine ſalutem omnibus veſtris Symmyſtis dici cupio 24. februarii. 1554. Argentinæ.

E.

Ad Joh. UTENHOVIUM. Emdæ.

Argentinensis *Ecclesiæ status delineatur*. Petri Alexandri *ministerium laudatur. In locum* C. Pellicani, *apud* Tigurinos *vocatus* Martyr, *animi mentem declarat.* Jo à Lasco *colloquium* Wurtembergicum *urget*, *sed incassum.*

S. Quæris tuis literis, Charissime in Christo frater, quo loco res nostræ sint. Paucis, quod rogas, expediam. Se habent eodem modo, quo eas, cum in Anglia essemus, audivimus. *Interim* quod à Cæsare obtrusum *a*) fuit, retinetur; In summo Templo & duobus aliis, Petri inquam junioris & senioris, Missas habent & sacrificos Papisticos. In ceteris vero templis pristini sunt Ministri, quos hic reliquisti, solitamque Religionem profitentur.

Clamarunt & clamant quotidie adversus Magistratum, qui Ecclesiam non repurget Missa & Papistica superstitione. Sed huc usque frustra. Debachantur præterea in sacramentarios, & eorum sententiam pro viribus insectantur. In Ecclesia Gallica D *Petrus Alexander Garnerio* successit. Puram doctrinam de Sacramentis, quam nos profitemur, audacter docet. Aliquamdiu turbata fuit illa Ecclesia; sed nunc Deo gratia, satis pacata est. Ego vero sum hucusque in docendo functus meo munere.

Nunc autem, quia *Tiguri* mortuus est piæ memoriæ bonus senex *Conradus Pellicanus*, ea schola, Ecclesia & senatus, ejus *b*) loco me delegerunt, scripseruntque literas

a) de Libro *Interim* à Cæsare Argentinensibus obtruso conf. SLEIDAN Lib. XXI.

b) Conf. quæ in vita *P. Martyris* sunt annotata in *Scrinio* hoc *antiquar*. T. III. P. I. pag. 40. &seq.

teras ad nostrum Magistratum, ut me sibi permitteret, qui vix magnaque difficultate adduci potest, ut me dimittat; neque sane id faceret, nisi ego ipse missionem flagitarem. Petiit spatium mensis ad deliberandum. Causa vero, cur ego, hac oblata occasione tantopere abire cupiam, est, quod in doctrina præsertim sacramentaria consensum desidero, & in Ecclesia hic Germanica & Schola illum despero; non tamen adhuc sum dimissus.

Dominus à *Laseo* profectus est Francfordia *c*) usque ad Electorem *Palatinum* & Ducem *Wirtembergensem*; satagit pro aliquo virorum doctorum Colloquio impetrando, sed meo judicio intempestive ac sine fructu. Quo enim magis hæc ambiuntur, animi adversariorum magis exasperantur. Deum tamen oro, ut bene vertat: Habes jam de rebus nostris; id modo superest, ut mei non obliviscaris in Tuis precibus: roges quæso Deum, ut nil me sinat committere, quod suæ gloriæ & ædificationi Ecclesiæ adversetur. Saluta omnes fratres meo nomine. Argentinæ 1556. 7. Junii.

F.

Ad EUNDEM. In *Polonia* apud *Dnum* à Lasco.

De rebus Polonicis *sciendi cupidum prodit animum.* Tigurinæ *scholæ statum aperit. De abrupto colloquio* Wormatiensi *conqueritur.* Saxoniæ *inferioris discordias luget, veretur ne minus prospere cedant* Polonica. *De* Anglicis *rebus & de* Gallicis *quædam monet.* Hispanos *multos* Genevam *se recipere refert, ac ecclesiarum* Pedemontanarum *constantiam laudat. Res quasdam publicas commemorat.*

Pppp 2 S. D.

c) conf. Jo. à LASCO Ep. n. LIX. LX. & LXI. in *Scrin. antiq.* T. II. P. II. p. 721. sq.

S. D. Non dubito, Generose Domine, atque Charissime in Christo frater, & pergrave Tibi esse, & mirum videri, quod à me tam raras literas accipias, quum ego quoque non parum fructus ex eadem re amitto. Nam hic de Te ac de negotiis istius regni quoad Religionem, dum parum aut nihil audio, animo sum admodum suspenso, quod incredibili desiderio tenear, ut ista *Sarmatica* natio ad Evangelii puritatem atque sinceritatem adspiret. Sed locorum intervallo plurimum distamus; neque fidorum tabellariorum facile datur copia. Scripsi per Burcherum Anglum ista hyeme. Is vero absque Tuis huc rediit; verum id propterea existimo factum, quod jam, ut ferebatur, in Prussiam concesseratis. Utinam Deus optimus Maximus tantorum laborum atque itinerum expectatum optatumque fructum ad Ecclesiam redire faciat. Quoniam igitur licet & potes, rogo Te per nostram veterem amicitiam atque charitatem, qua una cum Christo jungimur, ut ad me scribas. Etenim Tuis literis mirifice recreor, ut quæ non sint inanes, sed justum pondus habeant; & de iis, quas ad me misisti, gratias, quantas possum, ago.

Res hic apud nos Dei beneficio tranquillæ sunt. Et quoad Ecclesiam & scholam attinet, solito more vivimus. Infaustum *colloquium Wormatiense a)*, quod ut nosti, sinistrum admodum exitum habuit, aliqui omnibus modis cuperent instaurari; sed ratio vix inveniri potest. Et verendum est, ne diffidia non parva in Ecclesia oriantur. Jacta sunt ab illo malo homine semina. Proinde cum datur tempus, invocandus est Dominus noster Jesus Christus, ut à suo pusillo grege aver-

a) De eo Colloquio, quod partim ob componendas lites inter Pontificios & Evangelicos, partim ob consociandos inter se Protestantes, qui in causa adiaphoristica, eucharistica & sim. dissentiebant, est habitum. vid. MELANCHTH. in *Consil. Theolog.* à Pezelio editis p. 295. 302. 310. 315.

avertat ſcandala. Inferioris Germaniæ *b*) partes variis multiplicibusque ardent hæreſibus & phantaſiis inauditis diſcinduntur. Nec Italia, ut audio, tolerabilius habet; & ſane ita neceſſe eſt, ut omnes ex Chriſtiani orbis partibus habeant, in quibus Evangelii publicum miniſterium non extat. Ibi enim quisque inventa ſua pro libidine hoſtiatim docet.

Audivimus etiam, proh! dolor, & veſtras ditiones variis modis infeſtari. Chriſtus gratia ſua vobis adſit, & cito conterat Satanam ſub pedibus veſtris. *Anglia* non lenius, quam cum in iis regionibus eras, quoad Religionem premitur. Populus autem *Galliæ* tam Evangelii ſtudioſus eſt, ut in dies mirificæ fiant acceſſiones fratrum; & pauca ſunt admodum loca, ubi non ſint verbi Dei miniſtri, & ſacri habeantur conventus. Et incredibile dictu eſt, quam copioſe atque uberrime ſub cruce creſcat Eccleſia.

Quin & *Hiſpani*, ac ii docti & probi viri, turmatim *Genevam* confluunt *c*). In vallibus item *Pedemontanis* verſus *Italiam* ingens numerus fratrum in fidei publica confeſſione perſeverat, quibus diu noctuque Gallici Regis gladius imminet: perpetuo enim illis minatur, niſi à propoſito receſſerint, ſe cum illis acturum, ut Pater contra Waldenſes. Deus primitiarum ſuarum miſereatur. Et ſi oportet ita fieri, ſacrificium earum magna ſuaveolentia odoretur.

Non adhuc bella ſunt compoſita. De pace diu tractatum eſt; ſed qui poſſit coaleſcere, ratio non invenitur. Tanta eſt utriusque partis ambitio. Inter Helvetios miles à Gallo conſcriptus eſt; ſed non adhuc pro-

 fici-

b) Reſpicit procul dubio illam *Ubiquitiſticam*, quam ea tempeſtate Theologici Saxonici *Hamburgenſes*, *Bremenſes*, *Brunsvicenſes*, *Luneburgenſes*, inſtruebant controverſiam.

c) Conf. quæ in GONSALVI tractatu ea de re commemorantur in hujus *Scrinii* pag. 617.

ficiſcitur, quod inter duos Reges de pace rurſus tractetur. Utinam in caput Evangelicorum malis Papæ artibus non conſpirent. Filius Lantgravii magno cum equitatu tranſivit ad Gallum: quod idem fecit Dux Luneburgenſis. In Italia Ferrarienſis princeps & Farneſius pacem fecerunt. Papa ſævit ut nunquam magis. In Gallia nuptiæ celebratæ ſunt magno ſumtu atque ſplendore inter Delphinum & Reginam Scotiæ. Hic eſt rerum ſtatus. Noſtri omnes Te plurimum ſalutant, nominatimque D. *Bullingerus*, & meus *Julius*. Valeto, & in Chriſto feliciter vivas, meumque miniſterium Tuis precibus juvato 10 Junii, Tiguri 1558.

G.

EIDEM. In Polonia.

De ſucceſſu Evangelii in Polonia lætatur, *de* Angliæ *ſtatu felici, ſuoque adverſus* Gardinerum *Opere quædam refert. de Evangelio ejusque* in Scotia *curſu felici. De* Philippo Hiſpaniæ, *& ejus edicto pro ſublatione Inquiſitionis Hiſpalenſis.*

S. D. Mi Utenhovi, amice ſuaviſſime, atque Frater in Chriſto percolende. Me poſtremæ Tuæ literæ, more aliarum, magnopere oblectarunt. Quis enim bene Chriſtianus ad iſta nova non exhilaretur? Si de una perdita ovicula tantum gaudium eſt angelis Dei; quid nobis par eſt ut ſit voluptatis, de tot provinciis tantoque regno, uti eſt *Polonia*, ſi, ut ſpem facitis, ad veram Chriſti Religionem convertatur? Deus hoc tempore videtur undique regnum ſuum velle proferre.

De *Anglia* ſcripſi ad Dominum à LASCO, quomodo res habeat. Scio, ambo gaudebitis, & gratulabimini Chriſto ejusmodi acceſſiones: nam illi regno uterque veſtrum egregie favet. Miſi quoque ad vos partem libri

bri mei, qui jam imprimitur, quo confutavi *Gardineri* olim Vinthonienſis Epiſcopi fallacias, captiones & ſophismata *de re Eucharistica*. Tibi fortaſſe magis quam *Dno.* à *Laſco* vacabit legere; quare te rogatum velim, ut quo major fructus ad Eccleſiam redeat, agas cum veſtris Bibliopolis, ut in proximo Francoſurdienſi mercatu ſibi exemplaria, quot videbitur, parent, quæ per iſtud regnum diſtrahant. Cæterum hujus totius rei Tu judicium facias. Ipſum vero librum novæ Reginæ Angliæ dedicare ſtatui. Nos continuatis precibus Deum oramus, ut regna iſta *Poloniæ* atque *Angliæ* Chriſto Filio ſuo vendicet.

Sed cum Domino à Laſco non ſignificavi de *Regno Scotorum*: hæc Tu illi meo nomine referas. Populum ibi jam Evangelium habere: ſunt enim ibi publicæ conciones, & juſtum ſacramentorum miniſterium. Non tamen hæc illis publicis legibus data ſunt, aut Reginæ voluntate; ſed ipſe populus magno conſenſu ſibi uſurpavit. Quin primo Septembris die, cum *Hedimburgi* ſolemnis de more proceſſio haberetur, *a*) qua circumferebatur per urbem idolum præcipuum civitatis, cujusdam *Ægidii*, quod & ipſa Regina cum aliquot proceribus comitabatur, excitatus eſt populus, univerſamque illam pompam diſſolverunt, & idolum in publicam civitatis cloacam detruſerunt. Regina ſe in arcem cum proceribus ſubduxerunt. Populus autem ad Regem Galliæ ſcribi curavit, ſe omnino velle puram ſequi religionem, quod ſi eis concedatur, quieſcent; ſin minus, teſtantur ſeſe conjuncturos cum Anglis. Hæc de Scotis.

Rex item *Philippus* dicitur in civitate *Hiſpaniæ* quæ appellatur *Vagliaduli*, timens aliquam ſeditionem, edictum propoſuiſſe, ut nemo ab Inquiſitione Religionis cauſa occidatur: & putant in Flandria idem brevi faciendum. Vide, frater in Chriſto chariſſime, quantum jam

a) Conf. BUCHANAN. rer. Scoticar. Lib. XV. c. XX. p. m. 563.

jam ostium Evangelio aperiatur. Taceo, numerum fratrum in *Gallia* quotidie augeri. Taceo, quod mortuo *Brunsvicensi* Duce successit Filius, qui Evangelium suscepit. Sequantur & *Poloni* hæc exempla, nec diutius cunctentur. Vale, ac me, ut facis, in Christo ama. Tiguri; 7. Januarii 1559.

H.

EIDEM. In Polonia.

De prospero Evangelii in Polonia *successu, de paucitate verè credentium conqueritur. Hortatur ad constantiam. Se commentarium* in Ep. ad Rom. *& opus adversus* Gardinerum *edidisse tradit.*

S. D. Equidem, Vir Generose, atque charissime in Christo Frater, mihique pluribus nominibus observande, cum ante paucos dies à *Sebastiano*, *Dni* Johannis à Lasco famulo, Tuas literas acceperim, & ad eas jam responderim; jam nunc rursus aliæ mihi & fratribus redditæ sunt, per hunc *Johannem Lusensky* servum Dei, & Ecclesiæ Christi fidelem ministrum. Fuerunt sane quod ad me attinet, jucunda nec non acceptissima, quæ scribis, nec satis possum, ut promeretur, officium istud tuum crebro scribendi, laudare: quod sane tanto mihi gratius est, quanto in Tuis literis non vulgaria & humana lego, quæ solent amici locis dissiti sibi mutuo communicare sed res gravissimas, quæ nimirum ad Regni Dei justam sanctamque amplificationem attinent, quam in dies promoveri ut est optabile, atque omnibus animi viribus expetendum, ita cum eam audimus lætos ac bonos habere successus, non possumus, quotquot sumus Domini gloriæ studiosi, non mirifice lætari. Quare de iis omnibus cumprimis gratias Deo agimus, eumque indefesse rogamus & obsecramus ut

ut opus ſuum, quod in iſto regno manu ſua potenti atque plus quam mira virtute cœpit, augeat, fortunet, ac denique Spiritu ſuo ſancto abſolvat.

Eſt enim cordibus Filiorum Dei moleſtia & dolor incredibilis, perpetuo intueri, Antichriſti regnum, Mahumedis gravem tyrannidem, Atheorum infinitam propemodum turbam, & numerum jam fere incredibilem aliarum ſectarum, ita creviſſe, imo quotidie augeri, ut orbem propemodum totum ſuis deliriis, amentiis ac furoribus compleverint: è diverſo autem Veritatis doctrinam, & Evangelium Jeſu Chriſti Filii Dei ad tam paucos recidiſſe, & ad anguſtos, obſcuros, parvosque angulos mundi quodammodo redactum. Juſtus utique Dominus eſt: nam peccata noſtra tum hoc tum longe graviora damna & mala commeruerunt. At, ceu, quod jam commemoravi, piis durum eſt, & quodammodo intolerabile ſpectaculum, ſic viciſſim melle quovis dulci longe dulcius eſt, cum videre, tum audire puri ſincerique Chriſtianiſmi veritatem diuturno poſtliminio revocari, atque id in iis regionibus, ubi minor olim ſpes divinæ hujus inſtaurationis affulgebat. Benedictus itaque Deus in donis ſuis.

Tu vero, chariſſime in Chriſto Frater, quamvis Papiſtarum malitia & fraudibus Comitia regni differuntur, quamvis mille (nedum unius) Cardinalium potentia, doli, gratia & auctoritas ſeſe opponunt, adverſantur & fremunt, ne timeas; non eſt ſapientia, non eſt conſilium adverſus Dominum. Ipſe de cœlis irridebit eos, qui poteſt & ſolet ſapientes in aſtutia eorum comprehendere. Is enim turrim olim Babel nullo negotio eſt demolitus, Ægyptum percuſſit horrendis plagis, Hebræos in captivitatem abduxit & reduxit; neque illius potentiſſimo brachio quisquam ſe unquam oppoſuit, qui ſe perverſe feciſſe magno ſuo malo tandem non ſenſerit. Unum ego hic tantummodo periculum video

à nobis ipſis, id autem eſt, ne ad credendum fideliſſimo Deo corde tardo ac duro ſimus, aut ſi quoquomodo crediderimus, de munere divinitus accepto ſimus ingrati. Dignetur Deus, quæ ipſius clementia & bonitas eſt, à ſua Eccleſia hujuſcemodi peſtes avertere.

De noſtris rebus quod ſcribam, non habeo. Hic pacate ſatis & tranquille vivimus. Ego meo modo ac more doceo. Edidi *Commentarios in Epistolam ad Romanos*; & nunc habeo ſub prelo *Defenſionem adverſus*, *Stephanum Gardinerum olim Vintbonienſem Epiſcopum* Anglum De negotio Euchariſtico, liber eſt bene magnus, atque uti ſpero, univerſam rem dilucide complectetur. Hic Te omnes ſalutant, & præſertim *Julius* meus cum uxore. Tu bene valeto, Chriſtoque feliciter vivas, atque mei ne oblivifcaris, cum ad Deum preces Tuas effundis. Domino quoque *Sabino* Italo, ſi eum videris, meo nomine ſalutem dicere ne graveris. Tiguri; 29. Novembr.

Num. III.

Alb. HARDENBERGII
Anecdota quædam.

Alb. HARDENBERGII nomen ac merita in Doctrinam Reformatam, in Eccleſiam *Friſicam*, *Bremenſem* & *Emdanam*, tanta fuerunt, ut ea etiam longe poſt ejus fata in oculis merito ferantur, ac omnibus in exemplum ponantur. Neque tamen admodum multa quæ quidem ad res Ejus illuſtrandas faciunt in lucem ſunt edita, aut ad poſteritatem tranſlata, cum magna eorum pars ſitu & ſqualore manſerit obſita, multa vero etiam forte per injuriam temporum prorſus interierint, atque ſe manibus noſtris ſubtraxerint: Quid? quod, uti diverſa ſunt hominum ingenia, jam ab initio non defuerint, qui ejus nomini obtrectare, famam vero lacerare

rare

rare ac merita prorſus diffamare, quantum in ipſis eſt, omni opera fuerunt annisi, cum quibus tamen uti alii contentionis ſerram reciprocare aut iis obloqui noluerunt, ita fere factum eſt, ut ejus *Memoria* apud quamplurimos interciderit, apud alios longe aliam ac à veritate diverſam induerit faciem:

Quotus enim quisque eſt, qui P. BÆLIUM in Dictionario, quod variæ eruditionis promum condum merito appellamus, aut eos, qui eum ſequuntur in *Dictionariis* ſive *Belgicis* ſive *Germanicis*, univerſalibus, legendo, & quæ adeo ſuperficiarie de HARDENBERGIO referunt, contemplando, atque cum iis conferendo, quæ cum veteres tum hodierni ſcriptores inter Evangelico Lutheranos polemici, de eo tradunt, non ad eam quam hi nobis referunt Hardenbergii imaginem, exhorreſcat, eumque pro homine vafro, turbulento, hæretico, ſeditioſo habeat, qui parum penſi habuerit, num ſummis ima miſceret, eccleſiæque ac reipublicæ pacem turbaret, num vero minus, modo ſuo litaret genio, proprioque ſuo animo obſequeretur. Cum tamen, vel ex iis ſolis, quæ in *cauſa* BREMENSI ab eo & per eum ſunt effecta, unusquisque, modo non ſit illiberalis, ejus humanitatem, animi moderationem, ingenii facilitatem, doctrinæ puritatem, morum ſanctitatem, in adverſis patientiam, pacisque adeo & concordiæ Evangelicæ ſtudium, colligere queat.

Sed, in hanc deſcendere arenam jam non libet, cum nobis propediem haud defutura ſit occaſio, omnem illam cauſam tricis ſuis exſolvendi atque in clara luce ponendi. Interea, cum pauca quædam ANECDOTA, ſive ab eo ſcripta, ſive ad ipſum data, ad manus noſtras pervenerint, ne iis careret poſteritas, efficere voluimus, unicuivis liberum facientes, ut vel ex hiſce paucis conjecturam faciat, de ejus ingenio, vita, moribus, doctrina, &, num is adeo tetricam meruerit cenſuram, ut nigrum theta ſemper ejus apponatur titulis? num vero ejus

virtutes ac doctrina in exemplum merito ponantur posteritati, atque debitis evehantur laudibus? D. G.

A.

Alb. HARDENBERGII *a*) Ep. ad Joh. UTENHOVIUM. Aquisgrani 1545.

Adventum suum Coloniensem *refert*, *de familia* Dn. Falesii *& cumprimis de Virginibus nobilibus* Aquensibus *quædam monet.* Utenhovium *hortatur*, *ut earum curam gerat spiritualem*, *easque ad Evangelicam doctrinam deducat. De* Jo. à Lasco *reditu in Frisiam instanti scribit*, *itemque de ejus cum* Electore *de causa Virginum colloquio.*

Venimus Coloniam, mi UTENHOVI, ut negotia hic quædam expediremus. Ubi autem colloqui contigisset cum familiaribus *Dni. Valesii b*) audivimus, Te cum nobilibus illis Virginibus (servis Jesu Christi) longe fidelissimis *Aquas* esse profectum, ut cum parentibus colloquantur; quod ut bene vertat, oro Deum, æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi. Te vero hortor, mi Utenhovi, ut eas moneas, ne nimium heic tribuant humanis consiliis. Scio, obediendum esse parentibus; sed Deus primas requirit, qui solus Pater est; non admittens quenquam, cui contra præceptum suum obediatur. Non est obscurum, quo nos prima tabula vocet, quæ forma est, regula & perpendiculum omnis obe-

a) Hanc Epistolam servat *Archivum Ecclesiæ Belgico Londinensis*, in fasciculo Epp. sub lit. L. fol. 43. unde eam decerpsimus, atque ut hic legeretur effecimus.

b) Est is idem ille D. de *Falais*, de quo in notis ad Jo. à LASCO Ep. ad BULLING. vid. hoc Scrin. antiq pag. 472.

obedientiæ. Et ſane oportet meminiſſe verbi Chriſti, dicentis: *Qui non reliquerit Patrem, matrem &c.* Jure metuo optimis Virginibus, & interim tamen bene ſpero, cum & Te habeant, qui conſilio valeas; & alioqui confidam, illum qui cœpit in illis quod perficiet in diem Domini Jeſu Chriſti. Scriberem ad illas exhortationem: ſed premunt me negotia, eo quod Dominus *Johannes à* LASCO nunc reditum paret in Friſiam; quem officii cauſa *Coloniam* proſecutus ſum. Is & Tibi & ſuaviſſimis Chriſti Virginibus precatur æternam ſalutem, & offert operam ſuam, ſi qua in cauſa poterit vel Tuæ nobilitati, vel cuiquam Tuorum uſui eſſe. Meam operam non eſt cur offeram, cum videam, me nihil poſſe. Tamen ſi putabis, me Tibi vel Virginibus noſtris vel cuiquam alioqui Tuorum gratificari poſſe, oro, ne quid rogetis, ſed imperetis omnia. Utinam dignetur piiſſimus Deus confirmare & confortare optimas puellas; ne is qui Hevam ſeduxit, quoquam modo animos illarum illaqueet. Valde periculoſum eſt in tantis verſari periculis; ubi hinc imperium magiſtratus, illinc pietas parentum obturbat. Sed fortior eſt, qui nobiſcum, quam qui in mundo eſt. Dominus conſervet nos omnes ad gloriam nominis ſui. Spero, parentes etiam virginum ſanctitate ad Deum converſum iri. Id etiam exiſtimare malo, quam ut nimium mihi de earum conſtantia diffidam. Neque nomina illarum ſciebam, neque putabam ſatis tutum fore, ut ad ignotos ſcribam: quare ad Te hæc dare malui, ut Tu pro officio eas horteris, & coram admoneas, quæ in itinere colloquebamur, cum Tu *Bonna*, ego *Colonia*, redirem. Bene vale, vir ornatiſſime cum ſanctiſſimis ſororibus, & aliis omnibus. Si voles poſt reditum Tuum ſcire, quid D. à Laſco egerit cum principe Electore de cauſa Virginum, non gravabor ad Te ſcribere. Nunc non videtur conſultum. Coloniæ 9 Martii 1545.

B.

EJUSDEM. Ep. ad N.
Decanum Capituli *Monasteriensis*. 1545.

Captat benevolentiam, seque & Johannem à Lasco *ejus humanitati commendat. Ad* Episcopi Monasteriensis *quæsitum respondet, suamque operam ipsi non denegat, modo id concedat* Elector Coloniensis, *cui operam suam locaverat. De libro* Reformationis Coloniensis, *& responsione adversus* Clerum Coloniensem. *Circa vocationem* Monasteriensem *quædam monet. Conditiones tres circa vocationem observandas ponit, seque de reliquo paratum ad Ecclesiæ inserviendum prodit.*

Multa me & magna nunc negotia premunt, mi Domine Decane, itaque non possum hoc tempore pro eo ac debeo tuæ amplitudini scribere, quod tamen facturus sum abunde, ubi istis vadis caput paululum exseruero. Et est ad manum Vir optimus Joh. à LASCO, qui & ea quæ nunc circa me sunt, indicabit omnia. Et gratias aget meis verbis, pro admiranda tua erga nos ignotos homines humanitate, pro qua libenter tibi debebimus, donec tu judicabis esse occasionem de te ac tuis vicissim bene merendi, si modo ulla nostra diligentia ac studio tantis beneficiis tuis à nobis responderi queat. Certè, quod à nobis fieri volebas, ut tibi protectionem & tutelam apud Principem *a*) Electorem impetrarem, id à nobis ea factum est fide, qua potuit & debuit.

De-

a) Is erat *Hermannus* à WEDA, Archiepiscopus Coloniensis & Elector, cujus pro Reformatione Coloniensi promovenda, quanta fuerint studia, notum est: Ei enim tum inserviebat *Hardenbergius*, uti ex hac ipsa Epistola colligitur.

Deinde, quod jubebas, ut deliberarem, ecquid Principi nostro *Monasteriensi* *b*) (quare enim non *meum* vocem, in cujus diœcesi educatus sum, & pridem tantis ab eodem beneficiis affectus) operam meam addicere velim, in administrandis ecclesiis Dei, sed ea quidem, mi meritissime D. *Decane*, non segniter mecum perpendi, & plane jam deliberaveram, optimo nostro Principi per te ac D. nostrum à LASCO, deferre operam meam, cui certè ego primam obedientiam debeam, ut proprie *meo* Antistiti; Itaque adii Principem meum Electorem, missionem & libertatem impetraturus, afferens iterum omnes causas, quæ uti hoc facerem me urgerent. Sed usque adeo libertatem ab ipsius Celsitudine impetrare non potui, ut vehementer etiam mihi indignaretur, qui in hac rerum omnium maxima ac turbulentissima controversia se deserere velim. Itaque nobis evenit, ut per hæc Comitia *c*) saltem cum Celf. sua maneam. Deinde, si inveniam vel apud nostrum Monasteriensem, vel alium, meliorem conditionem, quam

b) Princeps ac Episcopus *Monasteriensis* erat eo tempore FRANCISCUS *Waldeccensis*, qui & *Osnabrugensem* ac *Mindensem* Episcopatum regebat, & jamdudum Evangelicæ doctrinæ favere cœperat, unde &, eo connivente, in urbibus primariis *Monasterii*, *Osnabrugæ* & *Mindæ*, locus illi fuit, quanquam Episcopi conamina præstantissima deinceps æque ac molimina Coloniensis Electoris, per Capitulares reditibus suis metuentes & à morum emendatione alienos, sufflaminarentur. Vid. SECKENDORFF. Hist. Luth. Lib. III §. CXVII. fol. 513. 514.

c) Sunt ea Comitia *Wormatiensia* quæ A. 1545. habebantur, & in quibus *Cleri Coloniensis* actio adversus Archiepiscopi Reformationem instituebatur, quando Cæsar Clerum & Academiam in patrocinium recipiebat, Electorem citabat, atque se adversus ipsum declarabat, magno cum Reformationis propemodum constitutæ detrimento, quæ à SLEIDANO Lib. XVI. & SECKENDORFIO, aliisque enarrantur.

quam ſua Celſitudo mihi dare poſſit aut velit, tunc ut liberum mihi ſit alium quærere Dominum. Interim ſe hoc polliceri, quod nihil mihi ſit defuturum, quoad ſua Celſitudo vivat, ſi ſecum manere ſtatuam. Hæc cum vehementer urgeret optimus & piiſſimus Princeps, deinde, cum viderem ipſius Celſitudinem fere omnium Doctorum ope deſtitui, in tam pio & neceſſario eccleſiæ conatu, non putavi officii mei eſſe, ab ipſo hoc tempore diſcedere, quare ex conſilio Illuſtris Viri Dni. Jo. à LASCO amici mei, addixi ipſius Celſitudini iterum operam meam per inſtituta Comitia; Interim libertatem mihi reſervavi, manendi poſtea aut abeundi, pro eo ac videro res eccleſiæ & mei officii poſtulare.

Abſolvam interea ipſius Celſitudinis librum *Reformationis d)* latinum, & item reſponſionem Latinam ad antididagma *Cleri Colonienſis*. Et, ſi incidat forte, ut in Comitia poſtea eam, vel cum Celſ. ſua, vel certe ipſius nomine, jam reliquum totum tranſtuli in Dm. à LASCO, uti ille, aut cum Illuſtriſſimo principe noſtro, aut ſane tecum agat de me, ut ſi Princeps noſter me hic apud Colonienſem manere malit, quam eſſe poſt comitia ſecum, id ut per te mihi ſignificet: Sin ipſius Celſitudo mea opera uti velit, id etiam ut in tempore ſciam, ne aut huic meo Principi, aut cuiquam alii me totum ſimul addicam. Porro, ſi ita etiamnum ſententia ſtaret, qua ſecum me eſſe malit, tunc ut per te mihi ſignificet, quæ iſthic mihi futura ſit conditio, quæ vitæ ratio, quod officium & miniſterium? Deinde, qua mediocritate me alere velit? Ea, ubi ex te comperta ha-

d) Ex hiſce colligitur, quam *Liber ille Reformationis Colonienſis*, quem *Bucerus* & *Melanchthon* compoſuerant, ab *Hardenbergio* in Latinum idioma translatus fuerit, prouti eundem dein ad Johannem à Laſco miſit. conf. J. à LASCO Ep ad Hardenb. in *ſcrin hoc antiq.* n. XIII. pag. 515. itemque SECKENDORFF. l. c. fol. 443. ſeq.

habeam mox tibi certi aliquid potero respondere. Sunt autem quædam mihi indicanda nunc tibi, quæ & ipsa Principi subindicare per te possint, ne quam postea difficultatem utrique sentiamus; *Primum*, ea est valetudinis meæ ratio ac constitutio complexionis, ut omnino solitariam vitam ferre non queam, itaque statui in Domino uxorem ducere mihi aliquam piam, quare videndum erit, num is suo tempore me in conjugio ferre ac sustinere velit? *Deinde*, cum etiam in controversia, quam periculosam habui illic cum Sophistis, mihi libri fere omnes perierint, partim exusti partim ademti in captivitate, necesse erit, ut quicunque meâ operâ uti volet, tantum prænumeret, ut bibliothecam meam restaurare, & tenuem aliquam supellectilem domesticam comparare possim; *postremo*, ut aliquod salarium constituatur, unde vitæ necessaria promam, & tale ministerium offeratur, cui sufficere possim, libenter enim agnosco infirmitatem, & οὐδένεια nostra facit, ut non temere de rebus magnis præsumam, sed in his, quæ valetudo patietur, liberaliter & fideliter serviam in domo Domini, quæ est ecclesia Dei viventis.

Hæc tibi indicare volui Vir Cl. & idem meritissime, ne si à nostro Principe non vocer, videar quoquomodo ingratus, qui ad tam liberalem tam pii ac sublimis Principis oblationem nihil respondeam Bene vale mi Patrone, & Deum mecum ora pro Ecclesiæ suæ sane quam afflictæ tranquillitate. Buschotii 3. dominica Quadragesimæ 1545.

Tibi ad omnia honesta devotissimus

Alb. HARDENBERGIUS, Doctor.

C.

EJUSDEM ad Conr. PELLICANUM *a)* Tiguri.

Se apud fratres excusat, quod non omnibus scribat, utque suam Ep. reliquis communicet, orat. Ad Electorem Coloniensem *se vocatum tradit.* Reformationis Coloniensis *hostes describit, de misero rerum in* Frisia *&* in Frisia orientali *statu. De Regulis Reformandi cœnobii ad Abbatem* Aduardiensem *ut scribat* Pellicanus, *eum hortatur. Se* Wormatiam *tendere scribit.*

Volebam ad singulos vos scripsisse, mi amantissime Pater Pellicane, & quidem ista statueram in animo meo; nam multi estis, quibus ex æquo debeo, & quos pro eo ac debeo, plurimum tum amo, tum veneror: Sed præoccupaverunt sub tempus Nundinarum alia negotia Principis mei, quæ vix patiuntur, ut tibi quædam & *Gualthero* nostro pauca scribam: Quod tamen apud alios fratres meos non alia nunc ratione excusatum cupiam silentium meum, quam ut veniam dent occupationibus, & accipiant stipulationem, quod volente Deo ex Comitiis (in quæ nunc nos paramus) abunde sim omnibus & singulis scripturus: Si modo intelligam meas nugas non aspernari a fratribus, in quibus nihil plane erit lectione ipsorum dignum, præter amorem & studium erga omnes meum: deinde, si quid forte novarum rerum interveniat, quod audire ipsi cupiant: quamvis & hoc, si quid erit, una Epistola ad omnes perscribi queat, quos ego unice amo & veneror. Interim te oro, mi Pellicane, saluta omnes meis verbis, & si qui sunt qui has dignabuntur legere, tum statuant ad se etiam scriptos esse: Satis sit alioqui te unum nunc lituris inanibus molestasse. Non

a) Hæc Epistola nobis benevole ex Archivo Tigurino á Cel BREITINGERO, Viro πολλων ἀνταξιω ἀλλων, est suppeditata.

Non enim nunc aliud scribam, quam quæ ex eo tempore, quo a vobis discessi, mihi vel acciderunt ipsi, vel aliis fratribus qui pietatis sunt studiosi. Ubi *Argentinam* sum reversus, paulo mox me *Elector* COLONIENSIS Clementissimus Princeps meus evocavit, quem veniens offendi molestissime luctantem cum canibus & lupis, h. e. cum hominibus circa fidem reprobis, impiis, perversis, obstinatis, qui nullam neque *Reformationem* neque Emendationem recipiunt. Sunt qui in contemtum Electæ Christi Ecclesiæ se clerum & spirituales vocant. Hi convocatis statibus Archidiœceseos horrendis mendaciis Episcopum suum proscindebant: Et Appellationem ad Cæsarem & sanctissimum Deum suum, Romanum Pontificem, instituebant. His ut quoquo tandem modo responderetur a Principe vocatus adfui, & quod pro tenuitate mea potui, præstiti:

Postea in *Frisiam* profectus, volebam matrem & familiares invisere: Sed intellexi mox *Aulam Brabanticam* mihi struxisse insidias, ita quod nihil mihi tuti apud nostros esset: Quare mox coactus sum in *Orientalem Frisiam* me proripere, quæ quod sub Imperio sit, hactenus illius Aulæ jugum non patitur, etiamsi nunc eo res pervenisse videatur, ut & in illam etiam partem Aula impetum facere conetur. De ea re noster *Gerardus* narrare multa poterit: Nam *Joannes* quidam ex Comitibus illis in Aula uxorem duxit, & nihil aliud molitur, quam ut Christi Evangelium (quod ipse inter primos non modo illuc induxit, sed propugnavit quoque), rursum profliget: Deinde quiritantur, quod illa pestifera Religio suas ditiones Hæresibus contaminat: h. e. quod agna fontem inficit turbatque ne bibat Lupus, itaque se facere non posse quin legibus utantur. Sed hæc a) omnia ad

a) Ex hisce patet; *Hardenbergium* tum quoque ad Tigurinos excursum fecisse, atque cum iis contraxisse amicitiam; & cumprimis Bullingeri hospitio fuisse gavisum.

ad Dominum meum hospitem Bullingerum scripsi: hæc scribo etiam tibi & meo.... Theodoro scribo: ne nihil scribam. Dom. a LASCO a te expectat literas, & spero te in has nundinas misisse Abbati meo tuas *Regulas Reformandi Cœnobii:* Sed surdo canimus, nisi aliud interveniat. Ego mox a paschate venio, Deo volente, in Comitia *Wormatiam*, illic si quid erit, ad vos scribam. Quæso diligenter serva quæ ipse ex ore Theodori nostri scripsisti: Spero quod etiam mihi erunt usui. Vellem etiam tuos Rabbinos edi: Id si tibi non probatur, sic tamen oportebit te curare ut ego exemplar habeam. Vides me festinare. Valebis itaque 25. Martii ex Arce Principis Electoris Poppelsdorph.

Tuus ALBERTUS HARDENBERGUS.

D.

EJUSD. Ep. ad Ph. MELANCHTONEM *a)* Witebergæ. A. 1549.

Respondet Philippo, *suumque tenerrimum erga ipsum explicat affectum. Indicat vero etiam graviter, quæ sibi circa librum* Interim *dictum*, *& circa* Melanchthonis lenitatem *videantur. Quid in* Melanchthone *desiderent quidam, quid alii in eo carpant, quid ipse vereatur, libere exponit, suamque animi mentem de doctrinæ puritate servanda, & moderata tamen servanda prudentia prodit.*

Accepi binas tuas Epistolas, una cum honestissimis muneribus tuis, observande Præceptor Literæ testan-

a) Has literas ex apographo Viri dum vivebat Cel *Theodori* HASÆI, quod forte fortuna ad manus meas devenit, tibi communico, tametsi haud omni ex parte exasciatas, dignas tamen, quas legeret posteritas; Ceterum, Literæ *Melanchthonis* ad quas hic respondet HARDENB. utræque leguntur in Ep. ad Hard. D. 4. & D. 5. cum post

testantur animi tui vehementissimum dolorem, quem tamen spero proximas meas literas tibi neque peperisse, neque auxisse adeo. Scis enim me simplici studio ea saltem ad te scripsisse, quæ cum lacrymis hic quotidie cogor audire. Propterea te oro, vir omnium piissime, quod facis, perge me amare, ego Te dum vivam, non desinam & revereri ex animo, & debito cum cultu venerari. Sed ita est, quemadmodum tu & erudite scribis & vere. Hoc scil. Satan molitur, ut post tentata omnia, tandem Fratres non Cadmæos sed Christianos, eosque & doctissimos & piissimos, inter se committat. Sed non proficit malignus inter nos, modo in officio unusquisque pro sua statione permaneamus. Ego, si mea simplicitate auxi tibi dolores, tunc judicio lapsus sum ex imprudentia, qui non didicerim, quibus verbis cum tantis viris sit loquendum. Certe studio & proposito pietatis falli non potui, qui discipuli munere functus, ea indicavi, quæ mihi videbantur quoquomodo in Præceptoris meritissimi ignominiam vergere, existimationemque lædere, vel coram Deo vel coram bonis viris, vel infirmis ecclesiæ membris, posse.

post scripto. Sed ipse tamen etiam PHILIPPUS ad has literas respondit d. 29. Martii in fasciculo epistolarum ad Hardenb. B. 7 & B. 8. Ceterum, notari debet Joh. CALVINUM nostrum, eodem fere tempore ad Phil. Melanchthonem conscripsisse Literas auro contra cariores, quibus eum ne latus apertum præbeat adversariis, neve meticulosus nimium Pontificiis quædam concedat, exhortatur, ac gravissimis argumentis in fide semel agnita constantiam urget, adeo ut, rigidiores quoque Lutheri asseclæ & Calvini adversarii, tamen has Literas & magni æstimare, & suis scriptis inserere, easque ad posteritatem transferre non dubitaverint. vid. *Conr.* SCHLUSSELBERG. Catalog Hæreticor. Tom. XIII. pag. 645 &sq. Legitur vero ea inter CALVINI Epistolas, quæ Operibus ejus sunt adjectæ fol. 54. 55.

Ea in re quum ſpero nihil eſſe à me peccatum, non dubitem etiam de tuo in me animo bene ſperare. Dolui vehementiſſime & hodieque doleo, Tuum nomen, quod in eccleſia Dei ſemper audivit optime, nunc proſcindi paſſim, idque à viris partim non malis, ſed tuæ moderationis fontes non expendentibus, partim ut imperitis, partim denique, qui fortaſſe alias videntur habere inclementiæ ſuæ cauſſas. Et ego licet nunquam dubitaverim de animo & candore tuo, licet & ea meminerim, quæ inter nos ſæpe coram contulimus de iſtis rebus, tamen præ pudore & parvitate ingenii mei ac ignoratione rerum ſacrarum, nunquam auſus fui certe pronuntiare de tota cauſa, non niſi quia video ita variare optimorum virorum ſententias.

Scio graviſſimas eſſe cauſas, quare tu ac alii mei præceptores exiſtimetis, hac moderatione eſſe utendum, ſcio prudentiam, ſtudium, pietatem & neceſſitatem, deinde bonitatem in hac cauſa veſtram. Ceterum, ſi alii graves viri non obſtarent, tamen cogerer dubitare, quod hac via hacque moderatione perturbatis eccleſiæ rebus ſuccurri poſſit, & vera ſtabiliri concordia. Nam neſcimus quid moliatur Antichriſtus, rurſus ſcimus, quid Chriſtus præcipiat, quid infirma & ſeneſcens mater Eccleſia poſtulet, cui non poterit approbari illa concordia, niſi quis perſuaſum habeat perpetuo duraturam, & quod diſerte poſſit Chriſto ſponſo ſuo approbare. Tibi hæc ſcribo, quem credo literas liberi hominis non damnare. Sed hoc addo, me niſi ex ſacris literis, & tua ſententia, vix velle, certe nihil poſſe ſapere. Imo, me in multis magnis rebus malle deſipere, quam cum magnis iſtis ἀλαζόνοις ſapere. Quid enim ego habeo, ſi quid omnino habeo, quod non poſt Deum, meum Tibi debeam? Sed interim angit me animus cogitantem, ecquid licuiſſet rebus tam exulceratis vel tantillum concedere Papiſtis, qui etiam nihil de impietate con-

concedunt, ſed conantur fucum facere ut abutantur ſimplicitate & candore noſtro. Sphynx *a)* permittit articulum de Juſtificatione integrum; Quid ergo eſt, quod non caſtigantur impoſtores, qui totum mundum hactenus diverſa doctrina & deceperunt, & hodieque pergunt decipere? Certe finem nullum facerent, niſi ſemel omnia ſua reſtituerent, id quod non diſſimulanter jactant: Si piiſſimæ tuæ aures poſſint perferre eas voces, quas ad me Brabanti ſcribunt, jurares, meros fucos quæri iſtis adverſariorum promiſſionibus. Et, poſt Adiaphora conceſſa, nunc & Auguſtæ & Argentinæ *b)* & per totam fere Germaniam aperta vi graſſari. Quales viri ſunt, cum quibus res nobis eſt, Domine? Legitur nobis *Islebii* epiſtola *c)*, in qua gloriatur, Philippum per omnia ſecum ſentire, quæ res Papiſtas in ſpes maximas erigit, noſtris nihil præter dolores & lacrymas parit, Epicuræis, quorum plena omnia, riſum facit. Quid hic facias, mi anime! an jugum hoc cum illo viro trahes? an illum permittes tales jactare voces? Ego quidem tuo judicio permitto omnia, & juro Deum, me non audere improbare, quæ tibi tanto Viro probantur. Tamen, quod dixi, mihi non ſatisfacio, longe minus aliis, coram quibus te tuaque defendenda ſumſi. Ago enim tuæ innocentiæ patronum quantum poſſum maxime, quo

a) Ita *Interim* illud *Auguſtanum* ordinario appellabatur.

b) Conf. SLEIDAN. Hiſtoriar. lib. XX. & XXI. á fol. 374-381.

c) Jo AGRICOLA *Islebius*, uti fuerat Antinomorum Pater, ita nunc ad id conductus auctor dicebatur cum duobus Pontificiis libelli illius *Auguſtani*, quem dicunt *Interim* niſi quis potius judicet *Pflugio*, *Sidonio* & *Agricolæ* hanc cauſam commendatam fuiſſe ab Imp. ut eum Librum proprie á *Lovanienſibus* compoſitum, recognoſcerent ac comprobarent, quo eundem tanquam ab iis confectum publicaret, ne gravarentur Proteſtantes ſuſcipere librum ab exteris Theologis Germaniæ Proteſtanti inviſis concinnatum. v. HEUM. ſylloge nov. diſſert. P. II. p. 129.

quo nomine multis non placeo. Sed hæc parum ad me, modo Deo noſtro omnia approbemus.

Comes *Albertus* (ſcil. Mansfeldenſis) videbatur offenſus nonnihil, quod diceret, ſe non ſcripſiſſe te pecunia corruptum, ſed monuiſſe *a*), ne corruptionem ullam ab illo aut alio permitteres. Illius tamen animum ſatis placavi. Perſuaſi etiam, non eſſe nullas cauſas, quæ vos ad moderationem vocent, & viſus eſt mihi rationes non prorſus ſpernere, etiamſi mallet apertè confeſſionem, & (ſi necèſſitas coget) diſceſſionem, quam ullam permiſſionem, quæ cum infirmorum ſcandalo conſtaret. De Judicio viri tibi ſententiam permitto, de pietate illius nihil equidem dubitem. Comes *Chriſtophorus* (ſcil. Oldenburgicus) totus eſt tuus. Is exiſtimat te rectè facere, qui ſcholæ & eccleſiæ cumprimis conſultum cupias, etiamſi vereatur, has nos minimum promoturas. Habent illi viri alia conſilia, quæ ubi per Dei gratiam continget colloqui, ex me audies. Utinam omnia in honorem Dei & Eccleſiæ utilitatem ſpectent!

Quæ hic addo, neſcio ex quorum literis & aliquot hominum clamoribus ſcribo, Volo enim ingenue tecum agere, ſed tecum; apud alios alia mihi de te vox. Ajunt, te alicubi ſcripſiſſe, te non recuſare *ſervitutem ferre in omnibus, modo doctrina pura retineatur b*). Eam illi

a) Ita enim MEL. in Ep. cit. *Comes* Albertus *ſcribit me á* Julio (ſcil. Pflugio) *pecunia corruptum eſſe Hanc falſiſſimam calumniam refutare poſſum ipſius Julii & totius aulæ teſtimonio. teque oro, ut me excuſes.*

b) Sic ad Jo. Æpinum ſcripſerat PHILIPPUS. *Sed ſervitutem* in adiaphoris potius ferendam eſſe & Paſtoribus & populo cenſeo, *quam ut deſerantur eccleſiæ*: non cogitans quam in eccleſia nulla ferenda ſit ſervitus ſpiritualis, quamque non deceat eccleſiam nec in doctrina nec in ritibus attemperare falſo cœtui. vid. GREV. in vita Aepini pag. 64. Sed &, idem colligitur ex quam variis aliis Ph. Melanchthonis Epiſtolis cum publicis tum privatis, quod ita rationes ſuas ſubduxerit.

illi vocem nimis servilem judicant. Ego existimo non mala esse suo loco scripta, ut à te scripta esse non dubitem. Dicunt autem, doctrinam non posse manere illibatam & integram, si cerimoniæ papæ adnectantur: In doctrinæ puritate oportere Dei cultum (in quo ejus honos vertitur) primum locum habere. Deinde, multum interesse, dicamusne, nos solo Christi merito justificari, an verò fide sola? ...... addi multas cerimonias *a*). quibus si non .... saltem insit imaginatio alicujus justificationis, tamen ea in usu fuisse apud Papistas, &, quum ille nos in regnum suum revocet, non dubium esse, quin talibus nugis moliatur rursum puriorem conspurcare doctrinam; dicunt, corrumpi totam massam exiguo fermento. Et, quæ prius essent libera relicta (utinam in totum semel ablata) tunc rursum effici ornamenta Antichristi: Præterea, rem nobis non cum infirmis esse, quibus inservire debemus, sed cum deploratis hypocritis & desertoribus veritatis proditæ; quibus si deseramus, nos multos offendere infirmos, neque nos posse in ullis scholis aut paucis ecclesiis docendo tantum ædificare, quantum per universam Europam destruimus. Ita contristari Sanctum Dei Spiritum, quo sit obsignata ecclesia, ita piorum causam malam, diaboli ac suorum bonam fieri; Et, Cæsarem non hoc moliri, ut aliqua saltem serventur, totum *Interim* velle servari, neque permittere mutationem in minimo Jota, donec totum Papismum restituat.

Hæc qui clamant, Domine, si non omnia, certe aliquid dicunt. Nam cum jam in Phrisia Orientali essem proxima septimana, vidi illic minacissima Edicta *b*) Cæsaris Dictato-

a) Cum exemplar, ex quo hæc depromsimus, hic sensum nobis ac verba referat hiantia, inde non satis accurate hæc imprimi potuerunt, ita tamen ut quò tendat Hardenbergius, sit liquidum

b) conf. *Hist. nostr. Reform. Belg.* § LXI. p. 206. & EMM. rer. Frisic. hist. L. LIX. fol. 936-937.

ris Germaniæ, qui nunc ferrum nunc aurum videtur in manu habere, ut aut cogere aut corrumpere possit. Eheu, quam inde placita plane sanguine humano conscripta ! *Nisi ad minimum Jota totum Interim servent*, hoc est, ni novum interitum recipiant, mox se excisurum esse totam ditionem. Horrenda sunt hæc & nimis trita oculis mihi visa. Eadem nunc fiunt in Germania. Quid itaque existimandum nobis de vestris Principibus, qui, si tales essent quibus vera religio curæ esset, & ex animo pietati studerent, tamen non putandum, Cæsarem illis permissurum ut quidquam habeant peculiare. Abuti poterit operâ illorum; Ut vero illis scintillam permittat veræ religionis, id multi magni viri existimant, non sperandum esse.

Ego pro stupore meo minus fortasse hic video, Gemo tamen & horreo ad multarum rerum cogitationem. Si auderemus profiteri omnia, quæ hactenus, & eadem libertate, cum eum videmus adhuc ferrum in manu habere, ac Domino permittere possemus eventum, nihilque moveri nos sineremus hominum aut minis aut pollicitationibus, nosque & scholas & ecclesias nostras Deo committeremus, haud dubie citius nos precantes exaudiret, & faceret cum benedictione eventus. Verum est, in Germania ecclesiæ vastatæ sunt & desolatæ, sed, hoc citius evocabunt miserorum hominum gemitus Christum in Judicium. Si ita comparati essemus, ut scopus sit cervices nostras feriundas præbere non dubitemus, nimium maximum cauterium animis adversariorum inureremus. Sed nihil futurum existimant plurimi, quod nostra bonitate tales bestias nos placaturos plerique speramus, sed magis irritatas esse hactenus nostra conniventia. & ita se meliorem causam habere existimant, si quid iis concedatur, nostram vero pessimam esse, qui concedamus. Itaque, orandum Dominum, ut contra hanc mundi potentiam & regnum Satanæ non

affe-

afferamus ambigua consilia, sed confidenter pugnemus cruce D. N. J. C. hoc est, patientia & fiducia, ita de adversariis nos gloriosos triumphos ducturos, certe pulcriores, quam si opibus & armis superassemus.

Hæc non mea sunt, Domine, quanquam mihi multas absumant cogitationes, sed sunt aliorum gravissimorum hominum, quorum sententias ut non prorsus damnare possum, ita & tuæ moderationis fontes diligenter perpendo, & video, neque te neque hos magnis causis destitui. Det Deus, ut ea quæ meliora sunt sequamur. O Deus, Tibi derelictus est pauper, orphano tamen & pupillo eris adjutor! Ne projicias nos in tempore senectutis, quia virtus nostra defecit nos, doce nos. Amen.

E.

EJUSDEM Ep. ad *Canonicos* BREMENSES. 1560.

Est Apologetica, adversus Rolwagii *Syndici* Bremensis *accusationes ad* Georgium *Archiepiscopum delatas. Confessionem fidei de* S Eucharistia *edit, eamque illustrat. Quid in reliquorum sententia desideret ac desideraverit, exponit. De* Belmero *Consule quædam monet. A seditione alienum animum prodit, seque benevolentiæ Archiepiscopi commendat.*

Clarissimis Viris Dominis vere Reverendis Capitularibus Metropolitani Collegii in inclyta Brema Patronis suis Colendissimis.

Reverendi viri Domini Patroni observandissimi; Legi, Illustrissimi & Clementissimi Principis nostri literas ad vos datas, ex quibus colligo, qua vehementia Doctor *Rolwagius* a) me apud

 Cel-

a) Erat Joh. *Rolwagen* ea tempestate Syndicus Bremensis, sed qui favebat partibus *Ubiquitistarum*, qui tantas, tum in

Celſitudinem ſuam deformaverit, nomine et (ut videtur mandato Senatus hujus *a*) Ad quæ ego ſimpliciter & vere reſpondeo, ,, me nunquam negaviſſe præſentiam cor- „ poris Chriſti in Sacra Cœna, ſed eam opinionem, „ quæ fictam & periculoſam corporis Chriſti ubiquita- „ tem *b*) implicat, ex officio reprehendiſſe, vos alio- ,, quin teſtes eſſe poteſtis, quæ perpetua mea fuerit ,, doctrina de ſacratiſſima Cœna Domini. Docui enim & doceo, quod quotiescunque Sacramentum Domini in Eccleſia percipimus, mortem Domini annunciantes & gratias agentes, vere nos in ſacramento participes fieri Corporis Chriſti, in quo fuit pro nobis victima, & vere

in eccleſia tum in republica ſuſcitabant turbas, nec prius ab iis remittebant, quam *Hardenbergius* urbe exire juſſus eſſet, quamvis etiam ne tum quidem ceſſarent ſumma imis miſcere.

a) Per *Senatum* hic intelligi debet ea Senatus civici pars, quæ Hardenbergio infeſta erat, quæque dein, cum Hardenbergium expuliſſet, ipſa quoque, fugante eos nemine, ſedes ſuas relinquere, ſeque abinde proripere, dulciſſimamque patriam graviſſimis periculis exponere non dubitavit, licet Deus, quæ ipſi cogitabant mala, in bonum converterit; quod ex Hiſtoria illorum temporum conſtat.

b) Ex hiſce ſaltem colligitur, quam plane immerito fuerit accuſatus HARDENBERGIUS, quaſi á doctrina Confesſionis Auguſtanæ recederet, aut erroribus Sacramentariis quos ita dicebant, fuiſſet addictus. Cum enim ne γϱυ quidem nec in *Confeſſione* nec in *Apologia* de *Ubiquitate corporis Chriſti* reperiretur, & concionatores tamen Bremenſes eam omni conamine invehere vellent, atque pro ea tanquam pro aris & focis dimicarent, facile patet quam Hardenbergius ei commento ſemet opponendo, irritaverit equidem crabones, non vero a doctrina ab Evangelicis, imo ne quidem á Lutheranis moderatioribus recepta deviaverit; Ut merum φιλονεικιας ſtudium in cauſa fuerit, quod Bremenſes tanto cum æſtu ac fervore adverſus ipſum eſſent animati, dum, qui moderatiora ſentiebant, tempori cedere, atque tranquilliora expectare fata debebant.

re bibere ejus ſanguinem, qui effuſus eſt in remiſſionem peccatorum noſtrorum. Et eam corporis Chriſti præſentiam agnoſco, quam fide verbi conſequimur in legitimo uſu Sacramenti, & quatenus eſſentiæ ſuæ præſentia ſuo ritui adeſt æternus filius Dei patris, qui in unitatem perſonæ naturam humanam, h. e. rationalem animam & humanum corpus aſſumpſit Credo item totum hominem, interius Spiritu per fidem, exterius autem per Sacramentum ſeu ſacramentaliter, corpus Domini percipere. Credo quoque & doceo ſpecies panis & vini eſſe corpus & ſanguinem Domini, non naturali ſua ſubſtantia, ſed quia media illa ſunt ſacramentalia, quibus vere efficimur participes & membra ſociique corporis & ſanguinis Chriſti. Sed quoniam hæc myſteria fidei, ideo fide quoque percipi debere, quoniam quæ ibi præcipua ſunt, videri, guſtari, tangi & ſentiri non poſſunt. Et proinde doceo, Chriſtum propter hanc ſui communicationem cœlum naturaliter non relinquere, ſed per verbum inſtitutionis & Spiritum S. omnia hæc perficere. Hanc doctrinam ex me Vos *a*) & tota Eccleſia ſemper audivit, quid vero ipſi (id eſt, reliqui Concionatores Bremenſes) de hac & aliis rebus doceant, ſatis conſtat. Neque ſtatui illos hic ullo modo accuſare, dies declarabit, quid quisque quæſierit & docuerit. Quod verò attinet ad horridiora verba, quibus in Concionibus abuſus eſſe dicor, id ego totum ad veſtras conſcientias & cognitionem totius auditorii refero Coactus ſum aliquoties leniter reſpondere adverſariis, qui neque modum ullum neque rationem conviciorum ſuorum *b*) ſtatuunt. Et, quum aliquando

a) Erat enim *Hardenbergius* capituli Bremenſis, in æde cathedrali Miniſter Evangelicus, quique adeo non tam civitati ſuberat, quam Archiepiſcopo & Capitularibus.

b) Quantis vero convitiis optimum Hardenbergium proſciderint reliqui, colligitur ex *Hiſtoria motuum* illo tempore *in civitate & eccleſia Bremenſi ſuſcitatorum*, quam propediem ex ipſis authenticis rerum documentis hauſtam publicare conſtituimus.

esset referenda hujus infelicis tragædiæ inchoatio, coactus fui recitare non autem lacerare Consulis *Belmeri* nomen *e*), qua in re nullum me piaculum commisisse, illumve ulla injuria affecisse existimo. Quod autem mihi de seditione objicitur, novit Deus, quod ego ad seditionem causam nullam neque dedi, neque unquam dabo per Dei gratiam; Scio enim, cujus Spiritus filium me esse oporteat, qui certe non est seditionis, sed pacis auctor. Sed quum quotidie Sacra doctrina magis ac magis corrumpitur & Christi gloria quasi per meum jugulum violatur, vos ipsi judicate, an expediat, ad hæc semper connivere & relinquere miseras popularium conscientias dubias, perplexas & suspensas? Scitis tamen me multa premere, & ad tam multa & frequentia convicia vix raro respondere, & dabo operam ut servem justam mediocritatem. Dolet autem vehementer mihi, quod ita sum deformatus apud Clementissimum Principem nostrum, cujus Celsitudini, uti me ipsa veritate dignemini excusare, submisse & humiliter oro. Bene & feliciter valete & Christi Domini veritatem pergite vestra opera & intercessione propugnare, meamque innocentiam & calamitatem miserandam, pro eo ac poteritis defendite. Sic nos Deus adjuvet, & ejus Evangelia. Raptim, sed cum summo animi dolore, ex ædibus nostris 1560. 27 May.

Reverendæ vestræ dignitatis Minister.

Albertus HARDENBERG *S. Theol. Doctor & Professor in Metropolitana æde Dominica Bremæ.*

Num.

e) Is erat Luderus BELMER Consul Bremensis, qui tanto cum fervore semet Hardenbergio opposuerat, atque *Timanni Amsterdami* partes sectabatur, ut quoque *Farraginis Timannianæ* causam in se publice susciperet, & quoscumque qui se ei opponerent pro sacramentariis habendos esse assereret. &c.

Num. IV.

Ad Alb. HARDENBERGIUM Epiſtolæ plurimam partem ex Mſſ. editæ

A.

Mart. BUCERI Ep. ad Alb. *Hardenb.* 1549.

Eccleſiam peregrinorum Londinenſem *ipſi commendat, atque ut pium quendam* V. D. Miniſtrum *illis mitteret hortatur. Quænam ejus de* Euchariſtia *ſit ſides & qua* formula verborum *eam exponi velit, explicat.* Hardenbergii *moderationem laudat, ac petitionem ſuam de mittendo miniſtro repetit.*

Gratiam, conſolationem, & robur precor tibi a Patre noſtro cœleſti per Dominum noſtrum Jeſum CHRISTUM, augeri tibi quam ampliſſime, frater venerande & fortiſſime. Scripſi ad te ante menſem, ut Germanis qui habitant Londini mitteres concionatorem doctum ad regnum CHRISTI, & diſciplinæ CHRISTI ſtudioſum. Literæ illæ num tibi ſint delatæ, qui nihil reſcripſiſti, incertus ſum. Volui itaque rurſus ſcribere, & te orare, ut noſtratium hominum hanc curam ſuſcipias, præmonui illos de vero Evangelici Doctoris officio: præmonui de diſciplina, ſine qua nullus fidelis CHRISTI miniſter tranquillo animo poteſt miniſtrare. Præmonui de Catechiſmo. Illi pollicentur ſe velle jugo Domini penitus ſubdere: & Miniſtrum fidelem CHRISTI duplici honore proſequi. Sunt viri tales, quibus debeo fidem habere. Te itaque in Domino rogo & obſecro, quamprimum poteris, mittas aliquem, qualem tu ipſe poſſis probare. Lingua veſtrate opus eſt: ſunt enim hi Germani, omnes fere interioris

oris

oris Germaniæ homines. In præſenti vero perſecutione *a*), quæ apud vos ſævit, exiſtimo te facile qualem petimus inventurum. Non abſterreat vero te, ſi quid audiviſti de nova concuſſione in hoc Regno: neque moveant te vulgares rumores, qui veris falſa multa ſolent admiſcere

Si frater, quem mittes, Scripturæ verbis in explicatione myſterii Euchariſtiæ uti conſuevit, hoc gratior erit, ut agnoſcat, Dominum ſe nobis tradere in Euchariſtia, ſicut in Baptiſmate, traditione & communione qua nos facit membra ſua, quam communionem ſola & viva fide, nulla ratione hujus ſeculi percipiamus. Pane enim & vino non aliter utitur hic Dominus, quam aqua in Baptiſmate. Quare hæc ſymbola in ſua natura manent immutata, ſicut aqua in Baptiſmate. Nec enim Dominus ſymbolis, ſed diſcipulis dixit: *Accipite & manducate.* Symbolis igitur nec includitur, nec affigitur pani corpus Domini: ſicut nec Spiritus ſanctus flatui oris Domini, cum inſufflans in diſcipulos hunc illis tradebat; Exhibitiva modo ſigna hæc ſunt. Si itaque CHRISTI veram communionem, quæ augeri in nobis ſemper, dum hic a Domino peregrinamur, neceſſe habet, agnoſcimus & in Euchariſtia exhibere reipſa, ſed addimus, SOLA FIDE & viva recipiendum, & ſymbola relinquimus prorſus immutata, non video, quid ſuperſtitioſæ cogitationis non ſit excluſum: nec video cauſam ullam diſputandi de loco cœli, in quo regnat CHRISTUS. Fides enim CHRISTUM ſuum complectatur, & eo fruatur, vereque manducet & bibat, nullis locis, intercapedinibus nullis, vel juvatur, vel impeditur: multo minus virtus CHRISTI, ſe nobis ſuis membris communicantis.

Hanc ſimplicitatem video placere omnibus, qui myſteriis ſuam reverentiam deferunt, & diſciplinam CHRI-

a) Tempora indigitat *Interimiſtica*.

CHRISTI amant. Sed nihil ſcrupuloſius agi cum quoquam velim, qui non adimit nobis membris Chriſti CHRISTUM, caput noſtrum, & cœnam CHRISTI nobis non exhibet ſine CHRISTO. Eſt enim in medio noſtri, non ut Deus tantum, ſed etiam ut Mediator, qui noſtra vota reddit efficacia, ubicunque in nomine ejus convenimus. Et quicunque manducat carnem ejus, & bibit ſanguinem ejus, manet in eo, & ipſe in illo. Hanc Domini mei præſentiam & conjunctionem nemo mihi auferat, & facile de cæteris rebus convenimus. Sed hanc meam fidem noſti pridem, & audio te mira dexteritate interceſſiſſe & effeciſſe iſtic, ut illi qui de ſymbolis loquuntur adhuc durius, mitiores ſe nunc præbeant: ſitque pia inter miniſtros conſenſio. Quod ſcripſi hac de re nunc, in cauſa eſt, quia à me petitur concionator: optarem talem mitti, qui myſteriorum reverentiam, qua ſine diſciplina & communio fratrum in CHRISTO reſtitui non poteſt, habeat cordi. Opto te cum tuis omnibus rectiſſime valere, atque cuncta mundi pericula evadere. Amen. Cantabrigiæ 22. Octob. Anno 1549. MART. BUCERUS tuus.

B.
Tilem. HESHUSII Ep. ad Alb. *Hardenb.* 1556.

Se amicitiæ Hardenbergii *commendat, eique ſuum notificat infortunium, in dimiſſione à munere eccleſiaſtico* Goslarienſi. *Propriam ſuam cum orthodoxiam tum zelum laudat, ſuamque operam defert Eccleſiæ, ſi cui per* Hardenbergium *denuò commendari poſſet.* &c.

S. D. Reverende & clariſſime vir, patrone colende. Etſi inter nos ſcribendi officium aliquamdiu eſt inter-

missum, quod uterque nostrum incommoditate loci in quo hactenus vixi (si tamen hoc est vivere, in magnis ærumnis esse) & tabellariorum penuria excusare potest: tamen certò scio amicitiam nostram opera doctissimi & optimi viri *Nicolai Buscoducensis* felicis memoriæ, inter nos conciliatam & utriusque vera benevolentia & pari studio pietatis & salutaris doctrinæ auctam & confirmatam, non modo non dissolutam, sed ne læsam quidem esse, imò ætate stabilitam esse spero & statuo. Nam inter bonos & recti judicii homines & sanctæ religionis pariter studiosos, quicunque etiam casus inciderit, solet esse perpetua animorum conjunctio.

Ut autem hoc nostrum diuturnum silentium fuit ingratum, ita nunc me insigne beneficium ab hoc adolescente accepisse puto, eo quod suam ad vos profectionem mihi indicarit, & officium perferendi literas detulerit. Ac facere non possum, quin tibi, mi Alberte, dolorem meum exponam, quo nunc exerceor, non tantum eo, quia in versu dicitur: *Est aliquid fatale malum per verba levare*, sed multo magis ideo, ut me & hanc Ecclesiam, quam homines sacrilegi fraude & scelere perturbarunt, consilio & precibus juves.

Cum autem totum negotium brevi epistola comprehendi non possit, tantum hoc dicam quod rei caput est; Docui triennio in hac ecclesia salutarem doctrinam de Filio Dei; sed sexto die Maji severè & crudeliter mandavit Senatus, ut à munere docendi abstinerem, & amovit me atrocibus verbis ab inspectione hujus Ecclesiæ. Tanta est autem impudentia horum hominum, ut quanquam me intempestive rejecerunt, tamen nullam causam indicarunt. Ac ne possunt quidem. Nam habeo bonam conscientiam me bonam militiam militasse. Quod veram & salutarem doctrinam de filii Dei incorrupte & pure docuerim in hoc cœtu, & quidem perspicue & non sine fructu, hostes mei testantur. De in-

integritate vitæ etiam ab hoſtibus teſtimonium peto, præterea tanta diligentia legi in ſchola, & docui in templo, ut nullo die à laboribus publicis ſine gravi cauſſa ceſſaverim. Qua igitur impudentia, quo ſcelere Senatus me nunc pellat in exilium, & perturbarit hanc eccleſiam, & contriſtarit Spiritum Sanctum in multis piis, tu facile æſtimare potes. Intelligo autem, inde natum eſſe odium mei, quod in miniſterio nolui ad aliorum affectus alludere, ſed potius taxavi acriter impietatem utriusque conſulis, nec paſſus ſum me corrumpi muneribus. Semper igitur homines ſcelerati quæſiverunt occaſionem me ejiciendi. Et, ne fallerentur, beneficiis ſibi adjunxerunt quosdam ex noſtro collegio, qui cum ſint indocti aſini, & impii paſtores, tum etiam turpiſſimi ſunt adſentatores conſulum, & clam me calumniis apud Senatum detulerunt, fictis exquiſitis mendaciis, ut impium conſilium conſulum juvarent.

Ego vero hanc contumeliam & ærumnas præſenti animo fero, & conſolor me promiſſionibus Chriſti, *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines propter me.* Vehementer autem doleo perturbationem hujus Eccleſiæ. Nam impii nunc lætantur. Pius cœtus luget, & horribilis odii ſemina ſparſa ſunt inter concionatores qui adulantur conſulibus, & homines pios, qui me ſtudioſe audiverunt. Oro autem filium Dei ſamaritanum, ut hoc triſte vulnus ſanet, & authorem puniat. *Philippus* ad me ſcripſit ingentem conſolationem, & juſſit ut ſtatim ad ſe veniam. Spero igitur me *Witebergam* cum conjuge & filio profecturum eſſe. Ac precor filium Dei ut me regat & defendat. Cumque mihi nunc propter confeſſionem veritatis & fidelitatem quam in miniſterio Evangelii præſtiti, in exilio ſit vivendum, defero meam operam Eccleſiæ. Ac, ſi tibi cœtus pius notus eſt, qui mea opera uti vellet, potes ad me ſcribere, & literas mittito vel ad *Philippum* præceptorem vel Ve-

saliam ad meum patrem *Gofridum Hesbusium*, bene vale, clarissime vir & rescribe. postridie της πεντεκοςης. Goslariæ.

Tuus ex animo
TILEMANNUS HESHUSIUS. D.

C.

Herm. HAMELMANNI *a*) Ep. ad Alb. HARDENB. 1558.

De Propositionibus suis Rostochiensibus *quædam monet, ad captandam* Hardenbergii *benevolentiam. Se cum* Ph. Melanchthone *consentire docet, imo etiam dissentientes facile ferre testatur.* Christophori *Comitis* Oldenburgici *favorem sibi per* Hardenbergium *expetit, ac se magnopere* Alberto *commendat.*

Salve vir Reverende & Clarissime. Existimo te meas propositiones quas defendi in *Academia Rostochiens.* & vidisse & probare, nam relatum habeo, quod te ad Electorum scriptum *b*) referas, & nihil aliud nisi Ubiquitatem corporis & Transsubstantiationem impugnes, nec aliud ego ago, & scio meas positiones nihil remotius ab Electorum scripto habere, quarum etiam duo vel tria exemplaria in vestra sunt urbe. Nullum nunc ad manum habeo, alioqui tuæ pietati unum transmitterem, nam in istis fere comprehendi totam doctrinam, quæ in me olim condemnata est à Juliacis, dum ex Bleveldana ecclesia ejicerer. *Philippus* non videtur improbare meas posi-

a) *Hujus & superioris* Epistolæ Αυτογραφον in scriniis meis servo. Patet vero ex hisce atque similibus Literis, & quanta fuerit Hardenbergii in ecclesia auctoritas, & quam hi tales, qui tamen infensissimi erant Hardenbergii hostes, quod eventus docuit, ipsi tamen adulati fuerint, dum ejus commendatione videbantur indigere.

b) *Electorum scriptum*, est *Recessus* ita dictus *Francofurdiensis* A. 1558. de quo STRUV. in Hist. Eccl. Pal. p. 63. SALIG. in Hist. A. C. T. III. p. 363 sq.

positiones, nec ego etiam ab ejus ſententia ſtatui recedere. Quod vero ad me attinet, Vir clariſſime, ſi maxime mihi cum aliquo diſſenſio, vel diſputatio eſſet de uno aliquo articulo doctrinæ, tamen ſi de reliquis articulis mecum recte ſentiret, nihil certe cauſæ haberem, cur me plane ab ejus conſortio alienum facerem. Alius enim fœnum, alius argentum ſuper unum fundamentum adſtruit. Sed hæc hactenus, quæ à te, non malo ut arbitror animo, cum ſint ex vero candore profecta, capiuntur.

Opinor te nuper literas ad *Albertum Buſchium*, iſti juveni enim id in mandatis dederam, tradidiſſe, & quoque ſupplicatorias literas meas, quas apud te reliqui, transmiſiſſe inclyto Comiti *Chriſtophoro*, & certo optarem ſcire, quid in hac cauſa per Generoſiſſimum Comitem effectum eſt. Quare à te de his ſingulis amicum reſponſum peto, rogo, ut vere exiſtimes *Hamelmannum* tibi & ſymmyſtis optima quæque cupere & feliciſſima precari; Si vero quædam adhuc in me & in meis ſcriptis, dictis vel factis deſiderares, faceres certe gratiſſimum, ſi mihi indicares; Is enim ſum, qui pias piorum admonitiones vel potius reprehenſiones libenter ſufferam & amiciſſime excipiam. Vale cum belliſſima uxore in Chriſto feliciter, & ſalutat te noſter *Chytræus*, Dominica 3. poſt Trinit anno 1558. tumultuanter admodum.

Tuus HERMANNUS HAMELMANNUS
Licentiatus.

Sed hoc fere neglexeram, de meo ſtatu ſi forte certior fieri cuperes, hoc tantum ſignificare poſſum, nihildum in eo actum eſſe, tantum quod interceſſione Philippi & aliorum excellentiſſimorum hominum mihi clementem audientiam petam apud Principem, & reconciliationem cum Vlatteno. Quid ſit futurum, expecto.

D. *Pauli* EBERI Prof. Witeb. Ep. ad A. HARDENB. 1550.

Prior Epiſtolæ *pars meris humanitatis & officiorum proteſtationibus abſolvitur. De* Bremenſi *& de* Meppenſi *quodam ab* Hardenb. *ſibi commendatis ſcribit. De* Rodolpho (Munchauſen) *commemorat, ejusque mores laudat. Scriptum quoddam ſuum mittit. Salvere jubet* Henricum *quendam, qui in cœnobio virginum apud Bremenſes docebat.*

S. D. Dici non poteſt, quam gratæ mihi fuerint literæ tuæ, Rev. D. Doctor, quod ex illis intellexi, te, cujus ego amicitiam merito plurimi facio ut viri ornati excellenti eruditione & virtute, meam non adſpernari conjunctionem, imo eam etiam expetere, quod, quam conveniat, & quam te deceat, tu videris, Ego certe me meo pede metiens, nihil in me comperio, quod ullo modo conferri cum his laudibus ac egregiis donis queat Quare mihi erat magis conveniens tuam ambire benevolentiam, quam, cum tu ultro offeras, eſt, quod vehementer gaudeam, & tibi merito gratias agam, quod me puſillum & abjectum, ipſe, ut corpore major, ita & ingenii & ſpiritus donis ornatior, non dedignaris invitare in fœdus amicitiæ, quod ego quidem promtisſimo animo tecum ineo, ſed nequaquam æqualitatis jure, ſed ita, ut ego ſim tibi ſubditus, obnoxius ad omnia officia, ad quæ me ipſe merito tibi obligo & offero, quibus ſi voles uti, cognoſces me tui ſtudioſiſſimum eſſe.

De quibus ad me ſcripſiſti, ſic habeto, *Bremenſi* me officia mea detuliſſe quæ ſibi experietur ſemper promtiſſima eſſe propter tuam inprimis commendationem, quæ apud omnes pietatem amantes merito valere debet plurimum. *Meppenſis* aliquamdiu mea menſa uſus, mihique propter excellentem doctrinam, pietatem &

& modestiam percarus fuit, sed cum vereretur, ne sumtus majores cogerent ipsum citius justo ex hac schola discedere, meo consilio quæsivit viliorem mensam, semper autem conquestus est de imbecillitate corporis propter affectum ventriculum, egoque ipsi aliquoties hortator fui, ut de studiorum assiduitate, quam experiebar valetudini officere, remitteret nonnihil. Credo eum post paucos menses petiturum esse testimonium suorum studiorum publicum, quod si faciet, ego, cum jam fungar Decani officio, nulla illi opera, commendatione aut studio deero. *Rodolphus a)* jam ferme annum domesticus mihi est conviva, quem propter judicii dexteritatem & facundiam & pietatis studium & modestiæ, antea quoque dilexi, sed nunc cepi artius complecti, postquam & tua commendatio accessit, & cognovi illum tibi necessitudine quadam conjunctum esse. Illis omnibus, si postea scribes, tute auctor esse poteris, ut audacter me compellent, si qua in re sua, mea vel opera, vel quocunque officio sibi opus esse intelligant. Non fallam fidem tuam, quam tu pro me apud illos interpones, sed efficiam, ubicunque potero, ut me tui observantem & studiosum esse cognoscant. Mitto hoc tibi opusculum quoddam nostrum pueris scriptum, & indignum, quod in eruditorum manus perveniat. Sed, cum legantur etiam alia passim hoc non multo meliora, poteris etiam meas has nugas patienter percurrere.

Cupio puerorum studia quoquomodo excitare, ideo dum talia dictabam publice, accesserunt postea flagitatores multi & assidui, quorum ego auctoritatem nequaquam

a) *Rudolphus* ille est *Rud.* MUNCHAUSEN, quem deinde 1560 regidiores Lutherani *Rostochio* expulerunt, sed qui, aliquot annis post, apud *Bremenses* multa cum laude verbi ministerio functus est. Conf Zach. GRAPIUS in Rostochio Evangelico p 305 & 383 SCHUTZIUS in vita Chytræi P. I. p. 200. GREVIUS in Vita Pauli Eitzenii pag. 69. 70.

quam detrectare salvo officio poteram, qui obtinuerunt tandem, ut meam stultitiam publicatione hujus puerilis laboris omnibus eruditis proderem. Deus te ecclesiæ Christi incolumem conservet ac tueatur adversus Diaboli ac hypocritarum insidias. Saluta tuos collegas & inprimis optimum senem *Henricum* (supra scriptum fuit Nicolaum,) nisi fallor, Euangelium docentem in cœnobio Virginum, cujus mihi doctrina & humanitas olim in communi mensa D. Philippi cognita ita hominem conciliavit ut ejus amorem non, antequam vitam, depositurus sim. data Wittenb. d. 28. Maji 1550.

PAULUS EBERUS.

E.
EJUSDEM ad EUNDEM.
1551.

Gratulatur sibi de Hardenbergii *amicitia. conqueritur de calamitate temporum, & cumprimis de hostili manu ecclesiæ adhuc imminenti. De Turcarum potentia, de anabaptistarum factione, & de metu Concilii.* Augustanos *quosdam* concionatores *& alios* Suevicos *expulsos refert. De* Stancaro. *Adversus hæc mala solatur & pie quædam monet.* Philippi *constantiam iu ferendis malis & singularem in vita temperantiam laudat. De Ant.* Barnsio *Anglo itemque de* Rodolpho. *Se* Anglis *commendatum lætatur, reliqua Deo committit.*

S. D. Binas a te literas diverso tempore scriptas accepi. Rev. & eruditissime D. Doctor, quæ quantæ mihi voluptati fuerint, dicere non possum. Gratissimum enim mihi, & non cum amplissima aliqua fortuna commutandum est, quod mihi datum video hærere in aliqua parte amicitiæ tuæ, quam merito multis de causis maximi facio, præsertim cum illa conglutinata sit consensu cælestis doctrinæ & invocatione ejusdem Filii Dei, quem

quem toto pectore oro, ut te suæ Ecclesiæ incolumem & valentem conservet, & hanc nostram conjunctionem faxit durare ad æternam cum ipso conjunctionem, sicut ipse in postremo agone oravit pro suis discipulis & eorum auditoribus, *ut unum sint in ipso.*

Intellexi autem ex scriptis tuis, te perturbatum esse, quod quidem mirum non est. Ejusmodi enim nunc sunt tempora & mores, & tanta impendent pericula, ut si quis non afficiatur vehementer, illum aut malitiose contemnere ecclesiæ adversitates, si intelligat, aut si non intelligat, stupidum prorsus & aliis vel curis vel spebus ebrium esse necesse sit. Nos quidem & coram cernimus, & audimus atrocia. Nam conflictamur jam cum initiis famis, quam auget hominum malitia, non agrorum malignitas. Deinde in vicinia adhuc cernimus fumum, & sentimus ad nos volitantes favillas incendii bellici, cujus restinguendi, etsi aliqua nova spes nobis hisce diebus ostensa est, tamen metuimus, ut aliqua pax fieri possit in tanta canonicorum insolentia, qui videntur urgere obsidionem jam eo confidentius, quod existiment inclusos rerum necessariarum penuria laborare cepisse. Deus ecclesiæ vastationem clementer avertat, & bellandi cupidos saturet sanguine externorum hostium, qui jam magna vi impressionem facere in hospitia ecclesiæ Christi dicuntur. Nam Ungariam à Turcis infestari certus jam rumor est, & in Austriam quoque adscendere magnos exercitus, ita ut rex Romanus auxilia Germanorum Principum sollicite expetat. Classem quoque Turcicam dicunt oram Italiæ & Siciliæ non leviter carpere, & si adhuc exspectatur Traguti Africi reguli classis adjungenda cum Turcica. Audivimus etiam quosdam tumultus ortos in Belgica à factione Anabaptistica, quæ si fieret potens & vellet progredi ulterius, profecto magnam vastationem efficere in hac voluntatum fluctuatione & exulceratione posset. Instat etiam Concilii metus, cujus, si modo ali-

quod celebrari, per bella quæ in Italia jam exarsisse feruntur, poterit, quis sit futurus exitus, & quam atrocia decreta, facile conjicere quisque non prorsus fatuus potest. Et illo judicio finali non exspectato dicuntur certe concionatores omnes ex *Augusta* & aliquot aliis ecclesiis ad Podamicum lacum & *Suevia* expulsi, cum hoc interdicto, ne intra fines imperii sese contineant. Inter hæc tanta mala externa & interna, quæ ecclesiam terrent, etiam exortus est in Sarmatia novus subtilis Doctor, (*Stancarus* scil.) qui articulum justificationis hactenus magno consensu in his ecclesiis simpliciter & uniformiter traditum convellere impudentissimis scriptis conatur. Hæc tanta mala & alia, quæ tu haud dubie plura vides, & attentius perpendis, intuiturus, non valde commoveatur & posteritatis vicem doleat? Sed, mi carissime D. quid facere aliud nos imbecilles & miseri homines possumus, quam ut gemamus cum ecclesia, & deploremus primum ac emendemus nostra peccata vera conversione, deinde etiam pro suo quisque loco ac officio simus vox clamans in deserto, hoc est, simus, hortatores iis, qui circa nos sunt, & à quibus exaudiri possumus, ut idem faciant ipsi quoque, & deinde simul vota ac preces nostras prosternamus ante Deum unà cum Pontifice nostro, per quem deferentur preces nostræ; & interpellantem pro nobis, habemus fiduciam accedendi ad thronum gratiæ; & postremo simus firmo & tranquillo animo, ad ferendum ea, quæ Deus cuicunque in hac communi ecclesiæ exploratione ac castigatione perferre voluerit?

Sed hæc tu pro tua pietate & sapientia multo rectius intelligis, quam à me scribi possunt, quæ tamen ideo a me adjecta existimes, ut meum cor excitarem ad periculorum considerationem & curam & diligentiam quærendi remedii. A te vicissim summa cum animi gratitudine accipiam, quamcunque medicinam in his tantis malis mihi ostenderis. D. PHILIPPUS in his tantis procellis est bene

bene erecto animo, qui haud dubie divina ope fulcitur, non alioquin valiturus contra tot acerbissimos ictus, quibus ipse non publice modo, sed & privatim sæpissime concutitur, ut valde mirer, eum sustinere tantos tot simul ingruentium malorum impetus posse. Ipse verum suo exemplo facit dictum Christi (de quo dubitare nemo pius debet) dicentis *non solo pane hominem vivere* &c. Comedit enim parcissime, & rarius bis in die quam semel, a qua tamen abstinentia periculosa eum dehortamur, sed ipse sibi illam prodesse ait, & aliquando necessariam, volenti expedire molem negotiorum, quibus magis magisque indies obruitur. Sæpe opto ei quietiorem locum, in hac ipsius senecta dari. Sed illuc fortassis eum comitarentur negotia, sicut aliquando per jocum ad eum dixerat vir sanctus *Antonius Barns*, Anglus, qui jocose dicenti Philippo, Tu Antoni cum fies in Anglia Episcopus, ego accersitus ero tibi Cancellarius, Minime, respondit, redderes me nimis occupatum, nam te ubicunque sis comitantur negotia. Sed extra jocum oremus Deum pro ipsius incolumitate, quæ multum adhuc Deo juvante, prodesse ecclesiæ & rei literariæ potest. Jam retexit scriptum de anima, quod publice dicto, ut audivisti ex *M. Rudolpho*, quem spero propediem ad nos reversurum, ita enim ad me scripsit.

De Anglico responso miror tuam nimiam sollicitudinem, cum mihi hoc unum sufficiat, scire me, scriptum meum in manus episcopi pervenisse, non aliam ob causam, quam ut si aliqua sacra persecutio ex Germania nos ejiciat (ut jam videmus Augustanis Concionatoribus evenisse) & exteras sedes tutas requirere cogar, nomen meum notum sit ei, cujus patrocinio nidulum ibi aliquem invenire nos posse speramus, idque maxime tua commendatione. Quare, cave quidquam aliud illinc exigas, aut quæras, aut labores, quam quod hactenus a te, ita, ut volui, perfectum est.

Quod reliquum eſt, Deo ut ante, tuam ſalutem & totius eccleſiæ tranquillitatem commendo, &, cum nunc aliud ſcripti genus nullum hic exierit, mitto tibi has chartulas, quas ut boni conſulas rogo. Vide ex his ſcriptis, qualis metus nos urgeat. Ipſum libellum nondum legi. Docere igitur non poſſum, an dignus ſit, qui tam procul mittatur. Bene vale, datæ Witebergæ 9 Sept. 1551.

PAULUS EBERUS.

F.

EJUSDEM ad EUNDEM.

1556.

Hardenbergii *de Eucharistia ſententiam laudat. Ab* artolatria *ſe abhorrere profitetur. Optat ut vivo* Melanchthone *de modo præſentiæ inſtituatur Virorum Doctorum colloquium.* Vergerium à Calvini *ſententia non eſſe alienum refert.*

S. D. Venerande D. Doctor Alberte. Gratiam tibi habeo pro ſignificatione ſententiæ, quam videris anteferre illi duriori, quæ, aut rerum disjunctiſſimarum transmutationem, aut ſaltem copulationem talem ſtatuit, ut ex ſubſtantia panis & corporis fiat Υποςασις. Quorum priore poſito, non video, quomodo ſeparari ac impugnari adoratio, aſſervatio, circumgeſtatio ſpecioſe ſaltem poſſit. Altero autem conſtituto, non intelligo, quomodo accommodari ad eam ſententiam verba hæc Cœnæ debeant, cum dicit Chriſtus, τουτο ἐςι non dicit εν τουτω, συν τουτω, ὑπο τουτου ἐςι το σωμα μȣ. Cum autem toto pectore abhorream ab Αρτολατρεια, reformido illas ſententias, quæcunque eam ſtabilire videntur. Ideoque ſummopere opto & ſpero fore, ut in colloquio aliquo eruditorum & piorum virorum agatur, & concludatur de re tanta, ea adhibita moderatione, ut nec illa papiſtica idololatria reſtituatur, nec ſaluberrima

&

& summe necessaria Cœna Dominica ad prophanum contextum redigatur.

Quod tu haud dubie ardentibus votis a Deo petes, ut fiat adhuc, his præceptoribus nostris viventibus, quibus defunctis, facilè erit inter juvenes ecclesiarum rectores talis gubernationis forma, ubi quisque volet esse Lutherus & Elias, Καὶ ἀκουσει οὐδεν οὐδεις οὐδενος. Jam cœnabimus cum *Petro Paulo Vergerio*, qui fuit Justinopolitanus episcopus, & nunc vocatus a Duce *Alberto* proficiscetur in Borussiam.

Eum audio non dissimulanter probare sententiam Calvini. Deus adsit nobis omnibus, & te quoque regat, tueatur, ac ecclesiæ olim conservet. Datæ d. 21 Juni 1556.

PAULUS EBERUS.

G.

EJUSDEM ad EUNDEM.
A. 1557.

De Legatis Saxonicis Witebergam *missis in causa* Flacii Illyrici *refert, qui tamen de* Ubiquitate *hactenus nihil protulerant. Iidem* Bremensium confessionem *approbarunt.* Flacius *in urbe* Cosvicensi *erat. Totum Conventum nihil effecturum prædicit. De* Adiaphoris *quædam monet. Marchionis* Alberti *mortem nunciat.*

S. D. Clariss. Frater. Sexto die post abitum tuum venerunt huc a civitatibus Saxonicis missi legati, Valentinus Curtius, & collega, Lubecenses, Westphalus & D. Paulus, Hamburgenses, D. Morlinus, & D. Martinus, Brunsvicenses, & duo Luneburgenses mihi ignoti, ad quorum accessum *a*) omnes sumus excitati, speran-

a) Conf. RITTER in Vita Flacii Illyrici pag. 66. 67.

tes eos de hac ipsa causa, de qua nos angi scis, cum hac ecclesia & schola acturos, atque ita occasionem fore, aliquid explicatius de re tota dicendi. Sed quantum adhuc ex actionibus eorum animadverti potest, hoc unum in mandatis & animo habent, ut *Illyricum* apud *Philippum* in gratiam reponant. Lubecenses quidem præ se tulerunt, se cum Philippo etiam de ubiquitate locuturos, sed id factum ab ipsis nondum est. Audio eos fassos esse, quod sua scriptione tui collegæ *a*) Confessionem approbarint &c. Quam valde cuperem mihi facultatem dari cum *Westphalo* colloquendi, quam ego quidem, quibus potero honestis modis adhuc quæram. *Illyricus* cum aliquot suis manipularibus in vicino oppidulo Cosuic est. Eo excurrerunt, jam bis Martinus & aliquot ejus comites, hodieque adhuc aberant, cum hæc scriberem, quid allaturi sint, incertum est. Ut videntur adhuc negotia procedere, nihil video conciliationis. Non vult enim Phil. admittere conciliationem cum Illyrico, nisi is prius aperiat, quid de toto corpore doctrinæ sentiat. Idque jure postulat, cum Illyricus, ut scis, in dubium ceperit vocare, utrum λογος in Scri-

* SCHLUSSELBURG Catal. hæret. Lib. XIII. p. SALIG. in Histor. Conf. Aug. P. III. L. 8. c. 27. p. 242. GREV. in Vita Eitzenii p. 26 &sq. Ipse vero etiam Melanchthon hujus inter se & Flacium tentatæ conciliationis mentionem facit in Ep. ad Hardenbergium B. 4. *Post iter tuum venerunt huc Pastores Ecclesiarum, Brunsvicensis, Hamburgensis, Lubecensis, Luneburgensis, sint ut διαιτεται & arbitri inter Flacium & me. Dixi, me non recusare, quo minus instituant reconciliationem, sed velle me, ut de toto corpore doctrinæ agatur. Illi diserte testati sunt, se non venire, ut de doctrina instituatur collatio, tantum se reconciliationem tentaturos esse. Adhuc igitur cum Flacio deliberant, quos articulos mihi proponant. Nec certiora jam scribere possum, quia nondum ventum est, ad ἐκστασιν hujus actionis.*

a) Johannis TIMANNI, dicti *Amsterdami*.

Scriptura dicatur Filius Dei, & cogitatione Patris gignatur. Sed quid proderit consensum de adiaphoris inter eos esse factum, si relinquantur in ecclesia alia vulnera aliquando in longe maximum ejus malum eruptura? De iis sanandis velim aliquando serio agi potius, quam, utrum minister linea veste amictus esse debeat, nec ne? Deum oremus, ut ipse medicinam faciat. Video in humanis præsidiis nihil esse spei. Aliud nunc scribere nihil possum, quam actiones legatorum lente procedere, cum jam octavum diem hic hæreant cum magno sumtu, quo causa, propter quam hic agunt, vix digna videtur, siquidem aliud nihil acturi sunt, quod tamen nescimus, nisi ut Illyricus nostris, vel nostri illis reconcilientur. Eventum totius negotii curabo ut scias. Vale feliciter, mi D. Alberte. Scriptum à te mihi relictum lego cupide & cum voluptate, & jam versor in tertio libro. Marchio Albertus certe mortuus est d. 8. Jan. Data Witteb postridie conversionis Pauli 26 Jan. 1557.

P. EBERUS tuus.

H.

EJUSDEM ad EUNDEM.
A. 1557.

De Vice Rectoratu sibi imposito scribit. Miratur Bremensium *Pastorum adversus* Hardenbergium *astutias.* Hamburgensium *ad* Bugenhagium *Epistolam commemorat, ac quænam sua &* Philippi *sit sententia, exponit.* Bugenhagii *explicatio mysterii de præsentia Christi in S. Cœna.* Flacius *Jenam concessit.* Rorarii *mors. Lis inter* Amsdorfium & Victorinum *de bonis operibus.*

S. D. Destituor omnino tempore scribendi ad te pro voluntate mea novo labore oneratus. Nam supra

ſupra alias occupationes Calendis Maji creato in Rectorem Academiæ hoſpite meo D. *Davide* UNGNAD, Barone &c., mihi Vice-Rectoratus, id eſt, omnes labores & curæ & moleſtiæ Rectoris ſine titulo & fructu impoſitæ ſunt. Heri etiam rediit ex aula noſtra Doctor *Laurentius Lindeman*, qui inde reportavit reſponſum Rectoris, quo confirmatur ſucceſſio *Forſteri*, ſed literas nondum vidi. Creſcunt igitur ab hac quoque parte curæ & labores. Ignoſces igitur mihi cum non ſatisfecero. Ex *Gerardo* cum voluptate quædam, quædam etiam cum dolore, omnia fideliter & diſerte ab ipſo delata cognovi.

Miratus autem ſum Tuorum adverſariorum aſtutias. quod tam varia movent, ut etiam a Regibus *a*) auxilia contra te implorent. Multa audio imputari Buscodunenſi, quem tamen ſperabam pro eruditione mitius ſuaſurum & acturum. Hamburgenſes ad Dominum Paſtorem huc ſcripſerunt, petentes etiam ab hac Eccleſia confeſſionem cum eorum ſcriptis conſentientem in hac controverſia. Is heri D. Philippum ante examen ordinandi ea de re compellavit. Ibi, ut cognovi ex iis, qui adſtiterunt, cum maxima commotione reſpondit Philippus. *Nec poſſum, nec volo Saxonum vehementiam*, (ſed locutus fuerat durius, quam ſcribo) *univerſam defendere aut approbare, non ſi mihi moriendum ſcirem.* Et gener (nempe Peucerus) non minus jam, minusque cælare ſuam ſententiam hac de cauſa. Me heri idem Paſtor ſubito nihil minus cogitantem compellavit, ſe comperiſſe te ad me ſcripſiſſe literas, in quibus fuiſſes conqueſtus de ipſius ſubſcriptione, quæ tamen fuiſſet moderatiſſima, neque quidquam habuiſſet, quo offendi merito debueris.
Eas

a) Notum eſt, quam *Bremenſes* concionatores tum *Regem Daniæ*, per *Henricum Buscoducenſem* Theologum Aulicum, induxerint, ut adverſus Hardenbergium ad Senatum Bremenſem ſcriberet, &c.

Eas tuas literas serio postulabat sibi a me legendas exhiberi. Ego consternatus non inficiabar te interdum ad me scribere solere, & legebam ei eas literas, quas Gerardo dederas, nihil continentes, quo offendi ipse posset. Quod nunc ad illam querelam suam attineret, respondebam mihi excidisse, si quid ejusmodi scripsisses, nec me literas vel tuas vel aliorum diu asservare solere. Dicebat Lucam . . . . . tuam apud me legisse. Petebam eum ad me mitti, ut mihi revocaret in memoriam, ubi & quando illi tales legendas literas ostendissem. Sciebam enim me Lucæ illi intra anni spatium nullam epistolarum, nedum tuarum aliquam, quas studiose premo, monstrasse. Id quod Lucas ipse fassus est mihi ita esse. Ita quievit D. Pastor. Aliquoties jam de hac controversia diebus Mercurii verba fecit ex suggestu, ubi palam rejicit transsubstantiationem, & his verbis usus „ est; Accepit panem, & cum gratias egisset, fregit, quid? „ panem, ac dedit illis, quid? panem, dicit, accipite, quid? „ panem, comedite, quid? panem, nimirum hoc quod „ comeditis, est corpus meum, non imaginarium, phan- „ tasticum, significativum, sed quod pro vobis datur; Et usus est etiam aliquoties hac formula; *So war du das Brod issest, so war emphähestu den waren Leib unsers Herren.* Et tamen nihilominus invehitur in sacramentarios, & pugnat de ubiquitate. At illa conciliare non possum, & profecto existimo tantum deesse multis, quorum & eruditorum placida collocutione ejus magis verbis, quam re dissidere videntur. Deum igitur rogo, ut ipse occasionem det ejusmodi, ut sanari hoc tantum malum possit. Tuum Vintoniensem me habere adhuc plane ignoravi, ignoscas meæ negligentiæ. Emi etiam hic Cranmeri Cantuariensis confessionem de eadem causa, quam inspiciam, & ubi vel parum otii nactus fuero, præstabo, quod promisi. Illyricus cum familia concessit Jenam, ubi *Georgius Rotarius* mortuus est, & inter Amsdorfium & Victorinum

acris eſt diſputatio de bonorum operum neceſſitate. ubique furit Satanas, & conatur opprimere miniſtrorum dignitatem variis occaſionibus, cui decet nos reſiſtere ſpiritu & oratione. Deus te confortet & adjuvet Spiritu S. ſuo, ut actiones tuæ ad ipſius gloriam, & ædificationem eccleſiæ vergant. Bene vale cum conjuge tua honeſtiſſima, & ei fraternam ſalutem dicito. Salutant vos etiam omnes mei domeſtici, & convictores tuorum piorum ſermonum adhuc bene memores. Datæ Witebergæ XII. Maji a. 1557.

L.

EJUSDEM ad EUNDEM.

A. 1558.

Eum conſolatur ac confirmat. De munere concionatorio ſibi impoſito ſcribit. Conventum Imperialium & colloquia Theologorum extimeſcit. Voto ad Deum finit.

S. D. Reverende Domine Doctor, frater cariſſime. Quod unicum hoc tempore poſſum, ago Deo gratias, quod te in tantis adverſitatum fluctibus, clementer protexit, eumque toto pectore oro, ut porro tibi periclitanti adeſſe velit, teque roborare, & inſtruere ſapientia cœleſti, animo, & facundia, ut poſſis retundere audaciam eorum, qui dum volunt videri acerrimi hoſtes Pontificis Romani, ejus tetram idololatriam ſtabilire conantur. Ego hic pæne conficior curis, & inſuetis laboribus concionandi in auditorio erudito & delicato, ad quod ego omnium maxime imperitus & inexercitatus ſum productum præter ſpem & voluntatem meam, hoc tempore periculoſiſſimo, quo recrudeſcunt certamina pro-

propemodum jam sopita, & exoriuntur nova. Metuimus etiam conventum Imperialem, qui inchoabitur Kal. Januarii. Is nobis haud dubie vel initio vel sub finem pariet nova Theologorum colloquia, quæ ut horreamus, proxima *Wormatiensis a)* infelix collocutio facit. Sed orandus est Deus, ut ipse mentes & voluntates docentium coalescere faciat, & sinat vincere veritatem. Deus nos omnes clementer tueatur, & conservet, & dirigat in veritate sua. Saluta tuam conjugem nostrum omnium nomine & in Christo feliciter vale. Data festinanter ad lucernam 17. D. Novembris a. 1558.

P. EBERUS.

K.

EJUSDEM ad EUNDEM.
A. 1660.

Dolet vices Hardenbergii *& calamitosum Ecclesiæ Protestantium statum delineat. Precibus utrinque ad Deum fusis restitutionem unice parari posse confidit. Orationes quasdam transmittit.*

S. D. Reverende Domine, frater carissime. Facile credo te in maxima angustia constitutum esse, cum in te unum isthic magni fluctus impetum faciant. Sed vero credas mihi, nos hic non minus premi & urgeri, cum hac ipsa causa, quæ te adfligit, tum aliis quoque & iis subinde novis. Vere enim jam hæc schola & ecclesia constituta est in signum contradictionis, unde sequitur id, quod S. Simeon virgini Matri prædicit, ut ῥομφαία transeat per animas nostras, productas in hæc certamina ab aliis mota & exulcerata, & non invenientes

a) De *Wormatiensi* illo colloquio conf. SALIG. in Hist. Aug. Conf. Vol. III. Lib. IX. cap. I. & II.

tes modum, quo sanari ac leniri possint. Interea cernimus cum ardentissimo gemitu, dimicantibus doctoribus, crescere prophanitatem & infrunitam licentiam vulgi, alios dubitationibus paulatim abduci ab amore & veneratione ministerii. His diffidiis si velimus etiam ipsi addere distractionem docentium & auditorum in his ecclesiis, motam per eos causa περι δειπνυ, cogita quæso, carissime Frater, qualis status futurus sit in his regionibus in quibus qualiscunque consensus Ministrorum hactenus sustinuit & repulit graves insultus & oppugnationes Flacianæ factionis. Commovearis igitur cum miseratione obsecro harum ecclesiarum, quarum cura nobis commissa est, & credas, nos causas habere, cur non judicemus adhuc quidem eas turbandas esse & tamen simul tibi hoc persuadeas, hujus moderationis, quam alii tergiversationem, alii durius appellunt, usum nobis non diu concessuros eos, qui omnem lapidem movent, ut vulgo nos, cum Zwinglianismi, tum nescio cujus non hæreseos reos faciant, ut nihil sit certius, brevi coactum iri Synodum hujus partis, in qua de multis partibus doctrinæ quæ nunc sophismatis & subtilitatibus quorundam labefactatur, clare και διαῤῥηδην, pronunciandum erit, non quærenda, ut hactenus factum interdum est, palliativa, ut vocatur, vulnerum curatio. Interea nos tibi precibus nostris adsistemus, quod tu pro tua pietate similiter facies, nostram ecclesiam & scholam tuis precibus Domino diligenter commendans, quæ profecto multis de causis in magno periculo est. Deus te cum tua piissima conjuge & ecclesia clementer protegat, regat, & conservet, & hunc ineuntem annum vobis omnibus largiatur felicem, & tranquillum. Mitto oratiunculus recitatas in illo actu in quo ceu ovis ad locum mactationis productus inprimis diaboli ac satellitum ipsius ictibus expositus fuit. Deus nos clementer adjuvet, & defendat, & per nos miseros homines quantulacunque utilitate juvet ecle-

cle-

clesiam, ut simus vasa beneficentiæ, non iræ, non errorum, non perditionis aut vastationis. Alterum exemplum dabis tuo Comiti, tertium cui voles amico. Datæ Witteb. Idibus Januarii, 1560.

P. EBERUS tuus.

L.

EJUSDEM ad EUNDEM.
A. 1560.

Hardenbergii *pericula imminentia ac statum miserrimum deplorat. De sua circa doctrinam de* S. Cœna *sententiam quædam monet*. Francofurtani recessui *se cum suis inhærere affirmat. Vocationem* Hardenbergii Heidelbergensem *exoptat. Voto finit.*

S. D. Rever. D. D. tibi fideliter assistimus precibus, ardenter petentes, tibi in isto periculoso certamine adsit Filius Dei suo sancto spiritu, & reprimat Diabolum homicidam, quærentem cæde & sanguine turbare ecclesiam vestram, & deformare totum ministerium & ecclesiam. In quo nos metu tua causa simus, cognosces ex horum latore, ex quo etiam disces, quid censeamus à te fieri debere, ut periculum effugias, si sine ecclesiæ tuæ summo periculo id facere possis. Molitiones enim illæ occultæ & magnæ sunt, quarum eventum tristiorem tibi deinde imputari gravissimum foret. Sed id apertius forte & prolixius ex aliorum literis cognosces. Me pro eo ac cuperem, scribere copiosius, etiam occupationes assiduæ non sinunt, quæ profecto occident me, nisi aliquam levationem oneris adhibebunt mei collegæ. Meam sententiam, ut eam proxime in patriam meam, & petentibus quibusdam Luneburgam scripsi de S. cœna, de qua, ut scribas judi-

judicium tuum, te oro. Cuperes tu fortassis me illam plenius dicere, sed puto satisfieri illis, qui non prorsus στατισικην μεταβολην defendi requirunt. Electori petenti scripsimus nostram sententiam de controversis articulis in his ecclesiis, & de cœna diximus nos sequi confessionem Electorum ac Principum editam Francofordiæ, quam calumniator ille, *Samaritanum interim* nuncupare solet; & iterum clare professi sumus nos abhorrere à propositione illa, *Panis est essentiale corpus.* Heri literas accepimus ex aula, in quibus D. Mordisius his ipsis verbis scripsit de illo nostro scripto. ,, Scriptum ,, vestrum huc missum Illustriss. Electori obtuli, nec ,, dubito, quin Cels. ipsius operam vestram clementer ,, bonamque in partem sit acceptura. Mihi vero etiam ,, sententiæ vestræ de controversis articulis non impro- ,, bantur. Idem tamen vobiscum sentio, satius esse, ,, ne subito spargantur, aut in publicum edantur. De ,, quibusdam enim colloquio & collatione opus esse ,, judico. Hactenus ille. Ad Rectorem nostrum *E-* ,, *delberga* scriptum est, te illuc vocatum iri. Id si fieret, profecto tibi occasionem dari putarem discedendi ex isto periculo. Sed Deum, æternum Patrem D. N. J. C. toto pectore oro, ut tua consilia regat spiritu S. suo, ut serviant ipsius gloriæ, & sint salutaria ecclesiæ. Salutant te omnes mei domestici. Data festinatissime die 6. Oct. 1560. PAULUS EBERUS.

Num. V.

Alb. HARDENBERGII

Scriptum Apologeticum ad *Capitulares Bremenses.* A. 1557.

* * *

* * *

Eò jam res devenerat cum A. HARDENBERGIO, in Ecclesia BREMENSI, ut, nisi is, *Ubiquitatis* dogmati adsti-

adstipularetur, atque, cum *Farragini* Timannianæ tum *Confessioni* reliquorum Concionatorum subscriberet, eum templo cathedrali exterminandum, atque urbe ejiciendum ceu sacramentarium, decernerent ejus Antagonistæ, qui & Regem Daniæ CHRISTIANUM III. adversus eum animaverant, & vicinarum civitatum Magistratus instigaverant, ut communi nomine ad Capitulum Bremense, cui suberat Hardenbergius, de eo, minime, amplius tolerando, scriberent *a*);

Capitulares igitur, quos appellant Canonicos, ea de causa ad Senatus Bremensis petitum cum Hardenbergio propius egisse, atque illi silentium, tantisper dum lis decisa esset, imponere voluisse videntur, simul vero etiam eundem commonefecisse, ut ad Regem Daniæ semet exculpatum proficisceretur;

At vero, tum HARDENBERGIUS Scriptum hoc d. 23 Junii 1557. Apologeticum ad Dominos suos exarare, atque in eo omnem rem gestam breviter & nervose commemorare; Quod cum in MSſ lingua vernacula ejus temporis, sive Saxonica vulgari conscriptum, inter reculas meas servem, satis accuratè uti videtur ex Archivo Bremensi descriptum, cumque illud hactenus quantum scio publicatum sit à nemine, & notabili tamen illi controversiæ, quæ tum Ecclesiam Bremensem & exercebat & discerpebat, proprius cognoscendæ magnopere inserviat, illud huic SCRINIO nostro inserere volupe fuit, quò sic impoſterum, in descriptione causæ Hardenbergianæ, ad illud, ceu ad Documentum quoddam, quod nec rejectum nec refutatum est unquam, provocare possemus, ipsaque posteritas jam de Hardenbergio melius informata, pervidere queat, qua ratione, plenior Ecclesiæ BREMENSIS *Reformatio*, nec dolo ulli aut ver-

a) Eas literas Senatus Lubecensis, Hamburgensis & Luneburgensis ad Capitulum Bremense exhibet Rev. GREVIUS in *Memoria Pauli Eitzenii*, inter Docum. num. XXI. p. 121. 122.

versutiæ, nec Calvinistarum, semet intrudendi, fervori nec Hardenbergii seditiosis consiliis, nec ejus assectarum violentiæ, nec ullis malis nostrorum artibus, sit accepta ferenda, quin potius, importunitati adversariorum ac pertinaciæ Zelotarum, qui, ad instar eorum qui *castra Pompeji Senatum* appellabant, suam sententiam pro Ecclesiæ doctrina venditabant, cumprimis autem, benignæ illius Numinis Providentiæ, quod ex tenebris lucem elicere voluit, atque ut ejus irradiationes civitatem BREMENSEM proprius collustrarent perficere non est dedignatus.

ERWERDIGE GUNSTIGE HERREN!

§. I. Ick hebbe van U Erw. vernamen, dat des Ehrbahren Rades begehren sey, dat ick stille holden scholde van den hilligen Sacrament, unde darvan nicht mehr leren, beth up ein colloquium, welkes doch verhindert wert, un wohl lancksam einen vortganck gewinnen wert.

§. II. Nu weten U. E. ahne twifel sick tho bedencken, wo ungerne ick daran gekahmen, wente alſo de Ubiquitet hir so heftig gedreven wert, ock in opentlichen druck uthgegan, unde ick mi verluden late, dat de lere in de Kercken nicht gebrucklick were, also ick van veelen geleerden berichtet was, ende ook sulvest gelesen hadde, wort ick voorth vast in al den principalen Predicken voor einen Ketter, Swermer, Nestorianer, unde Sacramentsschaender, so heftigen uthgeschriet, dat idt ook den anhorers verdroth, darup ik einen der Borgermesters in minem huse anredede, un sede, wo ick ambtes und gewetes halven darhen gedrenget werde tegens sulckene lere unde bouck tho seggen un schryven, darup mi nicht altho gnedigen antwort wederfoer, " ten scholde mi nicht upgan. „ Men scholde sick dartegen setten, ja he wolde sick sul-

„ vest dartegen setten, unde wat he alleine nicht don „ en konde, wolde he dar meer tho ropen, als leider „ al tho veel geschehen.

§. III. Doch drukkede ick mi noch und sede nicht mehr dan twe mahl tegen de vornümde alweselickheit des waren naturlicken lives Christi ohne dem gebrucke des Herren Nachtmahls; de erste reyse drucker unde hemscher mathe, darop ein Flamingk edder Brabander, de doch een ungelehrt wever was, mi so hefftig nottdrengende ende drewde, dat ick vort mosch und in ap neglter predike apentlick tegen de Ubiquitet prædiken. Nu weren der Predicanten thwe vorhen all tegen my hen to *Hamborgh* gewest, ende mi met einer fremden schrifft verclaget, als scholde se de mine sin, wie se nicht en was, unde togen darna wedder mi tho *Mollen*, dar ick alle dinge nichts van en wuste, ende mengede sick vort ein Ehrbare *Rahdt* darin, ende vorderde van mi ein confession vam h. Avontmahl, ende off ick schon mi des geutert, ende mit allem flide bedinget, dat ick in mine sermone van des H. Avontmahl es nicht wolde vorstahn hebben, dat darmede ook nicht gemeint, wie ick in der warheit nicht gedahn, en hadde ook betuget, dat ick van den H. Avontmale met nemanden nenen zanck en hadde, were ock eine andere wise, dat unse Leve Herr in den H. Avontmale uns sin ware Lyff ende blot thom Testamente to etende, ende tho drinkende gifft, unde hadde dat so angetigt uth den hilligen Gregorio ende anderen, ten hefft averst alles nicht helpen mogen.

§. IV. Dann dar ist je laenger je hefftiger op mine Confession gedrungen geworden, ende ick allenthalven vor einen Ketter uthgeropen, op predickstohl, in husen, en straten, ock over mi grauwsam laster geschreven ende noch huden am dage mer ende mer gedreven wert, ende wort so genodigt, dat ick mine confession

 ge-

geven moste, de ick ock *mer dan sesserley* gav, ende wisede uth Luthero ende anderen allermeist uth den *farragine* dar de zanck van was der Ubiquiteten halven, up sulcke mate en wyse, dat ick gehopet hadde, de Predicanten sollen gesedigt ende ein Ehrb. Radt mit mi tho freden geweſt sin, wente ick referirde mi up den *farrago Amsterdami*, und gav van den minen nicht, dann dat ick daruth den probathen authoribus antigede, welck dog all uthgeschlagen, so hebbe ick tom latesten uth den *farragine*, des *Musculi sententia* an mi genamen, ende davor gestellet *de positiones wedder de Ubiquitet* met protestation so dar tho sende.

§. V. Nuh was dese mine Confession (als ick de ock uth den latine mede in düdisch gesettet hadde,) am ersten by dem E. Rade vor gudt gerekent, off jo, tuschen den Erw. Capittul ende enen Erb. Radt beredet, *dat man de beneven unsere predicanten Confession scholde na Wittenbergh senden*, ende sus unpartheische Universitæten, welcken darna gantz wedder afgeschlagen by den E. Rade, ende tegen mi dorhin gesandt, ock mine Confession nicht mede gesandt, dan alleine der andern Predicanten, nit ohne grote beschwaringe miner Lere ende Personen.

§. VI. Wat overst de Wittenbergischen Gelehrden up der andern Predicanten Confession, welcke sulcker vorigen beredunge tho weddern, alleine darhen gesandt was, geordelt hebben, is am dage, offt schone welcke sick verluden lathen; idt feile an der einen forme van reden up dat wort *essentiale*, dar doch de twist inne gelegen, ende geven vor, se hebben dat wordecken dar gesettet tegen de Schwermer, gelick de Niceni patres dat wordecken *homousios* consubstantialis tegen de Arrianer (wodessen dat vöge, en wo gelick dat si, late ick hir ungedisputirt, ende geve et einem jeden gelovigen Christen te

te ordeelen), wie ock etlicke ſacramentalem unionem cum hypoſtatica perſonæ Chriſti vergelicken.

§. VII. Middelertydt ſonde men allenthalven breve, bade en bodeſchop, an de benaberden ſteden ende Predicanten, ende leth der andern Predicanten Confeſſion beſtaedigen, dar ohne twivel de Gelerden in den naberſchafft ſich hadden in tho bedencken weten, als ick nit laſterlick bi ſe vorhen war angegeven worden, ende ere ſinne ſo waren praeoccupert geworden, durch mine misgunners. Wat averſt en allenthalven van mi ingebildert geweſt, is klar am dage te ſehen in enen ſchryvende, ſo ſe hier tegen mi ingeſant, do ſe doch mine lere noch min tegenbericht nicht gehort noch en wuſten, ende is jeder maenniglick woll bewuſt, wo de Her *Marten Schütte* in ſiner *Mannsfeldiſchen Reiſe* mi angegeven, wie ock de anderen anders wor, alles ohne warheit, ende hebben nicht van mi geſecht, dat mine was, ſonder wat ſe gehort, odder in den Kieſſboeken gevunden hadden, ende ſûs uth inniger bitterheit in minen reden verkeren konden, al dat ick tegen de ubiquitet geredet, up dat Avontmahl treckende.

§. VIII. Wo man mi men middelertydt in *Dennemarcken* angegeven, bringen des Koniges Schriffte genogſam mede, ſo en is mi ock nicht heel onbewuſt, wo, welcker-wiſe, ende dorch weme ſulckes tho wege bracht. Wo ick ock alle lande durch herom getogen, is ock am dage. Wie ock alle ſtraten, huſe, predickſtole ende geſellſchuppe van mi geklangen hebben, is mer denn allthewoll bekant, ende en is tot nochto kein wordt van all den ſtücken aver mi beweſen, ſchal wilt Godt ock in der dath ende warheit nicht bi mi gevunden worden, ende is minen misgunnern nicht genog geweſt, erſe ock in allen ſteden ende flecken de predickſtole vull klagendes wedder mi gemaket hebben.

§. IX. Hebben erer nicht weinig ander nothwendige ſacken vergeten, ende is hen ende wedder ſo ein rhu volck geworden, voll haders, kives, ende mottwillens, ſo hefft eme Godt ock hier in der Naburſchup ock einen thogeſandt, dar wi allthoſahmen genog tegen tho donde hadden, als de Chriſtum unde alle ſyne wolhthat verlochent unde voll laſters is. Averſt de, ende alle boſe ſecten, hebben guden frede, ock alle ſunde, ende laſter ſteit ahne ſtraffenſt vry, allene dat men de moed an mi arme elende, einſame koelen moge.

§. X. Ick ſwige dat ſe nu eine ſchrifft ſtoffert hebben, de quanswyſe, van ein *Bodecker* van *Hamborch* hir hen ingeſandt is, doch wi men ſecht, van hier affgeverdigt, dar mer laſters tegen mi inne ſteit, dan ick gelove de Juden tegen alle de Chriſtenen nimmermehr gebrucken mogen, ende wert mi darinne Gade loff nene ſchult gegeven, konne ock nicht, dann „dat „ick idelicke Lude nicht opentlick verdammen will, „ende ere Confeſſion onderſchriven, ende dann dat ick „uth den Musculo mine Confeſſion geſtellet mit idt„licken grauſamen geſwinden poſitionibus ſed contra „ubiquitatem humani corporis Chriſti; darup ick in duſſer ſchrifft nicht antworden en will, dann, dat ick thom verdomenden nich ſo ilich bin, als erer edtliche, als averſt de chriſtlicke Kercke jemandt verdomet, uth grunde der hilligen Schrifft, ſo ſchal ſulcken bi mi mede verdomet weſen, he ſi woll er will. Ick wolde averſt lever einem tho recht helpen, dan ein verdomen, ende wedderumme em thorechte wiſen, dan einem verdomen.

§ XI. So vele ere Confeſſion belanget, dar iſt de twiſt umbe, ende is tegen mi ende umb mi tho beſwaren geſtellet, ſus weren hier Confeſſiones genog, ſo is ſe ock hinder mi hen geſtellet, mi ungevraget, de ick doch

doch in des Ertzbisschops stede hir in rechten waren ordentlicken berope lere in de Ertzstiffts Kercke, ock ein promotus Theologus ahne rohm sin, so scholden se ersten mede mi dartoe getogen hebben, als se deden, do se schreven tegen der *Hamborger* opinion *van de helle-fart Christi*, ende tegen den *Osiander*, welker ick em stellen moste, ende dardurch ick ahne twivel bi den Hamborger op mi den ersten onwillen geladen hebbe, ende se de koppe uth der sulvigen togen.

§. XII. Dat ick uth den *Musculo* mine Confession gestellet, dar heft *Amsterdami farrago* mi hen gewiset, ende hebbe nicht anders geweten, ock noch nit, dan dat he rechte sententie hebbe ende holde, ock nahdem dat de Predikanten Confession darume gemacket, dat men mi vangen wolde, wo ick dat mine angestellet hadde, als ick de *Ubiquitet* unde *Essentialitaet* darbuten gelaten hadde, so nahm ick mine Confession uth den bocke, dar de zanck ume was, ende schloch se mit eren egenen swerde, dat iset, dat eme weh doth. Wente nemand kann mine Confession verdomen, he mot dan den *farraginem* erst verdomen, offt schone de *Bodecker* sick sulks anmatet, unde doch nicht ein stucke uth en drucket, kan ock wol nicht.

§. XIII. So vele mine *Positiones* belanget, de hebbe ick allen Universitaeten to rechten vorgestellet, ende wolde man, dat de *Bodecker*, of desse anderen, doch met einem worde angeteckent hadden, wat er in dem Musculo edder in minen positionibus misvallt, dar en steit in eren lasterschrivende nicht ein wort van, averst idt het, als man secht: *sic volo sic jubeo sit pro ratione voluntas*.

§. XIV. Ick late averst dit altomahle sinen ganck gan, ende kame wedder uppe de *Wittenbergische* besendunge ende *Censura*, daran ick mi noch benögen late. Dewile averst de so ungudtlick wedder mi vor de Predi-

canten gedudet, ock tegen ehren egen ſin, ben ick do thor tydt notwendig verorſackt worden, dar in to ſeggen, unde denſelven Wittenbergiſchen Radtſchlag edder Cenſuram uth tho leggen, ſo ick dar gehört hadde, ende inſundern na S. Pauli meininge 1 Cor. 10. de *fractionem panis*, *communionem corporis* nömet, darup ſich de Wittenbergiſche radtſchlag refererde, ende ick ohne dat doch dat 10 Capitel 1 Cor. in minen ordentlicken texte muſte uthleggen, ende weth nicht, dat ik darin geleert hebbe, dan in uthlegginge des textes, edder wanneer ick ſus durch untidich ende onſtuimig ropen miner jegendele verorſacket bin, mine meinunge tho repeteren.

§. XV. Unde hebbe doch in deme meines wetendes nicht darinn gelehrt, dat der hilligen Schrifft unde der olden Chriſtlichen Kirchen ende dezen beſten ſcribenten, ock der Wittenbergiſchen Catechismis tho weddern ſi, want ſe ſetten in er Cenſura, ehr ſe ſchone ſus oder ſo mogen wol geredet hebben, ſchalt doch de meinunge ſyn, dat mit brod ende wyn . . . . . . ſit κοινωνία, ende ſo lere ick ock, wo ick des mit warheit overtuget ende berichtet worde, wolde ick dartho don, wat billick; als averſt laſterent en anbringent, ende anklagent alleine ſchal genoch weſen, wol kann alsdann unſchuldig gevunden werden? ſcholde ick mi dann vorſeggen, darvan heel ende all ſtille tho holden, ſo wolde daruth folgen, als kende ik mi ſchuldig, welckes Godloff noch bi mi nicht gevonden en wort, ende lete ſick anſehen, als hedde ick wat gelert, dat der warheit tho weddern: als ik averſt de warheit hebbe gelert, wie ick verhope, ende noch nicht anders en weth, ſo en mag ick deſelvigen nicht begeven, den vor als na dezulve voorſtahn, wie dann eenen jeden Predicker amtshalven thoſteit.

§. XVI. So weren ock mine jegendele nich viren, ſulc-

ſulckes velemehr en anderswor, up den Predickſtol tho driven ende op tho mutzen. Derhalven is mine dienſtlicke bitte, mi mit ſulcken, dat minem ampte en lere tom hogſten vorvencklick, tho verſchonen, un nicht tho verſwaren. Ein Erb. Radt handele mit eren predikanten, dat de van eren dagelikesken ropen aver mi afflaten un ſtille holden, an mi ſchal nen mangel ſin an alle deme, wat tho guden Chriſtlicken un bruderlicken freden denlick, ende ick ane verlettinge mines amptes ende gewetene don ende laten kann, edder ock nageven mach.

§. XVII. Ich en weth ock up minen doth noch nit, weſſes de predickers mi thien, edder warumb ſe mi ſchult geven, anders, dann dat nu in des *Bodeckers* lasterſchrifft geſecht is, wie ick hier vorgeſettet, ende ſtelle dat tho aller Chriſten ordel, off mann mi darumb ſus radbrocken ſcholde, want *Musculus* is alle tidt ende in allen colloquiis under den unſen de unvordachte droplickeſte geweſt, ock in den *Wittenbergiſchen verdrage* ende ock do he dit bock ſchref, dar de *farrago* dit uthgenomen hefft, ſo is mine korte *Confeſſion*, als de *Buceri* en der Kercken tho *Strasborch* is, tho *Schmalckelt*, van *Luthero* ende allen, de der weren, vor gut gekant ende de Strasburger darup in 't bundt angenamen.

§. XVIII. Wat mi overſt in erer den unſen definition feilet, dat hebben de van Wittenbergh angetigt, ſo en kann ick ock *abſolutam ubiquitatem in genere* noch nicht annemen, eer de beweſen is. Se ropen op den Lutherum, de en hefft ſe ſoo abſoluut nich aſſerirt, dann alleine daruver diſputirt, ende ſchlut nicht mehr, dann *Ergo Chriſtus eſt ubique*, dat doch nemandt verlochent, ende in den bocke, *dat de worde Hoc eſt corpus meum, noch vaſte ſtahn*, ſecht he nicht mer dann, were 't nicht ein meiſter edder Davids ſtucke, dat man den Goliad mit ſinen eigen ſwert ſchloge, ende ſeide, *dextra Dei* ubi-

ubique est, ergo &c. He en wilt overst nicht categorice schluten, dann secht offt mannet dede; mi duncket overst, em hebbe wat anders in den wege staen, dat he nicht schluten en wolde als nu idelcke jungern vort fahren. Godt wet wo!

§. XIX. Ick hebbe gesegt, wat mi feilet, se en hebben mi noch nichtes gesecht, dat ick bekand stae, wante de stucke, de se uth minen predicken versamlet, en sint nich mine. Dann se hebben se allso stucken van gebracken, isperfen upgegattert uth den bocken, dar de parthen mit den andern gestreden hebben, un kan de gantze gemeinte mi darthu tugenisse van geven, dat ick so nicht geleret, dann mit desser wise en kamen we tho nenen freden.

So wäre dit min entvoldig bedenckent, dat men noch (als vorhen vor gut angesehen was) mine Confession, der ick principal twe gegeven uth den *Musculo* ende der *Strasburger* neme, mit minen *positionibus* ende der andern confession darbeneven. Unde hoere noch der Gode gelerden Wittenbergischen meinunge darup, de unse præceptores heten, unde gewest sint, ende noch billig geholden scholden werden. Wilt se averst sick des utheren, dat se ons darna eine schlichte forme vorschriven, dar wie uns an beiden seiten mede genogen laten. Beswaren se sick dat ock, so neme men eren vorigen rathschlag, ende nemer der beiden parthen Confessiones und meine positiones darbeneven, ende sende se erst na Wittenbergh, ende hore erer meinunge, want de onse ropen doch, Ick mach weten, wo ick de Censur to wegen gebracht hebbe de, dat fraage men dar, ende var den vorth an alle de anderen universiteiten der Auspurgischer Confessions verwandten, un latet de samtlicke van unsere Confession ordelen, edder ons eine gute forme stellen, na lude der H. Schrifft, dar wi in frede mede bestan mogen.

§. XX.

§. XX. Unde dat dit werk der unkoſten halven nicht vorlettet en werde, ſo wil ick an miner ſiden dar ein jahr beſoldinge tho komen lathen, ſo ick de vom einem Ehrw. Domcapitel tho bören gewohnlich:

Unde latet uns Predicker middeler tidt tho freden weſen, unde nenen zanck reppen edder vören, dartho erbede ick mi, ſo vör dat bi den andern tho erholden, welckers nicht ſware, als ein Ehrb. Raedt ſe dar mit ernſte tho vermahnen will, ende late middeler tidt thom aventmale, mi, unde alle de bekant ſtaen, dat *dat brodt* in Gottes worte vervattet, ſi in den rechten gebrucke, *dat wahre liff Chriſti vor uns gegeven*, doch *in einem hilligen Sacramente*, wente dardurch en mede wart uns dat wahre natürlicke liff Chriſti gegeven ſichtbarer wiſe, ſacramentlick, doch warhafftig, unſichtbahrer wiſe, naturlick ende eigentlick. Als men averſt darby ſegt *dorch den glauben*, wil man nicht dar dat muntlicke ethen im ſacramente nenen, averſt ſeggen nicht, na dem roecke, ſchmacke, geſichte, edder fleiſchlicker geſtalt, dan durch den gloven, ith ſchmaeket uth dem worde alſo, dattet brot in ſiner ſubſtantie brot blive, ende menſchlicker wiſe gegeten werde, averſt in den gebruck ende worden ſi idt dat ware liff Chriſti vor uns gegeven na der hilligen Sacramenten ahrt. De dith geloven, de lathe men tho dat H. Aventmahle middeler tydt, ohne mehr diſputiren unde fragen.

§. XXI. Dith will ick ock einem Ehrw. Domcapitele vor Gott ende in der warheit geſecht hebben, „ dat ick „ min levedage nicht einig geweſt bin mit den jenen, „ de alleine *analogiam* ſtellen tuſchen den brode ende „ liff Chriſti im H. Avontmahl, als doch de Predicanten wall weten ende gehort hebben, als ock Dr. *Rollwagen*, de mi nu uth mager affgunſt deze ſacke ſus „ tho wege bracht hebben, den welcken huden off „ morgen er egen geweten nicht viren en ſchall.

Ick late de worden des hilligen Aventmahls schlicht ende einfoldig in eren simpelen verstande alle *voces & verba*, allene dat ick segge, dat de prædicatio *panis est corpus Christi* nicht *regularis* schint tho wesen, gelick ick segge *rosa est flos*. Averst dat de prædicatio *panis est corpus Christi*, quodammodo *irregularis* sey, ende derhalven sacramental, ende de worden nicht ane jenige uthlegginge tho verstan (*dat isset*) en sint. Wente Lutherus velen synecdochen togelaten hefft, *dat isset*, dat ick van jenigen tropo scholde geredet hebben, ock nenen tropum nomen wollen, vilweniger ein figurisch, fantastisch edder geistlich liff, off schone de spise geistlicke wise hefft, ende nahdeme dat liff Christi in einem hilligen Sacrament gegeten wart, ock muntlich, so konent ock de unwürdigen ende unframen ethen, doch nicht in siner leventmacken, naturlicken kracht, want id is jo ein sacrament.

Ik late de proposition vast staen: ***brodt ende win im rechten gebruck des H. Aventmahls is dorch dat wort ende de Insettunge des Heren dat wahre liff Christi, dat vor uns gegeven is.*** Ick sette alleine dartho vor eine uthlegginge, dattet *Sacramentlick* si, edder *in einem verborgenen hilligen sacramente*, *dat si*, wol dat nicht tho en steit, de kan woll er ein Sacraments schaender wesen, dann ick.

§. XXII. Als ock unse Predicanten ere wesentliche definition gerne beholden willen, so setten si darby *eucharistice* edder *sacramentaliter*, off in einem verborgenen hilligen sacramente, so en schal se mi nit sunderlick vordacht wesen. Ick en kan mi overst nicht nemen laten, datter ein sacrament sy, dartho verscheidene dinge inne sint, als woll bewust.

Als dit nu so vereniget, zo mosten wi dat beste reden, ende de Lude mit allen fliete thor einigheit berichten, un allenthalven roemen, dat ons Gott eine salige eindracht verlehnt, ende dat ein untidich iver darinn

inn gevallen geweſt waere, ende de ſacke doch in dem grunde vaſthe eins, wante ick holde, als men dan *Musculum* recht anſehen will, ſo ſchal hem nene ſchult gegeven werden, noch ock *miner korten Confeſſion*, de ick ſo vacken affgeſchreven ende van den *predigſtol* ende ſus verklaret, ock op den *Raedthuſe*; ende wete nicht anders, dann ſe ſi recht, doch dat will ick bi de unpartheiſche rechte ende gegrundete gelerde in den univerſitaeten geſtellet hebben, wie ock dat ordell van min poſitionibus; de anderen ſtellen dat ere dar ock hen, wat ons dann tho, edder aff geweſen werdt, darmede latet ons tho freden weſen. Will mann de gelickeniſſe *Musculi*, ende der andern nicht gern hebben, wol, in Gottes namen. Ick en ſtah darup nit verder, dan *ad declarationem materiæ*. Ende do ick doch dan *Musculum* hel uth Predickede van den H. Sacramenten als he im 26. Matth. darvan ſchrifft, de univerſiteten ordelen darvan. Ock is wohl mennich hart wort gefallen, als ick den untidigen ropen der parthien antworden muſte, dat gah ock ſinen wech, und latet uns fort ahe factlion ende ropen unze anhörers leren ende ſtichten, tho Gottes ehren. Ick wil alles dohn unde lathen, dat mi mogelick is thor ehre Gottes.

§. XXIII. Ick entſtah averſt nicht dat gene, dat ſe mi averſehret hebben, und ſcholdens noch nu noch nimmermehr goett don, des berop ick mi op de anhörers intgemeine, ende vor mi entſchuwe nicht, de den hader ſus leven ende driven, ende met onvreden mogen ſwanger gaen. Dan ick ſehe den onwillen under dem volcke, de bedrovet mi, unde ock mennich rhu en unverſtandig wort an beiden ſeiden, den ſaege ick gerne vorgekomen in tyden.

§. XXIV. Inſonder bedrovet mi, dat deſe loffticke Stadt *Bremen* in ſulcken geſchrey durch unſe ſulveſt lude ende lerer gevört wart aver de gantſe Chriſtene welt,

 dar

dar se oppet erste nicht wol uthkamen en wert, als wi sus vortvaren scholden, dat Godt verhode mit gnaden. Wen men mi schone jo drunge, dat ick sterven, lopen edder swigen muste, so en wolt dar noch nicht beter mede werden, ende ick finde mi unschuldig, *ick en hebbe nit angefangen; han idelicke jaren mi plagen laten mit ungenugen ben thor tydt, dat ick gedrenget wort, videat Dominus & judicet.*

§. XXV. Derhalven erbede ick mi hir zo hoge en de vele; dat ick averst belaven scholde, darvan nicht tho reden, dat is onbescheden mines erachtens ende mi unmogelick; Ende so vele op dat erste stucke als van der loftte des schwigens van sulck artickel der religion, Insundern de in sulcke zanckhandele ende doch in dagelicken gebrucke wesen moth, *doch so bedene ick de Sacramenten nicht*, hebbe ock mine capitelen schon uthe, dat ick dan so balde nit vele van behove tho reden, des ick ock weinich geneiget, so ver de wedderparten mi nicht andringen.

§. XXVI. Dat andere stucke so U. E. mi wohlmeinender wise vorgestellet, als dat ick na den *Konninck van Dennemarcken* trecken, ende mi entschuldigen scholde, darop is dit min antwordt, dat ick dar allerley bedenckent inne hebbe, nahdeme uth des Konings schryvende genochsam tovernemende, dat he schone allso pracoccupiret sy durch miner jegendele hefftige ende partheische anbringent, dat sine radtschlaege allerdinge darhin gerichtet sindt, men scholde mi nicht to gehör staden, sunder, ungehort vortwisen, ende de *Ertzstiffts Kircke tho Bremen*, (de doch eine moder is ock aller Daenischen Kercken) *lever tho einen steenhopen maeken, dat Godt vorbode*, unde dat alleine darumb, dat mine lere *schwermerisch* ende *versönerisch* sy, durch welcke ick (*als ein Wolf*) dat hillige Sacrament des wahren lives ende blodes Christi unseres Heylandes mit voren

tho

tho treden, und doch, *sine Bekentnis ende mine schir avereinstimmet, so be se achter in sinen ersten breff settet*, dar nicht eine sententz inne is, off ick stade mede vor Godt, engelen ende menschen bekandt, rede, lere ock jo so, ende is mine Confession der nicht ungemeten, de alle tydt ende noch allzo geluddet hefft.

§. XXVII. „ Brodt ende win im worde Gottes vervattet, sindt im rechten gebrucke des Aventmals dat „ wahre Liff en blot Christi vor uns gegeven, in ei„ nem verborgenem hilligem Sacramente, dar uns dat „ sulvige mit allen sinen verdiensten ende gnaden tho „ einem testament overgeven wert, wie dat de art der „ Sacramenten is, dat ons mit sichtbahren teekenen de „ unsichtbaren gnadengaven Gottes mede gedelet wer„ den, durch den dener denstlicker maten, durch den „ Herren sulvest vornemlick. Dit bekennet alsso ock „ de H. Apostel Paulus, dar he dat brod breeken de „ gemeinschup des lives, den Kelck de gemeinschup „ des blodes unseres herren nomet 1 Cor. 10. tho dem „ ende zeiget alsso dat wordecken (*dath*) *Hoc* in den „ worden des Herren (*Hoc est corpus meum*) op twe „ dinge, de ogen ende der vernunfft uppet brodt, der „ geloven, de upt worth sucht, up dat ware naturlicke „ Liff des Herren.

§. XXVIII. Ick en hebbe anders nene lere gevort, ende weth se noch nicht anders, doch so stelle ick, wo gesecht, se den Universitaeten vor de hand, wie ock de ander unde alle mine lere. Un is dusse ock den Catechismis Lutheri nicht tho weddern, als de wedderseggers, *in pane, sub pane & cum pane*, nicht, *inpanationem, suppanationem, companationem localem* edder *consubstantiationem* &c. maeken willen, welcker ick nicht entholde noch approbere, wo ock nicht, de *Transsubstantiation*, ende is de D. Lutheri meinunge ock nicht gewest, de allene *Sacramentalem unionem* gedreven hefft, ende

will *in pane & sub* sacramento panis per verbum &c. dat lere ick ock; *Sed nostrorum determinatio non tantum videtur determinare prædicatum, sed etiam cadere in copulam*, ende dat mi ein bedencken macket in der Auspurgischen Confession, dat de dütsche hefft *under gestalt brodes ende wins*, dat riecket na der Transsubstantion, want gestalt is species, nu en is species in den scholen nicht dann pro accidente genamen, ende so isset ock in dudisch gesettet, want *gestalt* is mann accidens, so schmacket die Apologie ja gantz na Transsubstantiatio.

§. XXIX. Als de *Koningk* averst nu desse mine Confession liden kan, so sin ick em balde genog excusirt, ende werden mine anklaeger up de dure nicht bestaen konnen, ende kan de Excusation nemandt buthen, dan de de klage uthgegeven hebben, off sus ein Ehrw. Dom Capittel.

§. XXX. Ick bin ock so verswacket, dat ick ohne lives gevhaer nit reisen en kan, dann mi doch allenthalven nae getrachtet wert, ock in minem huse nicht frei gewest en bin. So en hebbe ick ende werde woll de Wittenbergische reise nicht balde vorwinden, derhalven ick wegens schwackheit nicht so einen weg reisen kann, als ick vorhen woll geneigt gewest sin. Denn ick en kan nu nicht, so en wardt idt mi ock wohl nemandt vele weten tho raden.

§ XXXI. Doch nicht destomin, alse desse freundlicke van mi vorgeschlagene handel dardurch nicht verhindert, uthgeschlagen edder vertoggert en wert, ende ick vrey geleide hen ende wedder hebben moge, ock onder wegens, ende in einiger tidt van mines lives schwackheit halven de reise vormoge, sin ick dennoch tho donde unbeschwert, den Koninge ende der sacken ock eines Ehrw. Dom Capittels wohl meynende tho eren, off ick schone wohl nicht sehen en kan, wath dar vele vordels uth kommen konnen, so wil ick

doch

doch meines eigenen hovedes nicht altovele vertrouwen.

§. XXXII. Ick fege dann ock nu vor guth ahn, dat man deffen vorfchlag inginge, ende middeler tydt an den Koningk fchreve, fcholde ick idt aver alle bewyfen, daer ick valfchlick angeklaget bin, fo hadde ick es min leventlang genogh tho donde, want ick weht gewiffe, dat noch mehr der breve vorhanden findt, fo mag ick mi des troften ende dencken, wattet fi: *Beati cum maledixerint vobis homines.* Ick fwige mer orfacke, de mi fulck ene reife ietzunder afraden. Ick hadde gehapet, de Koningk fcholde vorvordert hebben, dat ein frey Chriftelyk colloquium mochte beramet werden, dar mann manneere ende forme geftellet hadde in deefer ende anderen facken, dat man de, de fus unde op anderer opinion findt, mochte gehort hebben, under malckander mit godelicken gnaden berichtet, dat wi alle ein volck Gottes ende ware chriften mit den anderen wefen ende blyven mochten, darna hebbe ick geftan, und noch, ende holde dat beter, dan vorth tho verdömen, doch dit en is in miner handt nicht. Godt geve fine gnade.

§. XXXIII. In geval dat men na den Univerfitaeten wolde fenden, wie hier vorgemeldet, fo bidde ick dat men *duffe fchrift* darmede hen fende, dar *mine Confeffion* genogfam inne is, ock nahne des *Musculi* ende *Strasburger*, ende is ock mine meinunge darinnen van den ftucken, de de wiederparthe mi unrecht gedudet hebben, al wat ick gefegt tegen die *ubiquiteit in genere*, dat hebben fe, ende ick nicht, up het H. Avontmahl gedudet Wolde Godt, de heren vam Rade hadden mi fulveft recht willen tho horen, fo en haddet nein mangel gehadt, ende wo dit min milde erbedent, noch nene ftede hebben en konde, wolde ick ende will mi wedder referirt hebben up mine vorige fchrifften, ende

dese

dese schrifft, alsse vor mi sulvest geholden, gestellet, oock gereckent hebben, ende in bequemer tidt alle wat sich in deese handel togedragen, ock alle mine lere, predicke ende schrivent, darvan an den tag to brengen. Godt geve ons averst eine Christliche frede, den ick van herten wunsche un begehre, ock alles darumb tho donde un biddende willich, wat ick mit gade mach, und wensche allen den genen, de mede tho schaffen hebben, den hilligen Geist Christi, den si recht sehen und folgen mogen. Amen!

Hiermede wil ick de saeke den lieven Gode befahlen hebben, beneven J. Christo, deme ick allein vor mogelick denst tho leisten willig.

Datum den 23sten Junii 1557.

U Ehrw. Dener

Albertus HARDENBERG
Doctor in d. S. Domkerck
tho Bremen.

Num. VI.

CONFESSIO *Romano-Catholica* in HUNGARIA.

Evangelicis publice præscripta & proposita.



Quam miseranda sit *Evangelicorum*, sive Saxonicam sive Helveticam sequantur Confessionem, in regno HUNGARIÆ facies, ii cumprimis norunt, qui ut Ecclesiæ fata sive prospera sive calamitosa, rite cognoscant, atque, ut hujus quoque Ecclesiæ, ceu manipuli elonga-

gatarum columbarum quoque rationem habeant, sui judicant officii. Certè, afflictiones illæ ac persecutiones Papistarum ita non deferbuerunt, ut etiamnunc omnem quoque excedant fidem: Et quomodo in conscientias hominum sibi dominium arrogent sævum planè atque tyrannicum, non plenius cognosci potest, quam ex hisce articulis, quos ante hos viginti annos Pontificii composuerunt, & ad quos jurato recipiendos adigunt Evangelicos, quotquot illorum artibus seduci se patiuntur, ut Protestantium fidem abnegent, prouti ii nobis suppeditantur in *Actis* ita dictis *Historico Ecclesiasticis Vinariensibus*, Volum. III. Part. XIII. pag. 21. & sq.

Ne quis autem iis, (quod vix credibile sit ad tantam insaniam ac impudentiam quenquam delabi posse, ut hæc talia à sanæ mentis hominibus exigat) fidem deroget, effecit *Auctor* illius *Collectionis* l. c. p. 25. sq. indicando, quam iidem articuli jam quoque A. 1673. sint scripto consignati, atque iis, qui à Protestantibus ad Pontificiorum castra transibant propositi, quippe qui & tum jam à Protestantibus typis sint editi, cum hac addita epigraphe sive clausula: *Istorum perversorum præcipuus primipilus & antesignanus fuit* Elias Gresner, *Pastor primarius civitatis Montano Neosoliensis, impius Apostata & seductor, cujus Deus* venter *est.*

Ceterum, vel ita ex horum articulorum lectione colligi potest, quam nihilo sint æquiores nec faciliores hodierni Papistæ, quam qui superiori seculo cædem & minas spirabant: Tu, Lector Benevole, hos articulos lege & exhorresce!

* * *

I. Fatemur & confitemur, nos singulari cura supremi nostri magistratus spiritualis & secularis, diligentia & ope Dominorum Patrum Soc. Jesu, ab hæretica via & fide ad veram Catholico Romanam salvificam deductos esse,

eamque ore nostro & lingua, universo mundo aperte ad notitiam velle dare.

II. Confitemur, Papam Romanum caput esse Ecclesiæ, nec errare posse.

III. Confitemur & certi sumus, Papam Romanum esse Vicarium Christi, plenariamque habere potestatem omnibus hominibus pro voluntate sua, peccata remittendi, retinendi, in infernum detrudendi, excommunicandique.

IV. Confitemur, quicquid Papa instituerit novi sive extra Scripturam, quicquid etiam demandaverit, esse verum, divinum & salvificum, ideoque à Laicis majoris æstimari debere Dei vivi præceptis.

V. Confitemur, Papam Sanctissimum ab omnibus honorari debere, majori cum genuflexione, ipsi Christo debita.

VI Confitemur & asserimus, Papam ab omnibus tanquam Patrem sanctissimum, in omnibus esse audiendum sine omni exceptione, ejus institutis dirigentibus contrafacientes, sine omni misericordia, tanquam hæreticos, non solum igne tollendos, sed & cum corpore & anima inferno tradendos.

VII Confitemur, lectionem Scripturæ sacræ, ortum esse hæresium & sectarum, scaturiginemque blasphemiæ.

VIII. Confitemur, mortuos Sanctos & Sanctas invocare, imagines eorum honorare, coram eis genua incurvare, ad eos peregrinari, vestire, lumina iis accendere, bonum, pium, sanctum, utile & salutare esse.

IX. Confitemur, unumquemque Sacerdotem multo majorem esse Deipara B. Virgine Maria, quæ semel solum peperit Christum nec amplius parit. Sacerdos autem Romanus non solum dum vult, sed & quandocunque vult, offert & facit Christum, imo & creatum absumit.

X. Confitemur, pro mortuis missas celebrare, eleemosynas distribuere, orare, utile ac salutare esse.

XI. Confitemur, Papam Ro. habere potestatem, scripturam

ram immutandi, pro voluntate sua augendi & minuendi.

XII. Confitemur, animas post mortem in purgatorio purgari, ac missas sacerdotum eis auxilium cum eliberatione esse.

XIII. Confitemur, sub una specie Eucharistiam percipere, bonum & salutare, sub utraque, hæreticum & damnabile esse.

XIV. Confitemur & asserimus, hos, qui sub una specie utuntur, totum Christum cum carne & sanguine, cum Deitate & ossibus, uti, vel percipere, qui vero sub utraque, solo nudo pane frui & vesci.

XV. Confitemur, septem esse vera & realia sacramenta.

XVI. Confitemur, Deum in imaginibus honorari, ac per eas ab hominibus agnosci.

XVII. Confitemur, Mariam Beatam Virginem, majore honore dignam, ab Angelis & Hominibus, ipso Christo, Filio Dei.

XVIII. Confitemur, beatam Virginem Mariam, esse Reginam Cœli, simulque cum Filio regnare, cui filium omnia ad voluntatem ejus facere debere.

XIX. Confitemur, ossa Sanctorum magnam habere virtutem, unde ab hominibus honoranda esse, ipsisque sacella exstruenda.

XX. Confitemur, Doctrinam Romanam esse Catholicam puram, divinam, salvificam, antiquam & veram; Evangelicam autem, falsam, erroneam, blasphemam, maledictam, hæreticam, damnosam, seditiosam, impiam, excogitatam ac fictam. Cum igitur in totum & plenarie, in omnibus explicationibus, Religio Romana sub una specie bona sit & salutaris, ideo maledicimus omnibus illis, qui nos in hæresi adversa & impia sub utraque erudierunt. Maledictos pronunciamus Parentes nostros, in fide illa hæretica nos educantes, maledicimus quoque & illis, qui nobis Romano-Catholicam fidem in dubium vocarunt, sicut

& DUOBUS illis, qui nobis maledicto illo calice subservierunt. Imo nobis ipsis maledicimus, maledictosque nos pronunciamus, eo quod ex maledicto illo calice hæretico (ex quo nobis bibere non licebat) participavimus.

XXI. Confitemur, Scripturam sanctam esse imperfectam, & litteram mortuam, quousque à Summo Pontifice, ea non fuerit explicata & Laicis ad legendum concessa.

XXII. Confitemur, unam missam Sacerdotis Romani utiliorem esse centum & pluribus concionibus Evangelicorum. Ex eo maledicimus libris illis, quos legimus, doctrinam illam hæreticam & blasphemam comprehendentibus; Maledictionem etiam superinducimus super omnia opera nostra (in fide illa hæretica existendo) patrata, ne in extremo die coram Deo nobis aliquid mereantur.

Hæc omnia ex candido pectore facimus, asserentes, Romanam Ecclesiam in his & similibus articulis esse verissimam, cum solenni hæreticæ illius doctrinæ, coram Vobis, Viri honorati, Matronæ honoratæ, Juvenes & Virgines præsentes, renuntiatione.

Juramus insuper, nunquam amplius nos ad hæreticam illam sub utraque (etiamsi licitum esset vel fuerit) vita durante conversuros.

Juramus etiam, donec una gutta sanguinis in corpore nostro extiterit, doctrinam maledictam illam Evangelicam, nos omnimode, clam & aperte, violenter & fraudulenter, verbo & facto persecuturos, ense quoque non excluso

Ultimum juramus (immutatione fors in statu seculari vel spirituali subsecutura) nos coram Deo, Angelis & vobis præsentibus, neque metu aut gratia, ab hac salvifica Romana Ecclesia & divina discessuros unquam, & ad hæresin Evangelicam maledictam redituros & reversuros vel amplexuros.

IN-

INDEX. I.

Tractatuum Tomis hisce quatuor contentorum.



LAS-

VIL-

INDEX. II. RERUM

Litera A. Tomum I. & II. B. Tom. III. & IV. denotat.

A.

B.

B. S.

Ant.

G.

H.

M.

N.

Nas-

P.

ap.

Q.

R.

S.

S.

T.

Bul-

U.

V.

W.

FINIS.

